Digitized by Google

31. Y. 34.

...us ad Cresco
...nii. l. b. 2
...cap. 32

Ego huiusmodi auctoritati non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo: sed eas ex Canonicis considero: et quod in iis divinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

Et similiter in epist. ... in D. Hieron.

Ad hoc ... ne

Sic de scriptis Hieronymi. in tomo 2 Hieron. fol 353

Idem l. b. Epist. ad Hesychium ep. 78.

~~petus~~ Si quid autem pro meritis potioribus sanctae humilitati cordis tui aut Dominus nobis revelavit ~~...~~ sive revelaverit spectu nobis ... municare digne ... re scripta ... sanguinem bo... nullo...

Signa falsa 222

Iesuitae Augusti ... 22.

An Biblia omnibus legenda. vide Sixt. Senensem in Bibliotheca Sancta fol. 626

Censura Colonienſis 57.

Sufficere Evangelia ad salutem 531

De Romana ecclesia 531

Damnatus liber Lutheri de servo arbitrio 716

Iudex in controversiis religionis codices canonici, postpositis ceteris

Observa scripturam Augustinus Epist. 163

tomo 4 Concilio. ... fol. 655

Stephanus Archiepiscopus Patracensis in oratione in Concilio Lateranensi, in encomio beatae Virginis

Et quorum sacros reserare sensus, Qui latent chartis nimium severis

Il guidardone ... ignorantia.

XXXI-Y-34

Digitized by Google

D Hieronymus ad Galat

Spiritus sancti doctrina est, quae Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuunt Concilia, nefas duco.

~~Vide~~

Tomo 3 Concil. fol 49 51. 78

Videmus in Synodis vniversalibus poni in medio S. Evangelia Cusanus.

Idem de Niceno Concil.

Socrates lib. 1. cap. 7.

Vide infra fol. 127. 526

De disputationibus D. Augustinus Epist. 163.

D. Gregorius.

Scriptura sancta est fluvius, in quo agnus peditat et Elephas natat. citatur à Luthero in postilla feria 2a paschatis

Iesuitae propter pharisaei. vide Originem tomo 2 fol 116

Digitized by Google

DOCTRINAE

IESVITARVM PRÆCIPVA CAPITA,

A doctis quibuſdam Theologis (quorum libri ſequente pagina continentur) retexta, ſolidis rationibus teſtimoniíſque ſacrarum Scripturarum & Doctorum veteris Eccleſiæ confutata.

Altera Editio, priore emendatior, & duplo auctior.

RVPELLÆ,
APVD THEOPHILVM REGIVM

M. D. LXXXIIII.

I. Theologiæ iesvitarvm præcipua capita, ex quadam ipſorum Cenſura, quæ Coloniæ anno 1560. edita eſt, annotata per Martinvm Kemnicivm, D. Pagina 1.

II. Assertio veteris ac veri Chriſtianiſmi, aduerſus nouum & fictum Ieſuitiſmum ſeu ſocietatem Ieſu: authore P. Boqvino Biturige, ſacrarum literarum in Academia Heydelbergenſi profeſſore. 122.

III. Fides iesv et iesvitarvm, hoc eſt, Antitheton ſeu collatio doctrinæ Ieſu cum doctrina Ieſuitarum Papiſticorum, ex Sacris literis, Patrum ſcriptis & Ieſuitarum farraginibus collecta per Donatvm Gotvisvm Triuonenſem Theologiæ profeſſorem: nunc denuo recognita & emendatior edita. 209.

IIII. Academiæ nemavsensis breuis & modeſta reſponſio, Ad Profeſſorum Turnoniorum, ſocietatis, vt aiunt, Ieſu aſſertiones, quas Theologicas & Philoſophicas appellant 503.

V. Academiæ nemavsensis expostvlatio de Ieſuitarum Turnoniorum bis cocta (vt ipſi diſertè aiunt) Crambe. 643.

VI. Consensvs iesvitarvm et christianorvm in doctrina Religionis, vbi examinantur propoſitiones Cõfeſsionis Auguſtinianæ: quibus ceu Catholicis pronunciatis, D. Hieronymus Torrenſis Ieſuita, ſummam totius Ieſuiticæ Theologiæ complecti voluit. 674.

VII. Colloqvivm iesviticvm, toti orbi Chriſtiano, ad rectè cognoſcendam, hactenus non ſatis perſpectam, Ieſuitarum religionem, vtiliſsimum 785.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI, SALVTEM.

HAbes, lector Chriſtiane, varios tractatus de præcipuis doctrinæ Ieſuiticæ capitibus diuerſis locis & tẽporibus editos, hácque editione in vnũ iterum collectos: quibus nonnulla alia eiuſdem argumenti diuina fauente clementia breui accedent. Dum verò alterum tomum tibi paramus, tuum eſt quàm pernicioſa ſit Chriſtiano gregi pſeudonymorum iſtorum colluuies etiam atque etiam conſiderare, & attenta ſacrarum Scripturarum lectione, adhibitis etiam Patrum ſuffragijs, ſophiſmata Ieſuitica detegere & execrari. Ante annos aliquot, quum noua iſtius ſectæ conſilium non ſatis adhuc pateret, & de ſcholis occuppandis tantummodo ſolliciti eſſe Ieſuitæ viderentur, monachiſmi reformationem neſcio quam nonnulli ſomniabant: at in lucem prodeuntibus Catechiſmis, Cenſuris, alijſque Ieſuitarum farraginibus, quæ ad tempus latuerat hypocriſis & impietas, tandem exerto capite pijs omnibus apparuit. Mihi verò paulo propius iſtorum dogmata conſideranti protinus occurrit veriſſimũ Tertulliani dictum, hæreticos, ſi de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtãt, ſtare non poſſe. Aufer enim Ieſuitis paralogiſmos, & detortas patrum ſententias: profer & obijce illis Prophetica & Apoſtolica teſtimonia: tunc ſtare non poterunt. Verumtamen ne veteris Eccleſiæ lumina ad tenebras veritati offundẽdas ſibi ad manũ eſſe perpetuò gloriarentur, firmiſſimis prophetarum & Apoſtolorum pronuntiatis non pauca veterum ſuffragia tertius tractatus adiunxit, vt tibi conſtet

Digitized by Google

quam impudenter Ieſuitæ in patrocinium errorum ſuorum doctores Eccleſiæ pertrahere conentur. Reclamabunt, ſat ſcio, & proferent confeſſionem Auguſtinianã à ſuo Torrenſi conſarcinatam, Opus item catechiſticum Caniſii, tot veterum teſtimoniis refertum, aliáque eiuſmodi: denique Patres cũ Patribus cõmittẽt. Eſto ſane, nec enim veteres ſibi ſemper conſtare aſſero: ſed tantiſper dum ſolida doctrinæ eorum explicatio diem videat, illud reſponſum habeant Ieſuitæ ex epiſtola 19. Auguſtini ad Hieronymum: Ego, inquit, fateor charitati tuæ ſolis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum authorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Ac ſi aliquid in eis offendo literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſequutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego vt quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, perſuadere poterunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium eſt. Abſit hoc à pia humilitate & veraci de temetipſo cogitatione, qua niſi eſſes præditus, non vtique diceres: Vtinã mereremur cõplexus tuos, vt collatione mutua vel doceremus aliqua vel diſceremus. Et hæc quidẽ ſapienter & Chriſtiane Auguſtinus, cui ſi aſſentiũtur Ieſuitæ: regulam certã examinis omniũ doctrinarũ habent: ſin autem, ſuo more, ſanctæ Scripturæ authoritatẽ Patrum iudiciis ſubiicere pergunt, inſania ſua fruantur. Sed vt ad te redeam, Lector, non incommodum erit, quædam ex Kemnicii & Boquini præfationibus hic attexere, vt inſtituti eorũ certior factus, tibi libellos oblatos iucũdiore animo per-

Digitized by Google

curras. Hæc ſunt igitur verba epiſtolæ Kemnicij ad illuſtriſſimū principem Ioachimū Marchionē Brandendurgenſem.

MVLTIS ſane triſtiſsimis difficultatibus & miſerijs expoſita ſunt poſtrema hæc tempora, non tantum propter languidam & quaſi effœtam mundi ſenectam, ſed præcipue quia Draco ille antiquus, quo propius vna cū mūdi fine æternum ſibi imminere exitiū intelligit, eo acerbiori odio in Hierarchias diuinitus inſtitutas, Eccleſiam ſcilicet, Rempublicam & Oeconomiam graſſatur. Sicut Filius Dei diſerte vaticinatus eſt de periculis poſtremi temporis. Eſt tamen de quo vera animi gratulatione Deo gratias agamus, quod in hæc ipſa tempora, ætas noſtra inciderit, in quibus, Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro ea ſua immenſa miſericordia, qua vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, detectis varijs & horrendis abominationibus regni pontificij veram & genuinā vocē verbi ſui, ex fontibus Propheticis & Apoſtolicis Eccleſiæ ſuæ, quaſi accenſa in denſiſſimis tenebris clariſsima luce, reſtituit. Hoc ſummū beneficium decet nos, qui mēbra ſumus veræ Eccleſiæ, grata mente agnoſcere & celebrare.

Et quidē homo ille peccati, & filius perditionis, quē Paulus vere ita nominat, ſentit, quale in regno ſuo ex hac Euāgelij luce plagā acceperit. Neq; hoc diſſimulat. Ideo nullū non mouet lapidē, vt lucē illā diuinitus accenſam, vel opprimat & extinguat, vel certe nebulas & caliginē obijciat. Et vt de reliquis quæ à Pōtificijs vel ex inſidijs, vel aperto Marte gerūtur, iā nō dicā: Recens ante nō multos annos, à Romano Pōtifice, creata eſt noua ſecta, Ieſuuitarū, hoc cōſilio, quia reliqui conductitij Pontificiæ turpitudinis patroni, partim ob literarū inſcitiā, id ad quod conducti ſunt, præſtare non poſſunt, partim languidius agere videntur, vt in nouum hunc ordinem cooptarentur, qui a primis annis, & a teneris quaſi vnguiculis, calicem abominationis, Apoc. 17. imis medullis

Digitized by Google

& viſceribus imbiberent, & poſtea linguarum, & politioris litteraturæ præſidiis, glorioſius quam verius, inſtructi, Germaniam potiſſimum inuaderent, ſi hæc forſan noua Pontificis creatura (id quod à reliquis hactenus magno quidem conatu, ſed non pari ſucceſſu tentatum eſt) poſſet Germanis vel per Hypocriſin eripere vel violentia illius quam ſibi inſolenter arrogant eruditionis, extorquere veram agnitionem voluntatis Dei in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis patefactæ. Et intra paucos annos, in multa examina, noua hæc Pontificis fœtura, excreuit, quæ multas iam partes Germaniæ occuparunt. nomē igitur Ieſuuitarum cœpit iam vbique fere notum eſſe, quæ vero ſit doctrina, quam ſub noua hypocriſi velatam, ad inficiendam puritatem fontium Iſrael circumferunt, vulgo hactenus non fuit vſque adeo notum, niſi quod quædam ex myſterijs illorum obſcure in vulgus emanarunt. Occupati enim hactenus fuerunt, collocandis & proferendis ſuis nidis & ne ipſe ſuo ſe indicio ſorex, priuſquam nidum recte cōpoſuiſſet, proderet, ſcriptione magna ex parte abſtinuerunt, vel certe ſi quid ſcripſerunt, ita inuoluerunt ambiguis generalitatibus, vt quid ſecta hæc præ ceteris proprij haberet, non facile poſſet deprehendi.

Anno vero 60. à Ieſuuitis, qui nunc Coloniæ totam facultatem Theologicam repræſentant (vt ipſorum verbis vtar) edita eſt cenſura quædam, de præcipuis doctrinæ cœleſtis capitibus quæ ita ſuperbe & inſolenter ſcripta eſt, vt reliquos pontificios ſcriptores facilè omnes impudentia ſuperet. Illi enim multa, quæ vident nimis eſſe manifeſta, diſſimulāt, multa mitigant, multa aliter interpretantur.

De Ieſuuitarum vero cenſura, hoc poſſum vere affirmare, nihil vnquam tam notorie falſum, nihil tam flagitioſe impudens in Pontificia Eccleſia, vel per ſomnium excogitatum eſſe, quod non auſit cenſura iſta palam probare, & maiori impudentia defendere. Et quaſi non ſatis hactenus perfricta

fricta fuiſſet frons Thaidis Babylonicæ, in ſingulis articulis Cenſura iſta Ieſuuitarum nouum addit impudentiæ cumulum.

Vt igitur emiſſarij iſti Romani Pontificis plenius innoteſcant, & noſtris præcipue Eccleſiis quibus turbandis ab idolo ſuo creati ſunt, non de nomine tantum, verum præcipue de flagitioſa impudentia doctrinæ noti fiant, iudicaui me facturum operæ precium, ſi ex cenſura iſta colligerem præcipua capita Theologiæ Ieſuuitarum, vt illa quaſi in breui tabella deſcripta, & publice ſpectanda propoſita, ab omnibus agnoſci, & pro eo ac meretur celebrari poſſit. Si enim primitiæ progymnaſmatum tales ſunt, quid porro Germaniæ ab hac ſecta, ſi quando plus virium acceperit, expectandum ſit, cordatus Lector ipſe ſtatuet. Nolui autem inſtituere iuſtam vel explicationem vel refutationem, ſed tantum axiomata ſiue propoſitiones illorum nuda recitatione annotaui. Res enim tam manifeſta eſt, vt ab illis etiam, qui prima tantum principia doctrinæ Chriſtianæ didicerunt, poſſit intelligi & dijudicari. Et tamen ſpero fore, vt Ieſuuitæ irritati, ipſi his lineamentis addant colores, & ſi qua habent alia myſteria magis recondita nobis patefaciant, & tunc forſan non deerunt, qui plenius reſpondeant. Hanc vero qualemcunque meam ſcriptionem cum de amicorum conſilio conſtituiſſem edere, volui Illuſtriſſime Elector V. Celſ. dedicare, hanc potiſſimum ob cauſſam. Intereſt enim Principum Germaniæ, recte noſſe qualis ſit noua illa ſecta, quam Romanus Pontifex principaliter in perniciem Eccleſiarum Germaniæ, creauit, & quid ab ea expectandum ſit illis, qui eam in ſinu fouent. Exiſtimabam autem propter illuſtriſſimum Celſ. V. nomen, plures eo libentius inſpecturos hanc quaſi tabellam, proponentem non quidem viuos colores, ſed tantum lineamenta turpitudinis iſtius ſectæ. Arbitrabar etiam Celſ. V. hanc ſcriptionem vel hoc nomine non fore ingratam, quia

anno præcedente, Celſ.V. huius ſectæ hominem, coram audiuit, craſſiſſimas quaſque pontificij regni abominationes, impudenter defendere, & quidem cùm manifeſta veritate conuictus eſſet, nihil aliud potuiſſe reſpondere, quam ſibi non eſſe integrum, propter Pontificis autoritatem aliter ſentire. Boquinus autem ſic habet in ſua ad comitem Ludouicum à Sein epiſtola.

AMICORVM aliquot meorum crebris adhortationibus adductus ſum, vt cogitationes quaſdā meas, de nouo Monachorū ordine, quē Italia altera in iſto genere Africa, nuper in Chriſtianum orbem inuexit, in publicum exire paterer. Ex quo enim audiui & titulum quo ſe ornauit, & artem qua ſe mundo inſinuauit noua hæc Satanæ phalanx, variæ animum meum ſubiere cogitationes, tum de hoſtis iſtius implacabili in Chriſtum odio, tum de eius in oppugnanda Eccleſia aſtu & viribus. Vt enim in capiendis conſilijs ſingularem ſuam aſtutiam prodit, ita in his exequendis, & quæ vult perficiendis, miram qua præditus eſt oſtendit potentiam, quarum rerum ſeriam meditationem magnū ad pietatem adferre adiumentum exiſtimo. Quam ob rem vt quæ mihi venerant in mentem communicarem candidis lectoribus (nam cæteros non moror) mihi perſuaderi facilè ſum paſſus. Huc vſque Kemnitius & Boquinus. Aliorum conſilium, ex libris quos tibi exhibemus, facilè percipies. Vale Chriſtiane lector, & humili prudentique animo proba Spiritus an ex Deo ſint: doctrinas explora: quod bonum fuerit retine.

S. S. S.

INDEX CAPITVM quæ à D. M. Kemnicio explicantur.

1. De origine Ieſuitarum, & quo conſilio ſecta illa recens inſtituta ſit. pagina 1.
2. De ſacra Scriptura 8.
3. De Peccato. 16.
4. De Libero arbitrio 27.
5. De Lege 37.
6. De Euangelio 44.
7. De Iuſtificatione 45.
8. De Fide 58.
9. De Bonis operibus 67.
10. De Cœna Domini 74.
11. De Inuocatione Sanctorum 93.
12. De Pœnitentia 103.
13. De Confirmatione 109.
14. De Extrema vnctione 111.
15. De Imaginibus 112.
16. De Cœlibatu 116.
17. Axiomata Ieſuitarum 118.

SERIES CAPITVM
Aſſertionis P. Boquini.

1 Non leuiter peccare eos qui nomina ſibi minime conuenientia in religionis negotio, ſumunt. pagina 127.
2. Filio Dei in carne manifeſtato nomen IESVS, & titulum CHRISTVS mandato Patris fuiſſe attributa 131.
3. Credentes in Chriſtum Spiritu ſancto auctore iam inde ab initio collectę Eccleſię Chriſtianos appellatos fuiſſe 134.
4. Chriſtum ignorare ab eoque deficere eos qui alium quam Chriſtianum religionis titulum ſibi ſumunt 138.
5. Nouitiam ſectam ex ipſo cognomine à nomine IESV petito ream peragi nouitatis, ſchiſmatis atque ſacrilegij 143.
6. Extra ſocietatem IESV, nulli ſpem ſalutis relinqui 150.
7. Vt vera cum IESV ineatur ſocietas, ineundam eſſe viam, quam ipſe commõſtrauit 154.
8. Primum gradum ineundę cum IESV ſocietati neceſſarium eſſe veram in ipſum fidem 158.
9. Nouitium IESVITARVM ſodalitium vera fide præditum non eſſe 164.
10. Secundum gradum ad retinendam cum IESV ſocietatem neceſſarium, eſſe vitam Chriſto dignam 171.
11. Non apparere in nouitio IESV ſodalitio Chriſtianæ vitæ ſtudium. 174.
12. Tertium gradum quo ſocietas cum IESV confirmatur eſſe tolerantiã crucis ipſius 182.

13. Nullum

13. Nullum crucis IESV veſtigium conſpici in ſodalitio quod ab eo nomen ſibi finxit 186.
14. IESVITAS cũ Nazarẹis hẹreticis crucis Chriſti inimicis magnã habere ſimilitudinẽ 191.
15. Retinendum eſſe in Eccleſia cum antiqua pietate veterem Chriſtianorum titulum 203,

CAPITA ANTITHEſeos ſeu collationis doctrinæ Ieſu & Ieſuitarum.

1. De ſancta Scriptura pagina. 209. 216. 227. 233. 242,
2. De Peccato 256. 259. 264. 275.
3. De Lege 286. 287. 291. 304, 307.
4. De Euangelio 312.
5. De Libero arbitrio 316.
6. De Fide 333. 338. 351. 358.
7. De Iuſtificatione 364. 369. 374. 379. 380. 383.
8. De Bonis operibus 384.
9. De Satisfactione 396.
10. De Inuocatione Sanctorum 407.
11. De Cœna Domini 419. 421. 428.
12. De Traditionibus 438.
13. De Imaginibus 449.
14. De Cœlibatu & matrimonio 460. 467.
15. De Purgatorio 478.
16. De Eccleſia 485. 494.

Responsionis Academiæ Nemauſen. ad Theſes Ieſuitarum Turnoniorum partes præcipuæ.

De verbi & Eccleſiæ Dei autoritate 514.
De Imaginibus 569.
De vera corporis Chriſti præſentia veráque ipſius perceptione in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento 591.

Capita præcipua Expoſtulationis.

Præfatio 643.
Vetus & Catholica doctrina cum nouis & Ieſuiticis commentis collata 649.652.
Ieſuitas Turnonios Tranſſubſtantiationem atque adeo ſynagogæ Pontificiæ fundamenta conuellere 654.
Reſponſio ad Sophiſmata Ieſuitica contra veram Chriſti in Cœna præſentiam 658.

Conſenſus Ieſuitarum & Chriſtianorum loci præcipui.

De Eccleſia viſibili 685.
An Eccleſia poſſit errare 687.
An Scripura Sacra ſit obſcura 689.
De interpretatione ſcripturæ 691.
De Traditionibus, non ſcriptis 693.
An Petrus fuerit caput Apoſtolorum 695.
De fundamento Eccleſiæ 698.
An Petrus fuerit Romanus Pontifex 699.

An Primatus ſit penes Romanam Eccleſiam 702.
De autoritate Eccleſiæ Romanæ 704.
De autoritate Doctorum Eccleſiæ 705.
An veteres ſint iudices controuerſiarum noſtri ſeculi 708.
De officio Chriſtianorum 710.
De peccato originali 711.
De concupiſcentia 712.
De libero arbitrio 715.
De actionibus Infidelium 716.
An Sola fides iuſtificet 719.
De Iuſtificatione 722.
De meritis 725.
De certitudine ſalutis 727.
De infidelitate 733.
Quibus detur fides 734.
De Lege & Euangelio 735.
De fide & operibus 737.
Quomodo efficiamur Filij Dei 738.
De operibus fidelium 739
De Sacramentis Hæreticorum & Schiſmaticorum 740.
De Sacramentis 741.
De Exorciſmo & Baptiſmo 741.742.
De quinque pſeudoſacramentis 743.
De Tranſſubſtantiatione & communione ſub altera ſpecie 744.
De Sacrificio Euchariſtiæ 746.
De Sacrificio Miſſæ 748.
An aqua vino Euchariſtico miſceri debeat 752.
De ordinibus Papiſticis 753.
De confeſſione auriculari 755.
De ſatisfactione 756.
De remiſſione peccatorum 757.
De Coniugio 758.
De igne purgatorio 659.
De interceſſione Sanctorum 761.

De Ieiunio 765.
De Ieiunio Quadrageſimali 766.
De adoratione, inuocatione & patrocinio ſancto-rum 764.
De Ciborum delectu 767.
De Matrimonio & cœlibatu 768.
De Virginitate. 769.
De Continentia 771.
De Voto caſtitatis 773.
De Monachatu & paupertatis voto 775.
COLLOQVIVM IESVITICVM hypocriſin & fraudes Sociorum Iudæ detegit.

FINIS.

AXIOMATA QVÆDAM EX SCRIPTVRIS CANONICIS VETERIS ET noui Teſtamenti deſumpta, quæ Ieſuiticæ ſectæ errores facillime conuincunt.

1. *Omnia Dogmata fidei Christianæ neceſſaria ad ſalutem in Sacris & Canonicis ſcripturis continentur. Ioan. 20. Hebr. 1.*

2. *Ante mūdi constitutionem Electi ſunt in Christo, vt eſſent Sancti, quos Pater adoptaret poſtea in filios, per Christum in ſeſe, pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ. Epheſ. 1.*

3. *Lex Dei eſt Electis & renatis pædagogus ad Christum. Galat. 3.*

4. *Christus vnica eſt Electorum omnium coram Patre cælesti ſapientia, iustitia, ſanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1.*

5. *Colligimus cum Apostolo Paulo, hominem iuſtificari fide in Chriſtum abſque operibus Legis. Rom. 3.*

6. *Membra Christi capiti ſuo carnalis ac naturalis coniunctionis modo non vniuntur: Sed virtute Spiritus Sancti & fide, Christum ipſum, & eius beneficia participant. Ioan. 6. Epheſ. 5.*

7. *Dicunt electi cum Paulo, Viuit in me Chriſtus: credunt ſe tranſituros etiam à morte in vitam, iuxta Chriſti promiſſum: nec vllum aliud nomen ſub cælo datum ſibi fuiſſe exiſtimant per quod oporteat homines ſeruari, præter Christi nomen: nec enim eſt in alio quoquam ſalus. Gal. 2. Ioan. 5. Act. 4.*

DE ORIGINE IESVVI-tarum, & quo conſilio ſecta illa recens inſtituta ſit.

Per Martinum Kemnicium.

POST FRANCISCVM & Dominicũ, cum ſæculum eſſet feraciſſimum omnis generis Sectarum, quæ nouas viuendi regulas (ſicut vocant) ab hominibus excogitatas & præſcriptas, longe præferebant Chriſti mandatis: multi fuerunt, qui zelo non malo cenſuerunt in cultibus diuinis, & negotiis pietatis, eſſe potius regulam Ieſu, quã Franciſci vel Dominici vel aliorum quorumcunque ſectandam. Platina enim annotauit circiter annum DOMINI 1326. ortos fuiſſe in Luſitania, qui ſe voluerunt nominari milites Ieſu. Et mox, anno 1366. Ieſuatorum deuotio Senis orta eſt. de quibus ita ſcribit Sabellicus: Colligebantur ab initio domeſticatim, ſimplici habitu amicti, multa innocẽtia & pietate viri, victũ ſibi labore & opera quæritantes, Apoſtolici ab initio Clerici nũcupati. Hi neque ſacris initiantur, neque celebrant Miſſarum ſolennia, tantum orationi vacant: Ieſuati ab eo dicti, quod Ieſu regis ſummi frequens ſit nomen in illorum ore, &c. Recitat etiam Volaterranus Stephanum quendã Bononienſem, anno Domini 1410. ordinem ſeruatoris inueniſſe. Et conuentus quoſdã Ieſuatorũ in Italia fuiſſe, Sabellicus & Volater-

Sectarum authores.

Regula Ieſu.

Milites Ieſu.

Ieſuati.

Cur ſic dicti.

Ordo ſeruatoris.

Conuentus Ieſuatorum.

ranus teſtantur. Sed ſenſim & quaſi ſua ſponte conciderunt, cũ præ cæteris monachorũ ſectis, ad nullam poſſent authoritatẽ emergere. Publice enim tunc in Eccleſiis, ſicut extat apud Antonium, ſcribebatur: Sub Pauli quidem imagine, per hũc itur ad Chriſtum, ſub Dominici vero imagine, Sed facilius per iſtũ. Et dignum eſt obſeruatione quod Volaterranus annotauit, Ieſuatos iſtos, cum Apoſtolici nuncuparentur, & Ieſu nomen frequens eſſet in ipſorũ ore, Pontifici Vrbano ſuſpectos fuiſſe, quaſi cum fratricellis, ſiue VValdenſibus ſentirent, hoc eſt, quaſi verbum Dei, in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis patefactum, præferrent hominum traditionibus.

Imaginũ cultus.

Ieſuatorũ ordo ſuſpectus Pontifici.

Ieſuvvitarum vero de quibus hæc tractatio inſtituta eſt, noua plane eſt Religio, valde recẽs, ante paucos annos à Romano Pontifice creata, & orbi Chriſtiano obtruſa. Vtque de nouitate huius ſectæ omnibus conſtaret, ſtudioſe vitarũt veteres illas, de quibus dixi, appellationes. Noluerunt enim aſſumere vocabulum militum Ieſu, nec Ieſuatorũ, nec ordinis Seruatoris: ſed nouo inuento, noua attributa eſt appellatio Ieſuvvitarum ſcilicet. Forsã vt oſtenderent ſe alienos eſſe à ſuſpicione illa veterum Ieſuatorum, de qua diximus. Prima vero origo ſic ſe habet: Iohannes Petrus Carapha, qui poſtea Cardinalis, & tandem Anno Domini 1555. Pontifex factus, Paulus Quartus dictus eſt, ſectam hãc priuſquam ad faſtigium illud eueheretur, Venetiis primũ inſtituiſſe ſcribitur, quã poſtea Cardinalis & Pontifex factus, ita auxit, illuſtrauit, & tandẽ canonizauit, vt toti orbi Chriſtiano inficiũdo, vel ſola ſufficere iam iudicetur. Et de myſteriis quidem illorum, ad quæ ſolis forſan initiatis aditus patet, nihil dicam: Sed huius tantum velim lectorẽ commonefactum, vt conſideret quo cõſilio,

Ieſuuitarum noua religio.

Vide Examen Concil. Trid. fol. 12

Pater Ieſuuitarũ.

Cur Sedes Babylo-

lio,ſiue vt magis proprie dicã,qua aſtutia & quibus technis,poſt tot Monachorum examina, quibus mundus obſeſſus tenetur, Thaidis Babylonicæ ſedes nouas has creaturas, ſiue excluſerit ſiue enixa ſit.Illa autẽ tantum recitabo,quæ non ignota ſunt.Sẽtit homo ille peccati & filius perditionis,cœptum iam illud eſſe, quod Paulus prædixit (Quem Dominus cõficiet ſpiritu oris ſui,hoc eſt, verbo ſuo)Et videt reliquorum ordinum quantũuis præpingues & craſſos ventres,non poſſe fulcire labaſcentem Romanam ſedem, hanc maxime ob cauſſam,quia illam partem regulæ Frãciſci quę ſic habet (Neſcientes non curent diſcere literas) omnes ſolicite obſeruãt,ſicut Epigramma quoddam dicit:Cauiſti bene tu ne te vlla occidere poſſet Littera,nam nulla eſt littera nota tibi. Ita vt ordo fratrum ignorãtiæ factus ſit iam vniuerſalis. Animaduertit igitur Põtifex(nec mirũ,omnia enim iura habẽt in ſcrinio pectoris ſui)opus eſſe regno ſuo noua creatura. Et quia,extra de trãſlatione Epiſcoporum c.quanto,gloſſa affirmat, Papam immutare rerum naturas,& poſſe aliquid de nihilo facere: aggreſſus eſt igitur magno animo & multo maiori ſpe creationem huius noui ordinis, & in regula cauit non eſſe onerandos immodicis ceremoniis,ſed adhibendos ſumma diligentia ad diſcendas literas, ad cognoſcenda ſtudia linguarum,ad euoluenda ſcripta veterum, vt erroribus & abuſibus, ex verbo Dei toti iam mundo detectis,plauſibilẽ aliquã ſpeciẽ orationis lenocinio induere,& neruos regni Põtificij cõſeruare diſcerẽt & conarẽtur,vt ſi vſus periclitãtis iã in tãta Euãgelij luce regni Põtificij, ita flagitaret,ex illo ordine poſſent tãquã emiſſarij in omnẽ terrã ſubmitti Põtificiæ turpitudinis patroni. Hinc in recẽti Põtificis legatione per Germaniã,pręcipue Ieſuitarum

[Margin: nica Ieſuitas tandem enixa ſit.]

[Margin: 2.Theſſal. 2.]

[Margin: Ordo fratrum ignorantię Catholicus.]

[Margin: Aſtus Põtificius.]

Ieſuuitarum impudētia. nomen auditum fuit. Et quidem in ſcripto illo, cuius examen iam inſtituemus, glorioſè magis quam ſolide & vere oſtentant cognitionem linguarum, floſculos aliquos politioris literaturæ, & multā lectionem antiquitatis. DEINDE animaduerſum eſt & hoc in Germania præſertim, etiam illos qui Pontifici iurati ſunt, imo apoſtatas etiā, qui magna mercede conducticiam linguam Romanæ ſedi locarunt, quædam in manifeſtis erroribus, & nimiū craſsis abuſibus improbare, quędā timidius defendere, de quibuſdam nimis modeſte & mitius quā ſtatus regni Pontificij ferat loqui, propterea quod in Germania educati clariſsimam Euangelii lucē etiam inuiti ſentiāt in teſtimonium ipſis. Inita igitur in exordio huius religionis fuit hęc ratio, vt in teneris annis pueri in quib⁹ ſpes aliqua videretur ingenij in hunc ordinem cooptarētur, & procul à luce Euāgelij quod Dei benignitate Germanię affulſit, Romam miſſi, ibi in mediis abominationibus educarentur, fingerentur & formarentur. (Notum eſt enim illud Vergilij: Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt. Item illud Terentij: Si quis magiſtrū ad eam rē cœperit improbum, ipſum animum ægrotū facile ad deteriorē partē applicat.) Et poſtquā viderētur imis viſceribus imbibiſſe abominationes & ſpurcities, quas meretrix Babylonica Apoc. 17. calice ſuo propinat, & ſatis eſſe charactere beſtiæ confirmati: vt tunc per Germaniam tanquā Locuſtarum examina diſpergerentur, ſi hoc forſan artificio Germania poſſet rurſus ſub iugum Pōtificiū reduci, & Eccleſiis lux illa quæ ex verbo Dei affulſit, eripi: aut certe obſcurari, ſi nō plane extingui, ſicut ſæpius locuſtarum examina eripiunt oculis ſolem lucemque diemque. Tibi igitur, ô GERMANIA & ſaluti tuæ, Ieſuvvitarum ſecta principaliter in exordio ſuæ creationis oppoſita fuit. Et

Pueros quærunt Ieſuitæ.

Germania primū excepit Ieſuitarum impetum

res

res notoria eſt:occuparunt enim iam examina illa Auſtriam,obſederunt Bauariam,& recens inuaſerunt magno ſtrepitu VVeſtphaliam, & proſpectãt iã de alueariis ſuis lati⁹ proferẽdis,& in illis quos occuparunt locis aperiũt ludos pro pueris, etiam illis qui prima literarum elementa diſcunt. Et vt multos ad auditoria ſua alliciãt,profitentur ibi nõ tantumTheologica,verum etiam ſtudia politioris literaturę:id quo cõſilio fiat,lector ex illis quæ diximus,intelligit. POSTREMO,Vetus eſt narratio de ruſtico quodam,qui cum in Hercynia ſylua maiorem ætatis partem conſumſiſſet,venit aliquando in vicinam vrbem, & incepit ſciſcitari à ciuibus, quis eſſet ipſorum Deus, illi reſpondent:Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem Pater nobis propoſuit Saluatorem,Redemptorem & Mediatorem. Ruſticus pergit per ciuitatẽ & obuios quoſque interrogat,cuius hoc eſt templum,quis ibi colitur, quem homines illic inuocant? *vver iſt dorth gnedig?*&c.Cumque omnes vicos vrbis percontando perreptaſſet,ſemper reſponſum eſt de Sanctis. Ruſtic⁹ igitur egreſſus vrbe,cepit exclamare:Quã hoc eſt mirabile:PaterDomini noſtri IeſuChriſti, eſt Deus huius ciuitatis,& in tota ciuitate ne vnũ quidem templum habet,ſed omnia ſunt occupata patrociniis,cultibus & inuocationibus Sanctorũ. Et inde forſan factum eſt,quod inter multa millia templorum,quę Sanctis dedicata ſunt,alicubi vnũ eſſe auditur, quod appelletur Saluatoris. Eodem plane modo in Papatu nullus fere ſanctorum eſt, cui non peculiaris ordo religionis conſecratus ſit, ſolus vero Dominus noſter Ieſus Chriſtus nullum inter ipſos ordinẽ habet. Quia igitur vident Pontificij ruſticos in hac Euangelij luce illud animaduertere,cœperunt cogitare,tandem etiã Domino noſtro Ieſu Chriſto,verbi gratia,eſſe locũ aliquem

Partes Germaniæ à Ieſuuitis primum occupatæ

Superſtitio Pontificia à ruſtico exſibilata

Idololatria Papiſtica.

Hæretici quærunt nomina, rē ipſam fugiunt.

dandum inter tā multos & varios Pontificiæ religionis ordines,& ſectam illam nuper natam,iuſſerunt vocari Ieſuvvitarū,vt ipſa appellatione fauorem illi apud Germanos cōciliarent,quaſi qui doctrinam & vitam Ieſu profiteantur & ſequantur. Quam verum autem ſit,poſtea videbimus.

Ieſuitici nominis Etymologia.

Porro, ſicut fieri ſolet, in re & appellatione noua variæ ortæ ſunt de Etymologia vocabuli diſputationes. Et ego ſane illam tantam Grammaticorum litem nolim meā facere, ſed varias opiniones recenſebo,& deinde lectori liberum permittā iudicium. Quidam Romano more quæſiuerunt Etymologiam,ſicut enim olim Romanorum imperatores dicebātur Aphricani,Germanici,Aſiatici, &c.nō quod amici & ſocij eſſent illorum populorum, ita dictos putāt Ieſuvvitas quaſi profeſſos & iuratos hoſtes Ieſu.Alij ex hiſtoriis veteris Teſtamenti παρονομασίας quæſiuerūt,dictos eſſe Ieſuitas, quaſi Eſauitas, vel certe Iebuſitas, & hiſtoriæ illæ non male ſane quadrant ad ſectā Ieſuvvitarū. Sed ſunt,qui contra diſputent,non eſſe quærendā Hebraicam Etymologiam, cum Romæ nata vel certe confirmata ſit illa appellatio.Contēdunt igitur dictos eſſe Ieſuvvitas,quod ſymbolū,regula & ſumma profeſſionis & vitæ ipſorum hæc ſit(Ieſum vita)Ego vero vt meas etiam cōiecturas in re & appellatione noua,afferā,arbitror ex Germanica lingua rationem appellationis poſſe commodius & melius inueniri,nec immerito,quia debētGermanorum eſſe Apoſtoli.Sunt autem duo potiſſimum in Germanica lingua idiomata: ſi itaq; iuxta idioma Germaniæ inferioris vocabulum examinetur, etymologia erit, Ieſu! vvijt, quaſi qui & ipſe lōge ſit à Ieſu & procul abducat à Ieſu.In idiomate vero Germanię ſuperioris dicitur,Ieſuvviter,quaſi Ieſu vvider.Eſt enim inter t & d ſymboliſmus vſitatus,

Margin notes: Ieſuitæ — Eſauitæ. Iebuſitæ. — Sūma profeſſionis Ieſuuiticæ. — Ieſuuiticū nomē, Germanicum.

tat*, vt Tumberr & dummer Herr. Et ſicut nomina ſępe ſũt fatalia, ita Ieſuvvitę ipſa appellatione præ ſe ferũt characterem beſtiæ Apocalypſeos, Vocatur autem homo ille peccati, à Paulo, ἀντικείμενος, à Iohanne Antichriſtus: Sicut igitur Germanice ad Verbũ diceretur Gottsvvider vnd Chriſto vvider, Ita hæc ſecta vocatur Ieſu vvider, oppugnãt enim præcipue nomen Ieſu, quod ipſe ſaluum faciat populum ſuum à peccatis eorum. Matt. 1. & Ac. 4. Nõ eſt aliud nomen datũ hominibus, in quo oporteat ipſos ſaluari. Sunt pręterea Grammatici quidã, qui per vſitatas in ſcholis figuras πρόσθεσιν ſcilicet & ἀφαίρεσιν etymologiam quærunt, & diſputant primam ſyllabam ſuperflue additam. Vero autem nomine ſine figura appellãdos eſſe Suitas, quos Horatius vocat Epicuri de grege porcos. Et durior ſanę videri poſſet hęc deriuatio, ſed ipſi oſtẽdũt tales etymologias in Põtificiæ religionis ordinib. eſſe vſitatas. Qui.n. vocãtur Canonici regulares, vita & factis demõſtrant ſe prima ſyllaba dẽpta, eſſe gulares, ſed vt dixi hãc etymologicã litẽ nõ faciã meã. Ieſu vvider. Suitæ.

Exponam autem lectori inſtituti mei rationem. Peruagati ſũt hactenus Ieſuvvitæ bonã partẽ Germaniæ, & pleriſque de nomine ſaltẽ noti fuerunt: quæ vero doctrina & fides ipſorũ ſit, vix pauci ſuſpicari potuerunt. Et non dubiũ eſt hæc omnia arte quadam ita inſtructa eſſe, vt nõ prius ſpurcities ſuas euomãt, & venena palam diffundant, quã lõge lateque nidos ſuos fixerint. Ante annos VIII. in Auſtria Catechesis quędam à Ieſuvvitis conſcripta edebatur, ſed ipſi nomen ſuũ non profitebãtur, & de pleriſque cõtrouerſis articulis, licet nõ obſcure indicabant, in quam ſententiam inclinarent: tamẽ timide & quaſi ſuſpẽſo gradu tergiuerſabãtur magis, quam aperte ſe explicabãt. Sed anno 60. Coloniæ ediderunt cenſuram quandã (ipſi, quia vicinos Doctrina & fides Ieſuuitarum ad tempus latuit. Catecheſis Auſtriaca. Cenſura Colonienſis.

habent iniquiores, prædicant eſſe valde doctã explicationẽ) de præcipuis locis doctrinæ Chriſtianæ, in qua manifeſte, craſſe, & impudenter ſe aperiût. Et cũ primũ eam legerem, optabam aliquem ex noſtris prodire, qui ex illa cenſura Germaniæ proderet myſteria Ieſuvvitarum, vt qui nomine iã eſſent noti, reipſa etiam innoteſcerent, quid in doctrina monſtri alant. Tãdem hortatu amicorũ, ipſe laborem hunc in me recepi. Nõ autem inſtitui vel pleniorem explicationem veræ ſententiæ vel iuſtam refutationem errorum. Hæc enim in aliis noſtrorum ſcriptis tradita extant: ſed tantùm volui Germaniæ monſtrare, quæ ſit forma doctrinę & fidei Ieſuvvitarũ, vtque illud breuius & ordine aliquo poſſẽ præſtare, per propoſitiones ſeu axiomata annotaui capita Theologiæ Ieſuvvitarũ, & verba ipſorum ſignatis etiam in cenſura Colonienſi foliis deſcripſi, vt linguam & mentem Ieſuvvitarũ lector quaſi in tabella ſpectare poſſet, quod ſi irritati hoc ſcripto, rurſus in aciem prodierint, & plenius ſe declararint, dabitur occaſio Germaniæ clarius monſtrandi, quid in medio ipſius ſinu ſentiãt & quærant Pontificiæ illæ creaturæ, & nõ difficile fuiſſet addere pleniores explicationes, ſed iudicaui lectori hanc rationem gratiorem fore. Sed ingrediamur iam penetralia Ieſuvvitarum, & qualis vox doctrinæ ibi ſonet auſcultemus.

Conſiliũ Authoris

DE SACRA SCRIPTURA.

Cur à S. Scriptura ſumat initium.

AB hoc articulo ideo ſumemus exordium. Solent enim in Eccleſia Pontificia ordines omnium religionum (quas Anshelmus propriè & venuſtè appellat facticias) in illius à quo nomen habent regulam iurare, illam à præſtantia & vtilitate & apud ſe probare, & aliis

aliis etiam miris & vere ſtupendis modis prædicare: Ita verbi gratia, Franciſcani regulam Franciſci, Dominicani regulam Dominici, non tantum ad cœlum vſque, ſed vltra cœlos cœlorum, nō dico iam emendicatis, ſed impudēter ementitis encomiis efferunt, vt facticiæ ſuæ religioni authoritatem concilient. Cum igitur noua hæc factio Ieſuvvitarum nomen Ieſu (vere ne an in vanum poſtea videbimus) ſibi aſſumat, vt prę reliquis omnibus ordinibus ipſa appellatione populo Chriſtiano ſe inſinuet, operæprecium eſt in principio obſeruare quid illius (à quo ſe nomen habere ſimulant) regulæ tribuant, & quam reuerenter de ea loquantur. Vocatur autem Scriptura Sacra, Canonica, ideo & inde, quia regula eſt fidei Chriſtianæ, & doctrinam Apoſtolorum, Pſal. 19. vocat Canonem, amuſsim ſeu regulam. Quod ſi Franciſcani omnia præcepta generis demōſtratiui in cōmēdanda Frāciſci regula abſumunt, quæ encomia Ieſuvvitis erunt conquirenda in celebranda authoritate Scripturę Sacræ, quæ regula eſt eius cuius ſibi nomen, ſicut lupus veſtimenta ouium, circundant. Audi igitur nuper creatæ factionis Pontificiæ axiomata de Sacra Scriptura.

Scriptura S. cur Canonica vocetur.

I. Scriptura ſacra eſt doctrina mutila, manca & imperfecta, quæ non continet omnia quæ ad fidem moreſque pie viuendi pertinent: ſed ille defectus ſarciendus eſt, aſſumento traditionum, quarum certitudo & veritas vſque adeo ex nullo autentico ſcripto poteſt probari, vt ab ipſis Pontificiis ideo appellentur tacitæ. Huius axiomatis ſententia extat fol. 220. in ſcripto Colonienſium.

Ieſvvitarum axiomata de S. Scriptura.

II. Sacra Scriptura in illis ipſis ſiue dogmatibus ſiue præceptis quæ continet & proponit, eſt veluti naſus cæreus, non præbens certam aliquam & immotam ſententiā, ſed quæ in quamuis inter-

pretationem flecti poteſt. Fol.117. Hoc eſt, ſicut Albertus Pighius loquitur, ſcriptura eſt veluti Lesbiæ cuiuſdam edificationis plumbea regula: Sicut enim hæc omni figuræ, ita Scriptura omni errori facile poteſt accommodari, quia flecti, duci, & in diuerſā etiā ſententiā trahi ſe facile patitur. Hæc impurum illud os euomuit.

III. Omnia & ſingula quæ in ſcriptura compræhenſa ſunt, tātis inuoluta ſunt obſcuritatibus, vt ne doctiſſimi quidē certam cognitionem inde colligere poſſint, niſi illam aliunde mutuentur, ex prætoria ſcilicet prælatorum Eccleſiæ interpretatione. Et ideo qui ſaluam volunt eſſe religionem, omnino debent Laicis interdicere in vniuerſum lectione Sacrarum literarum, Et inde ne quidem hiſtoriam paſſionis excipiunt: Artic. I.

De Lectione Scripturæ S. Ieſuuitarum Cēſura.

IIII. Lectio ſacræ ſcripturæ non tantum non eſt vtilis, ſed multis modis pernicioſa Eccleſiæ: Hæc enim Colonienſium ſunt verba fol. 21. vt audentius dicamus, nulla vnquam reperta eſt hæreſis, quæ non ex ſcripturis occaſionem acceperit, &c. Ita in colloquio Vvormacienſi, Pontificii nō potuerunt aliam magis cōtumelioſam vocem excogitare, quam ſi palam profiterentur, ſacram ſcripturam eſſe materiam litis. O felicem ergo & beatam Eccleſiam, ſi nulla vnquam ſacra ſcriptura à Spiritu ſancto fuiſſet inſpirata, & Eccleſię tradita. O quam præclarum ergo & ſalutare opus fecit Diocletianus, qui ſacros libros in medio foro combuſſit. Et quam rationem hiſce cenſoribus, ipſe Deus redditurus eſt? qui Eccleſiæ ſuæ tam male conſuluit, eo quod ſcripturam fontem & cauſſam omnis mali tradidit, ſine qua res Eccleſiæ multo melius, rectius, & tranquillius ſe haberent: ſublata enim eſſet occaſio hęreſeō & materia litis, ſicut ipſi loquuntur. Non inſtituam autem iuſtam refutatio-

tationem harum blaſphemiarum: volui enim hæc Ieſuvvitarum axiomata, nuda tantum recitatione Eccleſię proponere, vt quid noua illa factio mõſtri alat, vel à cæcutientibus palpari poſſit.

Si Franciſcanus de Frãciſci Regula tam inique ſentiret, & tam ſcabioſe (vt pingui vocabulo vtar) loqueretur, quam non bilem totus iſte ordo conciperet? Et populo Chriſtiano ne quærelæ quidem liberæ erunt, quando audiunt fœdiſsimas

Blaſphemę voces Ieſuuitarum adu. Scripturam S.

iſtas Ieſuvvitarum eructationes, tam contumelioſè conſpurcantes ſacroſanctam authoritatem Scripturæ. HOC VERO percommode cecidit, quod ipſe Sorex in primo ſtatim articulo ſuo ſe indicio prodat, quæ ſcilicet cauſſa ſit, quod de regula Chriſti, hoc eſt, de ſacra Scriptura tam contumelioſè loquantur, & omnes alios ita velint ſentire: Hæc enim ſunt poſt interdictam lectionem ſcripturæ ipſorum verba: Populus Eccleſiaſten audiant, Euangelion & Epiſtolam eius interpretatione diſcat, audita domi repetat, &c. O formidoloſam religionem, quæ tanto conatu etiam impio & nefario, cauet, ne doctrina eius ad Regulam Scripturæ ſacræ exigatur,

Ieſuitica Superſtitio, formidoloſa.

Ipſe filius Dei non tantùm hanc libertatem ſuis auditoribus concedit, ſed præcipit: Scrutamini ſcripturas. Et Act. 17. Berrhœenſes laudantur, quod quotidie ſcrutabãtur Scripturas, an illa quę à Paulo & Sila audierant, ita ſe haberent. Iebuſitæ verò volunt ſimpliciter à populo credi, quæ ab ipſis proponuntur, nulla habita ratione, an cum Scriptura ſacra conſentiant, an vero pugnent. Hac enim ratione vident religionem ſuam ſine magno negotio ſe poſſe probare, quæ alias periclitaretur. Et hæc eſt via illa compendiaria, quam Pighius quondam Paulo tertio Pontifici monſtrauit, in aſſertione Eccleſia-

D. Aug. Epist. 1. ad Volusian. tom. 2. fol. 5. Vide ibid fol. 8. 15.

Præcipue Apostolorum linguas exhortor ut legas, ex his enim ad cognoscendos Prophetas excitaberis, quorum testimoniis utuntur Apostoli

ſticæ Hierarchiæ: Non eſſe cũ Lutheranis ex ſcriptura diſputãdum: ex hac enim ratione plus damni, quam commodi hactenus accepiſſe Pontificiã eccleſiam, ſed ſimpliciter ponẽdum eſſe hoc principium: Quicquid Pontifex Romanus cum ſua cõiurata caterua decernit, ſtatuit, & proponit, ſtatim amplectendum & firmiter credẽdum eſſe, ſine vlla inquiſitione, an conſentaneum ſit ſcripturæ ſacræ, an vero manifeſte pugnet.

PLVTARCHVS in vita Demetrij venuſte dicit: Sicut Geometræ ſua quædam habent *αἰτήματα*, quæ non tam probant, quam poſtulant credi, ita eſſe *αἰτήματα* regia eos, quos arbitrantur ſuis cupiditatibus obſiſtere, è vita ſine iudicio tollere.

Impium *αἴτημα* Ieſuitarum.

Eodem modo Ieſuvvitæ in principio hoc *αἴτημα* flagitant, vt iudicium quod ex ſacra ſcriptura de quauis doctrina formatur, è medio tollatur, aliàs enim vident, ſe id quod volunt, non poſſe in tanta luce Euangelii obtinere. Et vt poſtulatũ hoc ſit vere, iuxta Plutarchum, regium, ita ſcribunt, fo. 136. Si Lutherus ante annos 40. ferro aut igne ſublatus fuiſſet, aut alii è medio ſuſtollerentur, non tot diſſidiis orbis concuteretur.

An cõtrouerſiæ in doctrina fidei ex ſola Scriptura diiudicari non poſſint.

PRÆTENDVNT autem, ideo controuerſias ex ſola ſcriptura diiudicari non poſſe, quia Iohannes dicit, Chriſtum multa feciſſe, quę nõ ſunt ſcripta. Sed hæc obiectio ab ipſis veteribus ſoluta eſt, quorum verba tantum adſcribam. *Aug. in Iohan. tract.* 49. Iohannes teſtatur, multa Dominum Chriſtum feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, electa ſunt autẽ quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur. Ita *Cyrillus in Iohan.* dicit, Nõ omnia, quæ fecit Dominus, conſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt ſufficere. Sed, ſicut dixi, non inſtitui nunc quidem

iuſtam

iuſtam refutationem, alias poſſem multa illuſtria teſtimonia de dignitate & authoritate S.Scripturæ,ex ipſa etiam antiquitate,cuius prætextu & oſtentatione tantopere ſe venditant, hiſce flagellatoribus Scripturæ opponere.Hoc vnum tantum addam:multis patrum teſtimoniis probant,eſſe in Scriptura loca quædam difficilia& obſcura,& inde inferunt: ergo omnia & ſingula in Scriptura ſunt obſcura,& illa per partes ita enumerant, vt ne hiſtoriam quidem paſſionis excipiant. Quam ſophiſticum autem hoc argumentum ſit,etiã pueri noſtri intelligunt.Et in hanc ſententiam citant etiam Irenæum & Auguſtinum, ſed veteratoriè illam diſtinctionem,quæ apud vtrunque extat,omittunt. Hæc enim perpetua eſt Auguſtini ſententia in libris de doctrina Chriſtiana: licet multa ſint in ſcriptura difficilia & obſcura, in illis tamen quæ manifeſtè poſita ſunt, inueniri omnia, quæ ad fidem moreſque videndi pertinent. Hæc enim ſunt ipſius verba: Item, nihil ferme de obſcuritatibus illis eruitur,quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.Et epiſtola tertia diſputans de profunditate Chriſtianarum literarum, addit hanc correctionem:Non quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in ſcripturis perueniatur difficultate,&c. *Irenæus* in illo ipſo loco quem citant Colonienſes lib. 2.cap.47.diſtinctè loquitur de illis,quæ in ſcripturis ſoli Deo ſint committenda. Hæc enim ſunt eius verba: Habentes itaque regulam ipſam veritatem, & in apertum poſitum de Deo teſtimonium, non debemus per quæſtionem declinantes in alias atque alias abſolutiones eiicere firmam & certam de DEO ſententiam.Et mox:Quædam in ſcripturis abſoluamus ſecundum Dei gratiam, quædam autem commendemus DEO. Et inter hæc exempli gra-

Perpetua Auguſtini ſententia de S. Scriptura

tia numerat hanc quæſtionem: Si quis interroget, antequam mundum faceret Deus, quid agebat. Et poſtea inquit: Si ad hunc modum quædam quæſtionum Deo commiſerimus, & fidem noſtram ſeruabimus, & omnis ſcriptura à Deo nobis data conſonans inuenietur, & parabolæ iis quæ maniſeſtè ſunt dicta, conſonabunt, & maniſeſtè dicta abſoluent parabolas, &c. Hoc modo veteres diſtinctè loquuntur, quādo de obſcuritate ſcripturę diſputant, diſertè enim affirmāt, ea quæ ſaluti neceſſaria ſunt, apertè & maniſeſtè in ſcriptura poſita eſſe, quæ non alia dogmata, ſed eadem habeat in promptu, quæ in reconditis, ſicut Auguſtinus loquitur Epiſtola 3. & tradunt regulam, quomodo loca obſcuriora interpretanda ſint ex maniſeſtioribus. Hæc Ieſuvvitæ veteratoriè ſupprimunt, inuoluunt, & deprauant, vt totam ſcripturam infamem reddant. Donum ſane interpretationis non eſt commune omnibus. Paulus enim dicit 1. Corint. 12. Vni per Spiritum datur donum linguarum, alii interpretatio linguarum. Et Act. 8. Eunuchus dicit, quomodo poſſum intelligere quæ lego, niſi ſit qui quaſi viam præmonſtret? Philippus vero non ideo dicit: abiice ſcripturam, deteſtare eius lectionem, ſed interrogando & reſpondendo monſtrat fontes & fundamenta interpretationis, & veræ ſententiæ: ita vt Eunuchus ipſe, ex illa manuductione Philippi cognoſcat & certo intelligat, quæ ſit illius loci, quem legebat, ſententia. ILLVD VERO artificium eſt dignum tali ſecta, quod pulcherrimas illas ſententias Pſalmi 19. & 119. (præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c.) ita ludificant: loquitur, aiunt, de ſolo præcepto legis diuinæ, non de ſcriptura. Atqui Deus ipſe ſcripſit Decalogum, & Moſes

Paralogiſmus Ieſvvitarū.

Deut.

Deut.31. reliqua legis præcepta ſcripſit, & tradidit ſcripturam illam Sacerdotibus & Senioribus. Quæ igitur eſt illa quæ fingitur differentia inter præcepta legis,& inter ſcripturam? forſan obſcure alludunt ad Thalmudicas δευτερώσεις Iudæorum,non ſcriptas, ſed per manum traditas & illis (quia Ieſuvvitarum diis ita placet) tribuunt lucem illuſtrantem corda (traditionibus certe & ſcriptis Patrum manifeſte hoc tribuunt) præceptis vero ab ipſo Deo, & iuſſu Dei per Moſen ſcriptis tribuunt caliginem & tenebras. QVOD SI QVÆRAS, quæ cauſſa ſit,quod tanto conatu fideles deterrent à lectione ſacræ Scripturæ? Reſpondent, Pietas non attendit, quali agnitione credatur, ſed magis quanta deuotione quod creditur diligatur, hoc eſt, ſi ipſorum verbis planius dicatur: Volunt Eccleſiam rurſus in Babylonicam ſeruitutem fidei implicitæ coniicere, quæ nec ſciat, nec cogitet, nec quærat, num in certis & perſpicuis verbi Dei teſtimoniis fundata ſit, ſed tantùm ſeruet capitulum: Si Papa. Eſt enim fides implicita, ſimpliciter ſeruilis opinio, non ex verbo Dei, ſed ex humana perſuaſione concepta. Atqui hæc non eſt vera illa fides quam ſcriptura celebrat. Quid igitur ab illis expectes, qui talia ſumunt profeſsionis ſuæ principia, quod ſcilicet ſacram Scripturam ex ciuitate Dei proſcribunt, & veram fidem, quæ ex verbo Dei & concipitur & alitur, ſepultam & extinctam volunt?Non autem addam pleniorem refutationem,nunc enim tantum inſtitui doctrinam factionis Ieſuvvitarum ex cenſura Colonienſium colligere,& quam fieri poterit breuiſſime in certis articulis,quaſi in ſynopſi quadam,veræ Eccleſiæ ſpectandam proponere, vt quid monſtri ſub nouitia illa Hypocriſi lateat, ab omnibus depræ-

Cur Ieſuuitæ deterrent fideles à lectione Scripturæ.

Fides implicita quid.

hendi poſſit. Hoc igitur modo Ieſuvvitæ regulam Ieſu, quem ordinis ſui authorem mentiuntur, tractant.

DE PECCATO.

Agnitio vera peccati quàm neceſſaria.

VNum eſt ex præcipuis doctrinæ cœleſtis capitibus, vera agnitio peccati, ſicut Chriſtus inquit: Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato: nec poteſt intelligi magnitudo beneficii Chriſti, ſi ignoretur quid ſit peccatum: ſicut vulgo dicitur ad ſanitatem gradus eſt, vere nouiſſe morbum: & ſi admittatur hallucinatio in doctrina de peccato, ſequitur ruina in reliquis omnibus articulis. Videamus igitur quomodo nouitium illud genus creaturæ Pontificiæ philoſophetur de peccato. Et tantum axiomata illorum recitabo, ſignatis foliis, ne querantur me aliquid ad prægrauãdũ facticiam illam religionem fingere.

Definitio peccati.

I. Diſerte reiiciunt & explodunt illam definitionem, Quicquid legi Dei repugnat, eſſe peccatum, fol. 46. Atqui hanc definitionem ipſe Spiritus ſanctus, & quidem totidem verbis tradidit, 1. Iohan. 3. peccatũ eſt *ἀνομία*. Et hoc vocabulo in multis aliis ſcripturę locis peccatum deſcribitur. Paulus Roma. 3, inquit: Per legem agnitio peccati. Roma. 5. Vbi nõ eſt lex, peccatum non imputetur. Roma. 7. Peccatum non agnouiſſem, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces. Deum immortalem, quanta impudentia eſt, has manifeſtiſſimas ſententias, imo ipſas voces Spiritus ſancti in Eccleſia negare. Vere non iurarunt Ieſuvvitæ in verba Chriſti, ſed coniurarunt contra ſententiam, & quidem contra ipſa verba Spiritus ſancti. Negant enim, quicquid legi

legi Dei repugnat, peccatum eſſe. Olim Sophiſtæ vt ingenia oſtentarent, quærebant materias ἀδόξους, quas Gellius vocat infames, ita videntur Ieſuvvitę aucupari famam Eſauiticę eruditionis, ſi auſint contra manifeſtiſſima doctrinæ cœleſtis principia diſputare. Quale hoc eſt: Quicquid legi Dei repugnat eſſe peccatum, Paulus enim Roma. 7. legem peccati ita definit, Repugnantem legi mētis meæ. Et quæ illa lex ſit declarat, cum inquit, Condelector legi Dei, ſecundum interiorem hominē: ſed ſiſte cādide lector. Nondū enim habes omnes gradus impudentiæ Ieſuvvitarum. Nam poſtquam illud principium reiecerūt, quicquid legi Dei repugnat, peccatū eſſe, dicunt & edicunt, quicquid pugnat cum traditionibus Pontificū, cum inueterata errorū conſuetudine, & cū receptis abuſibus, tam horrēdum eſſe peccatum, vt quicunque cōtra legem & authoritatem Pōtificiæ Eccleſiæ, filij Dei inſtitutionem & teſtamentarium mandatū ſecutus, vtranque ſpeciem in communione ſumſerit, non fructum aliquem ſalutis, aut gloriam, ſed perditionem æternam, & perpetuam reportet ignominiam: fol. 309. Et hic allegant illud Iacobi: Qui offendit in vno, factus eſt reus omnium, & hæc ſcilicet ſententia vera eſt de traditionibus pugnātibus ex diametro cum verbo Dei, non autem vera eſt de lege Dei, quia ſicut Ieſuvvitis placet, falſum eſt, quicquid legi Dei repugnat eſſe peccatū. Quæ poteſt profligatior eſſe impudentia, & vel ex hoc ſolo vngue potes cognoſcere rugientem illum Leonem de quo Petrus concionatur.

Ieſuuitæ, Sophiſtæ.

Gradus impudentiæ Ieſuuiticæ.

Vid. in Examine Concil. Trid. fol. 196

II. Quæſiui igitur quam nam cenſores iſti definitionem peccati cōſtituāt, & inueni hanc: Peccatum eſt nō quicquid legi Dei repugnat, ſed hoc proprie vocatur peccatū, quod libera volūtate, & à ſciente committitur, fol. 44. item peccatum nihil

Ieſuuitica definitio peccati.

eſt. Peccatũ eſt priuatio & boni abſentia, volũtatiſque à lege diuina auerſio, tãque eſt volũtariũ, vt ſi voluntas nõ foret, peccatũ nõ eſſet, fol. 46. Aliud nihil de hac definitione dicã, quã quod lectorem velim cõmonefactũ, vt cogitet id, quod apud Auguſtinum extat, Pelagium olim cũ vellet euertere doctrinã de peccato originis, arcẽ quaſi cauſſæ ſuę collocaſſe in hac definitione: Si enim illud tãtũ vere & proprie eſt peccatum, quod libera volũtate à ſciẽte cõmittitur, ergo vitiũ originis, quãdo Dauid in peccatis concipitur & naſcitur, non eſt vere & proprie ex ſe, & natura ſua peccatũ, ſed improprie, & abuſiue ita vocatur. Notum eſt etiã, quantũ negocij fecerit Auguſtino, in diſputationibus de peccato originis contra Pelagium, hæc ſententia: ad rationem peccati pertinere, vt ſit voluntarium.

Pelagii hæreſis à Ieſuuitis renouata.

De peccato originis.

III. De peccato originis nõ manifeſte ſe aperiũt quid ſentiãt, & tamẽ quid velint, nõ obſcure colligi poteſt: nã fol. 28. monent, ne quis peccata hominũ, aut naturam nimium exaggeret, vt nihil in ea boni inſit. Et fatẽtur Gẽ. 8. Hebręis ita haberi, quoniam figmentũ cordis hominis malũ ab adoleſcẽtia ſua: ſed quia Rabbini Hebręorũ ſecus interpretantur, dicunt Ieſuvvitæ ſenſum eſſe: in corde humano tantũ eſſe pronitatem ad malum, & illã rationi & arbitrij libertati in nõ renatis, ſine Spiritu ſancto eſſe ſubiectam, tali ſubiectione, qua vix maior eſt, ita vt nihil quicquam agere poſsit teipſo nõ annuẽte, f. 33. Et meminerit lector diſputationẽ eſſe, non tantũ de externa diſciplina, ſed in genere de deprauatione humanæ naturæ. Hęc quãtum abſint à Pelagianiſmo æquus lector iudicet. Certe Pelagius ita locutus eſt, ſicut recitat *Auguſtinus* 2. de bono perſeuerãtiæ, ca. 11. ignorãtiã & difficultatem, ſine quib⁹ nullus homo naſcitur, eſſe primordia, nõ ſupplicia naturæ. Et de peccato originali, libro 2. ca. 13. omne bonum vel malum, quo vel lau-

dabiles vel vituperabiles ſum⁹, nõ nobiſcũ oritur, ſed agitur à nobis: capaces enim vtriuſque rei nõ pleni naſcimur, & vt ſine virtute, ita & ſine vicio procreamur, atq; ante actionẽ propriæ voluntatis id ſolũ in homine eſt, quod Deus cõdidit. Prçclara vero eſt *Auguſtini* ſententia de natura & gratia, c. 53, Quid tantum de naturæ poſſibilitate præſumitur vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt. Vera confeſſione non falſa defenſione opus habet.

IIII. Fol. 40. aſſeuerant, poſt ſuſceptum baptiſma peccatum in renatis nullũ remanere, vel quod apertum ſit, vel etiam quod tegatur vel operiatur. Bone Deus! quãta eſt impudẽtia iſtorum hominũ, cum Roma. 4. conſenſus veteris & noui Teſtamẽti hic cõſtituatur, Beati quorum tecta ſunt peccata. Ieſuvvitæ contra dicũt: Beati qui nullum omnino habẽt peccatum ſiue tectum ſiue apertum. Quod ſi obiiciatur ſententia. 1. Iohan. 1. Si dixerimus quod peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: Excipient, ſcripturã eſſe obſcuram, & quaſi naſum cæreum: quid autem faciẽt *Auguſtino*, qui in Pſalm. 31. inquit: Qui ſunt beati? non in quibus non inuenerit peccatũ, nã in omnibus inuenit, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet, vt non ſint beati niſi quorum remiſſa ſunt peccata. Eandem ſententiam illis ipſis ferme verbis repetit *Bernardus*, Sermo 23. ſuper cantica. Et *Auguſtinus* de bono perſeuerantiæ, lib. 2. cap. 5. inquit, Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem iuſtum in hac vita nullum habere omnino peccatum, &c. Agnoſcant igitur tandem Ieſuvvitæ quorum ſint diſcipuli & ſectatores.

Peccatũ an nõ remaneat in renatis poſt ſuſceptum baptiſmũ

V. Magnas agitãt tragœdias, cõcupiſcentiã quæ reliqua eſt in renatis, licet repugnet legi Dei, tamen nõ eſſe proprie, vere, in ſe, vel ex ſe, & ſua na-

An cõcupiſcentia in renatis non ſit peccatũ.

tura peccatum. Hæc enim ſunt ipſorũ verba fol.39. & ſequẽtibus. Hic mihi venit in mẽtẽ quod *Auguſtinus* dicit contra Iulianum, lib.6.cap.6. Ergo per baptiſmum, ipſa cõcupiſcẽtia ſanctificatur, vt quæ ante baptiſmum erat in ſe & natura ſua res mala, diſplicens Deo, & digna morte æterna, iã poſt baptiſmum ſit ſancta Dei filia, quæ in ſe & natura ſua iã nõ ſit amplius res mala & diſplicens Deo. Quãta hæc eſt abſurditas? Quare vero tãtopere tumultuentur in hac diſputatione, ipſi explicant fol.194. vt ſcilicet hęc fulcra regni pontificij ſtabiliãt: Hominẽ renatum in hac vita perfecta obediẽtia poſſe legi Dei ſatis facere. Item, bona opera renatorum poſſe conſiſtere in iudicio Dei, & opponi iræ diuinæ. Item, hominem in hac vita poſſe eſſe ſine peccato, vt hæc non ſit perpetua beatitudo hominis in hac vita: Beati quorum tecta ſunt peccata.

Blaſphemę voces Ieſuuitarum.

Pelagiani & Ieſuuitæ in eodem errore verſãtur.

AD ARGVMENTA, quia non inſtitui iuſtam refutationem, hoc tantum dicam: Iulianum plane eodem modo argumentari apud Auguſtinum, lib. 6.cap.6. Si reatus concupiſcentię in baptiſmo ſolutus eſt, ergo poſt baptiſmũ ampliùs nõ eſt res mala. *Auguſtinus* vero ita reſpondet: Dicimus reatũ cõcupiſcentię, nõ quo ipſa rea erat, neq; enim perſona aliqua eſt, ſed quo reum hominẽ originaliter faciebat, remiſſum & ſolutum eſſe: ipſam vero eſſe malã, ita vt ab ea poſtea regenerati deſiderent atque optent ſanari. Hæc Auguſtinus. EST AVTEM puerilis illa fallacia, qua tantopere glorian tur Ieſuvvitæ. In baptiſmo fit per gratiam plena & perfecta remiſsio omniũ peccatorũ, ergo in renatis nullũ omnino manet peccatũ. Aliud enim eſt remiſſio peccati, quæ tollit reatũ, aliud mortificatio, abolitio ſeu deſtructio peccati: quod ſi dixerint in baptiſmo per gratiam ipſum malum peccati non tantum mortificari, vt nouus homo de die in diẽ

Paralogiſmi ieſuuitici refutatio.

renoue-

renouetur,2.Corin.4.ſed penitus deleri,extingui, aboleri & extirpari,ita vt nihil amplius mali habitet in carne renatorum:Repugnabunt non tantum multæ manifeſtiſſimæ ſententiæ Scripturæ, ſed & omnium vere piorum quotidiana experientia.

MVLTAS congerunt ſententias ex Auguſtino: ſed non debebant ignorare,qui tãtopere oſtẽtant lectionem antiquitatis,ipſum Auguſtinũ ſe declaraſſe: Nam libr.5.contra Iulianum cap.3.extat illa obiectio Iuliani:Si concupiſcẽtia reliqua proprie non eſt peccatum,ſed tantum pœna peccati, ſicut Auguſtinus dicit ,ergo nõ eſt res mala,ſeu vituperãda,ſed potius laudãda.Ibi *Auguſtinus* reſpõdet: Sicut cæcitas cordis & peccatũ eſt,quo in Deũ nõ creditur,& pœna peccati,qua cor ſuperbũ digna animaduerſione punitur,& cauſſa peccati,cũ mali aliquid cæci cordis errore cõmittitur.Ita cõcupiſcentia,aduerſus quã bonus cõcupiſcit Spiritus & peccatũ eſt,quia ineſt ei inobediẽtia contra dominatum mentis,& pœna peccati,quia reddita eſt meritis inobediẽtiæ,& cauſſa peccati, defectione conſentientis vel contagione naſcentis.Et li.2.cõtra Iulianũ:lex peccati in baptiſmo remittitur,nõ finitur.In Iohannem tractatu 42.Non regnet peccatũ:non ait non ſit,ſed nõ regnet,quamdiu enim viuis,neceſſe eſt peccatũ eſſe in mẽbris tuis ,ſaltẽ *illi* regnum auferatur,non fiat quod iubet:& hanc ſententiam iiſdem verbis repetit in Pſalm.50.75.& de perfectione iuſtitię.Sed nolo iã ſingula hęc perſequi,tantum enim axiomata doctrinæ Ieſuvvitarũ colligo. Et ſumma ſententiæ ipſorum hæc eſt: cõcupiſcentiã in baptiſmo per gratiã credẽtibus non tantùm remitti,vt non imputetur ad damnationem,ſed hoc effici,vt ipſa concupiſcentia in ſe & ſua natura non ſit amplius mala & diſplicens Deo,& etiamſi Deus cum illa vellet in iudicium

Auguſtinus aduerſatur totus Dogmati Ieſuitarũ de Cõcupiſcentia.

intrare,remoto gratiæ vmbraculo,non tamē poſſet reum facere æternæ damnationis,fol.38. Item concupiſcentiæ reliquæ in renatis non opus eſſe, vt poſt baptiſmū obedientia Chriſti,& gratia Dei tegatur & operiatur, quia in ſe & ſua natura non ſit amplius aliquid diſplicens Deo, fol.40.De hac ſententia liberè iudicent omnes ſani.

Sententia Auguſtini de operibus infideliū.

VI. Auguſtini dogma eſt:opera non renatorū, quantūuis videātur ſpecioſa,inter peccata recenſenda eſſe.ita enim inquit contra Iulianū,lib.4.ca.3.Si gentilis nudum operuerit,periclitantē liberauerit,ægri vulnera fouerit,ad teſtimonium falſum nec tormētis potuerit impelli,nūquid quia nō eſt ex fide,peccatum eſt?prorſus inquantum nō eſt ex fide,peccatum eſt.Sed Ieſuvvitę pronūtiant fol.29. Durū profecto eſt tale aliquid docere: Itē dogma iſtud nimis παράδοξον eſt.Extat etiam apud Longobardum hæc ſentētia citata ex Auguſtino de vera innocentia,cap.56.omnis vita infidelium peccatū eſt,& nihil bonum ſine ſummo bono. De hac poſtillator quidā Ambroſius Spiera dicit:crudelis eſt illa ſentētia.ſed cōſideret lector,quid hinc ſequuturū ſit,ergo mala arbor poterit bonos fructus facere.Et falſa erit Chriſti ſentētia,arborem eſſe faciendam bonā,ſi fructus debent boni eſſe. Aliquid igitur quod non eſt ex fide, nihilominus non erit peccatum,contra Paulū.Et notet lector Ieſuvvitas ſentētiam illam Pauli,plane eodē modo deprauare ſicut Iulianus apud Auguſt lib.4.eam reſtringit ad ſolos cibos legales.Sed quorſum illa Ieſuvvitica tendunt?Reſpondeo,vt meritum Cōgrui ſtabiliatur,ſecundum quod gratia detur.Imo vt Traianus qui in infidelitate ex hac vita diſceſſit, poſſit per Monachorū ſuffragia poſt mortē ſaluari, ſicut impudenter mentiūtur.Quas vero afferāt rationes contra Auguſtinum,audi.non ſatis,inquiūt,accōmodum

Ieſuuitæ Auguſtinum impugnant, ſed operā ludunt.

modũ eſt hoc dogma ,his quæ doctores hac tépe-
ſtate aſſeuerant.Item dogma illud ſub anathema-
tis interminatione damnatũ eſt in Tridétina Syn-
odo Canone 7.Graues ſane rationes,propter quas
reiicienda ſit,& Scripturæ,& antiquitatis ſenten-
tia.Extat enim illa ſententia etiam apud Ambro-
ſium de vocatione gentium,libr.1.cap.3.ſine cultu
veri Dei,etiam quod virtus videtur eſſe,peccatum
eſt.Et Auguſtinus de ciuitate Dei,lib.19.cap.35.di-
cit : verius eſſe vitia quam virtutes. SED QVI-
DAM,aiunt,ex veteribus aliter quam Auguſtinus
ſenſerunt. Dicant igitur Ieſuvvitæ diſerte , quid
ſenſerint quidam ex veteribus de operibus infi-
deliũ.Iuſtinus in vtraque Apologia diſputat:Eth-
nicos qui ſecundum rectam rationem vixerunt, (Errores quorundã veterum de infidelium operibus.)
quales apud Græcos fuerunt Socrates & Heracli-
tus,fuiſſe Chriſtianos,& Chriſtum ipſis non fuiſ-
ſe ignotum,Clemens primo Stromatum dicit :per
ſe quoque aliquando Grçcos iuſtificabat Philoſo-
phia.Ité,ſicut lex Iudæis fuit pędagogus ad Chri-
ſtũ:ita philoſophia Grçcis.Epiphanius dicit quoſ-
dã ſine lege Moſis & gratiæ , ſola lege naturæ ſal-
uatos.Hæc Ieſuvvitæ proferre non audent, ſunt e-
nim palam impia.Interim, ſicut conductitij Rhe-
tores,ſtrepitu allegationum fucũ faciunt:vt,quod
Auguſtinus ex Scriptura tanta aſſeueratione affir-
mat,ipſi reiicere & negare auſint,& tamen de cõ-
ſenſu veræ antiquitatis nuſquam non gloriantur.

VII. De veniali peccato ita loquuntur,fol.194. (De Peccato veniali.)
Leuia illa peccata,in quæ quotidie labimur , non
ſunt talia,quæ nos ſordidos & Deo exoſos reddãt.
Ité,Leuia illa nec impios nec malos nos efficiunt,
neq; operũ noſtrorũ obſunt efficaciæ. Nota lector
hãc diſtinctioné iuxta Ieſuvvitarum Theologiam:
Quædã quæ legi Dei repugnant,nullã omnino ha-
bét rationé peccati:Quędã vero quę peccata ſunt

contra legem diuinam,adeo ſunt leuia,vt non ſint digna,quibus Deus iraſcatur,ſed in ſe & ſua natura,ſunt digna venia. Olfacio enim in iſtis verbis Ieſuvvitarum fœtores Theologię ſcholaſticę. Bonauentura dicit:De veniali peccato per ſe non eſt neceſſe pœnitere,ſed tantũ quia præparat ad periculũ.Idẽ dicit:Adulto debet diſplicere originale peccatũ,nõ tamen neceſſe eſt,vt propterea cõteratur,quia nõ eſt actu noſtro cõmiſſum.Thomas dicit:Venialia ſunt reparabilia ſine virtute diuina & diſputat quã facilibus remediis curẽtur,vt non opus ſit cõtritione nõ fide apprehendẽte Chriſtũ, ſed tãtũ aſperſione aquæ benedictæ, benedictione Epiſcopali,& ſimilibus nugis.Idẽ cõtra Anshelmi ſententiã ita concludit:Irrationabiliter dicitur ꝙ primi motus cõcupiſcentiæ etiã in infidelibus ſint peccata.Idẽ Ieſuvvitæ cõfirmãt,fol.88. Nihil enim in toto Papatu tam impudenter dictum eſt,quod Ieſuvvitæ non palã affirmare & defendere auſint.

Scholaſticorum errores de peccato veniali.

Sicut quondam Franciſcanus quidã Coloniẽſis nõ veritus eſt dicere,concupiſcentiã eſſe rem bonã,ſicut lumen ſolis.inquit enim : Si præciperetur carni,non concupiſces,perinde eſt ac ſi Deus pręcipiat Soli & Lunæ ne lucerent , igni ne arderet. Hæc enim omnia agunt vi naturę impellente.SED OPPONO breuem,ſolidam & immotã refutationẽ. Certũ eſt mortalia ideo vocari peccata,quia repugnant legi Dei. Extat autem perſpicua ſententia in Moſe,quæ etiam à Paulo repetita eſt:Maledictus omnis,qui nõ permãſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis. Ergo quicquid repugnat legi Dei,in ſe,& natura ſua , dignũ eſt æterna maledictione.Hoc argumẽtum nulla cauillatione poteſt eludi.Iacobus loquens de peccato in ſe,& natura ſua cõſiderato,dicit:Qui delinquit in vno,reus factus eſt omniũ.Et Mat.5.Chriſtus reprẽhẽdit plane

Franciſcani cuiuſdã matæologia.

Peccata omnia ſuapte natura & in ſe conſiderata, mortem merentur æternam.

ſimilē diſtinctionē Phariſęorū,qui fingebant quędam mandata legis eſſe magna,quædam vero minima,quorum tranſgreſſio per ſe leuis ſit,non obnoxia iudicio & iræ Dei, etiamſi Deus cum illis in iudicium intret. Quam grauiter vero Chriſtus intonet de minimis etiam apicibus legis notum eſt. Sed inquit,tamen Paulus cum fatetur Rom. 7. peccatum in carne ſua habitare, mox addit:Nulla nunc condemnatio eſt in his, qui in Chriſto Ieſu ſunt:de alio vero peccatorum genere dicit, Qui talia agunt,regnum Dei non poſſidebunt. Ergo vera eſt diſtinctio peccati mortalis & venialis. Reſpondeo,non nego,nec improbo veram illam & neceſſariam diſtinctionem:Sed hoc dico.Iebuſitica illa pecora,fundamenta huius diſtinctionis non intelligere,ſed deprauare. Sunt ſane gradus peccatorum,ſicut Chriſtus ad Pilatum dicit, Iohan. 19. Qui me tradidit tibi,maius peccatum habet.Et Matth.11.Sodomitis in die iudicii tollerabilius erit, quam Capernaitis. Sed tamen non hoc vult vera illa diſtinctio: peccatum quando per ſe, & in ſe,iuxta legem conſideratur,aliud eſſe mortale,aliud vero veniale, hoc eſt, per ſe venia dignum.Stat enim ſententia Dei:maledictus qui nō permanet in omnibus,quæ ſcripta ſūt in libro Legis.Neque hoc verum eſt,in infidelibus aliud eſſe peccatum mortale,aliud veniale, quia ſcriptū eſt: Qui non credit in Filium,ira Dei manet ſuper illum,ſicut Anſhelmus recte dixit.Illa etiam nō eſt ſententia huius diſtinctionis, quaſi ſit quoddam peccatum,quod ſanguine Chriſti non poſſit deleri,vel quod pœnitentiam agentibus, & in Chriſtum credentibus non remittatur. Vera enim eſt Ambroſij ſententia,quam Thomas allegat:Omne peccatum per pœnitentiam fit veniale. Quid igitur facit diſcrimen illud,vt aliud ſit peccatum ve-

Ieſuuitæ diſtinctionem mortalis & venialis peccati deprauant.

Nulla in infidelibus ſunt peccata venialia.

Vnde diſcrimen illud mor

talis & veniale, aliud mortale? Reſpondeo. Non ſubſtantia peccati, vt ita dicam, ſed perſona quæ vel retinet pœnitentiam & fidem, vel excutit. Paulus enim habet peccatum, Roma.7. Illud vero non damnat Paulum, ſed eſt veniale, non quod per ſe res tam leuis ſit. Aliud enim teſtatur triſtiſſima illa querela, Rom.7. Sed, quia retinet pœnitētiam, cui diſplicet illa deprauatio, & repugnat ei, retinet etiā fidem, quæ in Chriſto quærit & appræhendit ſolutionem ſeu remiſſionem peccati. Et meritum Chriſti in pœnitentibus & credētibus omnia peccata tegit, ne imputentur. Illi vero peccatores, de quibus Paulus loquitur 1. Corinth. 6. Gal. 5. Eph.5. Coloſſ.3. delectantur commiſſione peccati, quærunt occaſiones perpetrandi. Ibi certe nulla eſt pœnitentia. Et ſcriptum eſt: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. Item quærunt vt cumulent peccata, pergunt & perſeuerant in ſceleribus, ibi certe nulla vera eſt fides, quia fidei proprietas eſt, quærere, vt à peccatis ſoluatur. Vbi vero nulla eſt pœnitentia, nulla vera fides, ibi Spiritus ſanctus non eſt, ibi Chriſtus non habitat, ibi nulla fit applicatio meriti Chriſti. Et extra Chriſtum potentia peccati lex eſt, 1. Corinth. 15. iuxta dictum: Maledictus omnis, qui, &c. Hæc alias plenius explicabuntur, nunc tantum volui oſtendere Ieſuvvitarum Theologiam nihil habere ſani de vera agnitione peccati. Et poſita deprauatione huius articuli, non mirum eſt, ipſos tā leuiter poſtea & defunctorie de articulo Iuſtificationis agere: quibus enim peccatum tam leue quiddam habetur, quid illi de redemptione in ſanguine Chriſti magnifice ſentirent? quidni operibus noſtris omnia tribuerent? Sed volui tantum proponere axiomata Ieſuvvitarum, vt lector cōſideret, quam craſſa ſit factionis iſtius impudentia.

DE

DE LIBERO ARbitrio.

IN hoc articulo non multa nunc diſputabo,ſed tãtum inſtituam collationem,&,Deo bene iuuante, manifeſte oſtendam Ieſuvvitarum doctrinam de LIBERO ARBITRIO,ſimpliciter & ex profeſſo eſſe Pelagianam. Oſtendam etiã quam malitioſe, & falſo citet Auguſtini quaſdam ſententias. Et ex hoc ſolo articulo depræhẽdi poterit Ieſuvvitis recte conuenire illud Ciceronianum: Qui ſemel verecundiæ fines tranſiit,illum oportet gnauiter impudentem eſſe.

Ieſuuitarum doctrina de libero arbitrio eſt ex profeſſo Pelagiana.

ARBITRII igitur libertas,de qua hic diſputatur,non intelligitur renouatio hominis per Spiritum ſanctum,ſed facultas,quæ in hac deprauata natura ante renouationẽ & ſine renouatione Spiritus ſancti adhuc reliqua eſt: vt quæſtio ſit, non quid homo renatus per Spiritum ſanctum velit, poſſit,& faciat. Et vt diſtinctius dicam, non eſt quæſtio: An in hominis arbitrio ſit poſitum mouere pedem dextrum vel ſiniſtrum,ſicut Valla diſputat: vel curuare digitum, ſicut Pelagianus apud Hieronymum dicit. Nec quæſtio eſt de diſciplina morali rationis. Illud etiam Auguſtinus extra cõtrouerſiam ponit: Hominem in malo habere liberum arbitrium,& quale hoc ſit explicat. Sed quæſtio eſt quid liberum arbitrium naturale,quale eſt ex prima natiuitate,valeat & poſſit in rebus ſpiritualibus,ſeu ad ſalutem pertinentibus. Nam quãdo mens & volũtas renouari cœpit per Spiritum ſanctum,dicimus cum Auguſtino de gratia & libero arbitrio,cap.16. Certum eſt,nos velle,cum volumus: ſed ille facit,vt velimus,qui operatur velle,&c. Itẽ de correptione & gratia c.2. Intelligant,

Arbitrii libertas, quo ſenſu accipienda in hac quæſtione

Status cõtrouerſiæ de libero arbitrio.

ſi filii Dei ſunt,ſe ſpiritu Dei agi,vt quod agẽdum eſt agant,& cũ egerint,illi à quo aguntur gratias agant:aguntur enim vt agant,non vt ipſi nihil agãt.Hæc ideo dico,ne per æquiuocationes terminorum res ipſæ turbentur.

Artificiũ Ieſuuitarum à Pelagio mutuatum.

I. Igitur dicunt Ieſuvvitæ fol. 11.Sãctiſſime dicitur,abſque diuino auxilio, nihil nos quod bonũ ſit operari poſſe.Quis hic aliquid fraudis ſuſpicetur?ſed & hoc artificium à Pelagio mutuati ſunt, vt per veriſimiles locutiones,inuidiam declinent, & maiori cum fœnore fallant. Auguſtinus enim contra duas epiſtolas Pelagii lib.1.cap. 19. refert, Pelagium cum videret,ſe nimium craſsis & pinguibus propoſitionibus pios ſtatim offendere & abalienare,tandem cœpiſſe ita loqui:In omni opere bono hominem ſemper adiuuari à gratia. Et lib.4.cap.6. recitat hanc Pelagij propoſitionem: Gratiam adiuuare bonum cuiuſque propoſitum. Et Auguſtinus recte inquit:Sine ſcrupulo hæc acciperentur,ſi nõ ab iſtis,quorum ſenſus notus eſt, dicerentur.Ita enim Pelagius hæc interpretabatur,Quando ex libero arbitrio procedit voluntas cupientis, tunc Dominus dat Spiritum ſanctum petentibus.Et Auguſtinus inquit:Dicis hominem in bono opere à gratia adiuuari , tanquam per ſe aggreſſus in ipſo primum opere adiuuetur. Hoc erat Pelagij artificium.Videamus iam quam feliciter Ieſuvvitæ Pelagii veſtigia ſequantur.

Propoſitio& Opinio Ieſuuitica de viribus humanis Pelagianicæ conſentiens.

II. Fol.35.Vendicant ſibi hanc propoſitionem, non tantum in moralibus officiis & actionibus plurimum habere momenti arbitrium humanum, verum etiam in rebus ad ſalutem pertinentibus. Hęc tam manifęſte ſunt Pelagiana, vt diſerte ſint refutata ab Auguſtino & Maxentio.Auguſt.enim 3. Hypognoſt. dicit: Eſſe fatemur liberum arbitrium

trium omnibus hominibus,habens quidem iudicium rationis,non per quod idoneum ſit in iis quę ad Deũ pertinent,ſine Deo,aut inchoare,aut certe peragere,ſed tãtum in operibus vitæ præſentis, tam bonis quàm malis,&c.Maxentij vero ſententia,quam repullulanti ſuo tempore Pelagianiſmo oppoſuit,hæc eſt: Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus,niſi ad diſcernenda & deſiderãda carnalia, ſiue ſecularia,quæ non apud Deum,ſed apud homines poſſint fortaſſis glorioſa videri:Ad ea vero, quæ ad vitam æternam pertinent,nec cogitare,nec velle,nec deſiderare, nec perficere poſſe,niſi per infuſionem & inoperationem intrinſecus Spiritus ſancti. ad has ſententias propoſitio Ieſuvvitarum conferatur, & manifeſtũ erit factionem illam in hoc coniuraſſe,vt quicunque etiam ſunt craſsiſsimi errores in doctrina Pontificia,etiamſi manifeſtiſſime pugnent cũ verbo Dei,etiam ſi diſerte & expreſſe in puriori etiã antiquitate ſint refutati, tamen ab iſtis creaturis Pontificiis impudentiſsime, Eccleſiæ rurſus obtrudantur,hoc ſolum nomine,quia creatori ipſorũ Pontifici ita placet.Reliqui vero Pontificię turpitudinis patroni,illa,quæ tam craſſa ſunt,conantur qualicũque ſpecie vel occultare vel mitigare, ſed meretriciam illam & perfrictam Ieſuvvitarum frontem,nihil pudet.Habes igitur hic candide lector ſpecimen,quid ex Ieſuvvitarũ religione Germaniæ ſit expectãdum.Nondũ vero habes omnia. Sed reſtant de hoc articulo adhuc craſſiora, quæ iuxta inſtitutum ordinem annotabimus.

Maxentij Sententia de humano arbitrio.

Coniuratio Ieſuuitarum.

III. Quid igitur & quantum momenti habet arbitrium humanum in rebus ad ſalutem pertinentibus? Reſpondent fol.33. Deum deſiderio peccati & concupiſcentiæ præfeciſſe rationem &

Arbitrii humani vis in rebus ad ſalutem per

tinētibus ſi Ieſuuiticæ factioni eſt credendū

arbitrii libertatē, cuius imperio ſubiiciatur peccatum, tali ſubiectione, qua vix maior eſt, vt nihil quicquam agere poſſit, teipſo non annuente. Hæc ſunt ipſorum verba. Sic ſic pergite boni fratres, vt totus mundus eo facilius vos agnoſcat. ſi ratio & arbitrii libertas, tantum habet momenti in rebus ad ſalutem pertinentibus, ſicut impudēter aſſeueratis, quorſum opus eſt Spiritu ſancto? Paulus vero Rom.7. de renouatione per Spiritum ſanctum non audet ita loqui. Eradantur ergo ſententiæ illæ ex ſcriptura: Non ſumus idonei ex nobis ipſis cogitare aliquid, ipſe operatur & velle & facere. Et Epheſ. 4. Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris habentes obſcuratum intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ ineſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum. Coloſ. 1. Et vos cum eſſetis alienati & inimici τῆ διανοίᾳ. Item auferam cor lapideum & dabo vobis cor nouum & Spiritum nouum, &c. *Auguſtinus* certe dicit, ſententiam illam manifeſte eſſe Pelagianam libr.2. de baptiſmo. Sunt quidam ita præſumentes de libero arbitrio, vt ad non peccandum, nec adiuuandos nos diuinitus arbitrentur, ſemel ipſi naturæ noſtræ conceſſo liberæ voluntatis arbitrio, vnde fit conſequens, vt nec orare debeamus, ne intremus in tentationem. Et in Epiſtola ad Innocentium opponit Pelagianis ſententiam Pauli 2. Corinth.13. Oramus Deum, vt nihil mali faciatis. Et lib. 1. de gratia Chriſti capite 28. recitat hæc verba Pelagii: cum tam forte & tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habemus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ creator inſeruit, rurſus eius ineſtimabili bonitate quotidiano ipſius munimur auxilio. Hæc Pelagii verba ideo aſcripſi, ne arbitrentur

Sententia manifeſtè Pelagiana

Ieſuvvitę

Ieſuvvitæ ſe poſſe elabi, ſi dixerint ſe non reiicere auxilium diuinum, etiamſi ita prædicent vires liberi arbitrii, idem enim Pelagius factitauit. Et meminerit lector ſtatum diſputationis eſſe, non de externa diſciplina rationis, ſed de rebus ad ſalutem pertinentibus, ſicut ipſi Ieſuvvitæ ſupra dixerunt.

IIII. Fol. 37. dicunt: Deus ſua gratia ſemper præſto eſt, ſi viderit animum ad eius ſuſceptionem paratum & promptum, ſi non reluctantem reperiat. Hæ ſunt præparationes illæ liberi arbitrii ad gratiam, ex quibus exſtruunt ſcholaſtici meritum Congrui, & quidem ſunt ipſa etiam Pelagii verba: ita enim recitat Auguſtinus contra duas epiſtolas Pelagii lib. 4. cap. 6. & lib. 2. cap. 5. Gratiam adiuuare bonum cuiuſque propoſitum, nec tamen reluctanti ſtudium virtutis immittere, nec inuito inſpirare boni cupiditatem. Et ſine ſcrupulo, inquit Auguſtinus, hæc acciperentur: ſi non ab iſtis, quorum ſenſus notus eſt, dicerentur, ſentiebat enim Pelagius, hominem ſine Spiritu ſancto, ex viribus liberi arbitrii, poſſe ſe reddere promptum & paratum ad ſuſceptionem gratiæ, poſſe flectere cor lapideum, vt non ſit inimicitia aduerſus Deum, & tunc Deum dare Spiritum ſanctum. Nam lib. 1. cap. 19. inquit *Auguſt.* In bono opere ſic putat Pelagius adiuuari hominē à gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipſum bonum opus voluntate, nihil eam credat operari. Et libr. 2. cap. 8. Hominem ſuis viribus poſſe deſiderare & expetere conuerſionem, & ita conſequi gratiam Spiritus ſancti. De gratia Chriſti, lib. 1. cap. 14. ponuntur hæc verba Pelagii: Quando ex libero arbitrio procedit voluntas cupientis, tunc datur Spiritus ſanctus penitentibus. Cap. 23. Quando libero arbitrio ad Dominum currimus,

De præparatione ad recipiendam gratiam error Ieſuvvitarū & Pelagianorum.

Pelagii Sentētia Ieſuiticæ perſimilis.

& ab ipſo nos regi cupimus, tunc demum datur Spiritus ſanctus. Cap.31. adeo homines non Chriſtiani damnandi ſunt, inquit Pelagius, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire poſſent, & Dei gratiam promereri, male vtuntur libertate conceſſa. Contra duas epiſtolas Pelagii, lib.4.cap.7. & 10. dicit Auguſt. Spiritum ſanctum fatendum eſt, etiam antiquis temporibus, non ſolum mentes bonas adiuuiſſe: quod & iſti volunt, verum etiam bonas eas feciſſe, quod nolunt. Et ſicut inquit lib.1.de prędeſt.ſanctorum, Dei eſt volũtas qui ex nolentibus volentes facit. Semper autem nos addimus hanc regulam: ORDINEM eſſe à verbo Dei, quod eſt Miniſterium Spiritus: & certum eſt, quandiu homo ita reluctatur gratiæ ſeu Spiritui ſancto, vt nulla planè fiat applicatio, nullam ibi eſſe conuerſionem. Sed quæſtio eſt, de cauſſa efficiente, vnde hoc homo habeat, vt in conuerſione non reluctetur, ſed applicet ſe ad gratiã. *Concilium Arauſicanum*, Can. 6. recte decernit, Si quis dixerit, Volentibus, conantibus, petentibus, quærentibus nobis miſericordiam conferri, non autem diuinitus, per infuſionem & operationem Spiritus ſancti fieri, vt velimus, conemur, petamus, quæramus, &c. Anathema ſit. Hæc ex Auguſtino recitaui, vt videant Ieſuvvitæ, non tam ſimiles eſſe liberos genitoribus ſuis, quam ipſi ſunt Pelagio. Et vt manifeſtum euadat, quam belle Ieſuvvitis conueniat cum tota poſteritate Pelagianorum, aſſcribam ſententias quaſdam Caſſiani, ad amuſſim conuenientes cum Ieſuvvitarum dogmate, quas Proſper poſt Auguſtinum recte damnauit vt Pelagianas. Sunt autem hæ Caſſiani ſententiæ: Deus cum in nobis ortum bonæ voluntatis viderit, qua vel ipſe plantauit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe, confeſtim illuminat,

Pelagius pater Ieſuvvitarũ

luminat, confortat,&c. Item euidenter apparet, etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia: quia Paulus dicit, velle adiacet mihi. Videantur plures ſimiles ſententiæ in 13. collatione Caſſiani.

Vt igitur noua hæc factio Ieſuvvitarum miraculo aliquo canoniſetur, ſpargatur ſane hæc fama per totum orbem Ieſuvvitas à mortuis reſuſcitaſſe Pelagium cum tota ipſius ſchola. Et quis iam Ieſuvvitis, proper tam illuſtre ſcilicet miraculum, non crederet ſine exceptione?

Pelagii argumenta à Ieſuitis reponũtur.

V. Ne quid à patre ſuo Pelagio degenerarent, plane iiſdem vtũtur teſtimoniis & argumentis ad probandã arbitrij libertatem, quibus olim vſus eſt Pelagius. Fol. 34. dicũt: Si eligere iubemur, Deut. 30. eſt ergo libera in nobis voluntas. Et fol. 35. cur cõcionibus, adhortationibus, diſputationibus, & id genus aliis mediis mutanda vita conſulitur, ſi in eorũ facultate mutatio poſita non eſt? Sed inſtituatur collatio. *Auguſt.* de gratia 16. Magnũ aliquid ſe ſcire putant Pelagiani, quando dicunt, non iuberet Deus quod ſciret ab homine nõ poſſe perfici. Cõtra duas epiſtolas Pelagij lib. 2. cap. 10. Nihil in ſcripturis ſanctis homini à Deo video iuberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inueniatur vel donari ab eius bonitate, vel poſci, propter adiutoriũ gratiæ demonſtrandũ. Idem inquit: O homo, in præceptione agnoſce quid debeas agere, in correptione agnoſce tuo te vicio nõ habere, in oratione vnde accipias quod vis habere. Et propter illud argumentũ ſcripſit Auguſt. peculiaré librũ de correptione & gratia. De prędeſt. ſanctorũ lib. 1. cap. 11. Pelagius dicebat, facta carnis mortificare, nõ eſſe donũ Dei quia ſcilicet ab homine exigitur præmio vitæ, ſi hoc fecerimus, obla-

Refutatio ex Auguſtini diſputationibus collecta.

to:abſit,inquit Auguſt. vt hoc placeat participibus & defenſoribus gratiç Pelagianorum error eſt iſte damnabilis. Ideo autem hæc & nobis præcipiuntur,& dona Dei eſſe monſtrantur, vt intelligatur, quod & nos ita facimus, & Deus facit vt illa faciamus. Hæc Auguſtinus.

Fol.35. de teſtimonio Syracidç cap.15. vociferantur: Quid dici poteſt apertius pro libero arbitrio? Sed in eandem plane ſicut Ieſuvvitæ ſententiam Pelagiani dictum illud Eccleſiaſtici allegarũt, & vera explicatio cõtra Pelagianos tradita eſt apud Auguſtinũ Hypognoſt.3. & de gratia & li.arb.c.16.

Non addã pleniorem refutationem: volui enim tantũ lectori oſtendere Ieſuvvitas, ſicut decet talẽ ordinẽ, iuxta votũ paupertatis nihil habere proprij, ſed omnia habere communia cũ Pelagio, ipſa etiã argumenta, pro defenſione liberi arbitrij. Iudicet ergo lector, quid de Ieſuvvitis ſentiendũ ſit.

Ieſuuitæ Auguſtini ſenſum deprauare conantur.

VI. Quia vident ſe Auguſt. autoritate nimis perſpicue premi, dicũt, fol.36. Auguſtini ſententiã de libero arbitrio hanc eſſe, ꝙ vocati ſumus, Dei donum eſſe: quod verò vocati ad Chriſtũ venerimus, poſſe nos nobis tribuere. Itẽ neminẽ poſſe credere ex libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat: Deum vero operari velle, quãdo in verbo ſuadet, & vocat: cõſentire autẽ vocationi Dei, eſſe propriç noſtrç volũtatis. Quid iã faciemus Ieſuvvitis, qui gloriantur ſe Auguſtini cõſenſum habere? Et ne quis de fide allegationis dubitet, aſſignãt loca in Auguſtino. Video ſane ipſos etiã illud Ciceronianũ Symbolũ ſibi vendicare: Audacia pro ſapiẽtia licet vti. Vt enim nihil dicã, quod quãdo affirmãt (quod vocati venerimus, poſſe nos nobis tribuere) filiũ Dei arguũt mẽdacij, qui inquit, Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit illũ. Hoc certe manifeſtum eſt, & ipſis Ieſuvvitis non ignotum,

Audaciæ Ieſuuiticç

Augu-

Auguſtinũ illas ſententias, quas ipſi allegãt, diſertè & expreſſe retractaſſe, de prædeſtinat. ſanctorũ lib.1.cap.3. Dicit enim ſe erraſſe, quod putarit gratiam Dei in eo tantum conſiſtere, quod Euangeliũ nobis prædicatur: vt autem prædicato Euangelio conſentiremus, noſtrũ proprium & ex nobis eſſe. Et addit: Quem errorem quædam opuſcula noſtra continent. Hæc cum ſint manifeſta & notoria, quo vocabulo appellãdũ ſit, quod Ieſuvvitæ nihilominus nõ verentur, tanquam veram & genuinã Auguſtini ſententiam Eccleſię proponere, quam ipſe, vt errorem reuocat & damnat, lector ipſe conſtituat. Vulgus indoctum tale factum appellat crimẽ falſi, vere ne an falſo Iureconſulti diſputent. Factũ ſane quale in ſe ſit manifeſtum eſt. An vero beſtiæ iſtæ exiſtimant nos adeo rudes eſſe antiquitatis, vt ſycophantica illa artificia non poſsimus depræhẽdere? Scimus quam acriter Auguſtinus Epiſt. 107. repræhendat Vitalem eo quod dixerat, Deus, quãtum in ipſo eſt, operatur vt velimus, quando nota nobis fiũt ei⁹ eloquia, ſed cõſentire noſtrũ eſt. Est ſane omnino neceſſe in vera cõuerſione vt fiat aſſenſio ſeu applicatio. ſed quæſtio eſt de cauſſa efficiẽte, An natura corrupta ſuis viribus hoc poſſit? An vero ſit donum & operatio Spiritus ſancti? Simile eſt & illud, quod locũ quędam Hieronymi ad Damaſum notant, pro cõfirmatione liberi arbitrij. Ego vero, vt Ieſuvvitis gratiſicer, ipſa verba aſſcribam: Dedit Devs liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, vt viueret vnuſquiſque nõ ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex volũtate, vt virtus haberet locum, vtque à cæteris animantibus diſtaremus, dũ ad exemplũ Dei permiſſum eſt nobis facere quod velimus, vnde & in peccatores æquum iudicium & in ſanctos iuſtum præmium retribuitur. Hæc Hierõy-

Refutatio ex ipſiuſmet Auguſtini teſtimoniis deſũpta.

De loco Hieronymi à Pelagio & Ieſuvvitis vſurpato.

mus. Sed inquis, hæc ſententia Ieſuvvitas plurimũ iuuat, quare igitur tu verba aſſcribis, cum ipſi tantum locum notarint? Reſpondeo, vt oſtẽdam Ieſuvvitas perpetuo & vbiq; eſſe ſui ſimiles: Illã enim Hieronymi ſententiam, ipſe Pelagius pro cõfirmatione ſuæ opinionis allegauit, ſicut cõſtat ex Aug. de natura & gratia. Et Auguſtin⁹ cogitur quærere mitigationem illius ſentẽtiæ, ſatis longe petitam, vt eã Pelagio eripiat. Ieſuvvitæ vero ſignificãt illam ſententiam ſicut ſonat ſibi cum Pelagio probari, aut certe non diſplicere. Notant etiam loca quædã ex Ireneo & Tertulliano ſcriptoribus vetuſtiſſimis: ſed ſi quæris, quare verba non aſſignẽt, dicam tibi: Patres iſti nondum motis certaminibus Pelagianis, cũ tantũ Valentinianos & Marcionitas ſibi propoſitos haberẽt, tam incommode de libero arbitrio locuti ſunt, vt ipſe Pelagius nõ auſus fuerit ita loqui. Et Auguſtinus coactus fuerit in Pelagio ex verbo Dei illa refutare, quę multò duri⁹ extãt in vetuſtiorib⁹. *Irenæus* enim li. 4. c. 71. dicit: Vis à Deo non fit, propter hoc cõſilium quidem bonũ dat: poſuit autẽ in homine poteſtatẽ electionis, ſicut in Angelis, &c. Et ca. 72. Omnes ſunt eiuſdem naturæ potẽtes retinere & operari bonum, & potentes id amittere & nõ facere. Item, non tantum in operibus, ſed & in fide liberorũ & ſuæ poteſtatis arbitriũ homini ſeruauit Deus. Et ca. 9. Homo liber in arbitrio, & ſuæ poteſtatis ipſe ſibi cauſſa eſt vt aliquando quidẽ frumentũ, aliquando palea ſit, quapropter & iuſte damnabitur. *Tertullianus* lib. 2. contra Marcionem inquit: Nõ poneretur lex ei, qui non haberet obſequiũ debitũ legi in ſua poteſtate. Eadẽ arbitrij libertas & poteſtas, quæ fuit in Adam, etiam nũc efficit victorem de eodem Diabolo, &c. Similia extant apud Iuſtinum & Clemẽtem Alexandrinum: Illa verba Ieſuvvitæ aſcribere non

Irenæus & Tertullianus à Ieſuuitis cum Auguſtino cõmiſsi.

Ieſuuitarum aſtutia.

non audent, quia ſunt manifeſte Pelagiana. Loca tamen notant, vt ſignificent in quam ſententiam inclinaturi eſſent, niſi inuidioſum nomen Pelagianorum & Auguſtini autoritas quomodocunq; obſtarent. Et hæc ſit collatio doctrinæ Ieſuvvitarũ & Pelagianorum de libero arbitrio, in qua ſi quid vehementius dictum exciderit, rei indignitati à candido lectore hoc tribuatur.

DE LEGE.

QVantum referat, verbũ Dei recte ſecare, ita vt Lex intra ſuos limites, & quidem legitime proponatur, ne termini transferantur, & fiat confuſio Legis & Euangelij, oſtendunt certamina illa, quæ viuentibus adhuc Apoſtolis, ab illis mota ſunt, qui legis zelum ita præ ſe ferebant, vt ipſum Euãgelium in legem trãsformarẽt. Et quantã ruinam hæc metamorphoſis in Eccleſia Galatarum ſecum traxerit, notum eſt. Atque vtinã poſteriora tempora non ſuppeditarent multo triſtiora exempla. Videamus igitur quæ ſint myſteria doctrinæ Ieſuvvitarum de Lege: qui enim emiſſarii ſunt Pontificis Romani, ad turbandam & conſpurcandã puritatẽ doctrinæ cœleſtis in Germania, mirum ſi aliquid ſani rélinquãt in doctrina legis. Ordine autem ſicut inſtituti noſtri ratio fert, axiomata illorum ſignatis locis recenſebimus. Legis & Euangelij diſcrimẽ.

I. Dicũt nõ omnia eſſe vere & proprie peccata, quæ Lege Dei arguũtur: pronũciant enim falſũ eſſe axioma, Quicquid Legi Dei repugnat, peccatũ eſſe, fol. 46. Item primos motus concupiſcentiæ, dicunt eſſe citra noxam peccati, quos tamẽ Paulus Rom. 7. dicit voce legis argui. fol. 54. & 89. Axiomata Ieſuuitarũ aduerſus Legem Dei.

II. Quædam peccata, contra quæ lex tonat &

fulminat,adeo ſunt in ſe & per ſe leuia,vt factores nec ſordidos,nec malos,nec impios,nec Deo exoſos reddere poſſint.fol.194.

I I I. Sunt vero alia multa,quæ voce legis quidem non arguuntur, & tamen ſunt multo grauiora & damnabiliora peccata quam illa quæ legi Dei repugnant,ſcilicet quæ committuntur contra traditiones humanas, contra receptos abuſus & inueteratos errores.fol.309.

I I I I. Illa quæ lex concionatur de perfecta integritate ex toto corde,tota mente,tota anima,& omnibus viribus, ita vt nulla ſit mala cõcupiſcentia, ad nos, qui in hac mortali vita verſamur,non pertinẽt. Ideo nõ eſt timendũ,ne lex nos accuſet, quod illam integritatẽ præſtare nõ poſſumus,quia illa rigida norma obligat nõ nos in terra,ſed illos tantum qui ſunt in altera vita,&c. Ideo affirmant legi plene & abunde à nobis ſatisfieri,ſi quantum in nobis eſt præſtiterimus,fol.194. Quid vero ex hiſce principiis conſecuturũ arbitraris optime lector? qualis quæſo doctrina eſt vox legis diuinæ, quæ multa atrociſſime accuſat peccata,quæ tamen in ſe vere & proprie nõ ſũt peccata?Multa vero ita arguit lex,vt cœlũ deſtillet,nubes fulgurẽt, mons Sina fumiget, terra contremiſcat,Iſraelitæ territi & attoniti fugiant,quæ tamen nũc Ieſuvvitæ,pro ea ad quam à Pontifice creati ſunt autoritate,pronunciant,tam eſſe leuia,quam quæ leuiſſima. De multis vero lex plane nullam facit mentionẽ, quæ tamen, ſicut ex Ieſuvvitis diſcimus,ſunt atrociſſima peccata,& illa,ſi diis placet,periculoſe ignoraremus, niſi nobis ſcrinium pectoris Pontificij illa eructaret,ſiue quis hoc malit,euomeret. Sed cuius problematis exiſtimas eſſe hanc κατασκευὴν ſicut Geometræ loquũtur?Huius ſine dubio remiſſionẽ peccatorum, reconciliationẽ,redemptionẽ, &c.

Abſurda impia & blaſphema quæ ex axiomatis Ieſuuiticis oriuntur.

&c.non eſſe rem vſque adeo operoſam,arduam & difficilem,quin homo ipſe poſſit ſuis operibus eã promereri,& quaſi licitãdo comparare. huc enim omnia illa tendunt. Et quæ non Eſauitica inde cõſequentur,ſi tã facile legi ſatisfit? multa igitur poterunt ſupererogari,quæ per Babylonicã nũdinationẽ aliis poſſunt cõmunicari. Chriſtus factus eſt ſub lege,vt à maledicto legis nos redimeret. Quod ſi grauiora illa ſunt peccata,quæ legi Dei nõ repugnãt,ſed tantũ traditionibus,quis prohibebit pluris fieri indulgentias Romani negociatoris, quam meritũ mortis filij Dei? Et hæc ſcilicet eſt illa Helena,de qua creaturæ iſtæ Põtificis partim ex inſidiis partim aperto Marte dimicãt. Sed hæc principia forſan cõmunia ſunt cum reliquis factitiæ religionis(vtimur enim Anshelmi vocabulo)ordinibus. Ieſuvvitarũ vero ordo nouus & peculiaris eſt:& cuius erit exiſtimationis, ſi tãtum vetera & obſoleta illa repeterẽt? Nouũ & peculiare aliquid oportet eos afferre,quod(ſicut dicitur)ſit vltra omnes. Sic fama paratur,ſic digito monſtrãtur,iuxta dictũ: Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,ſi vis eſſe aliquid. Arrige igitur aures,lector, audies enim dogma,ad cui⁹ recitationẽ ambę aures tibi tinnient,ſi quid habes verę pietatis.

V. Miſericordia Dei in Chriſto,quam Euangeliũ celebrat,in qua noſtra omniũ vita & ſalus conſiſtit,hæc eſt: quod Deus addidit legi promiſſionẽ, Qui fecerit hæc,viuet in eis. Vide fol.26. & inuenies nebulones iſtos ſententiã illã(In ſola Dei miſericordia cõſiſtit noſtra omniũ ſalus) ita explicare: Sũmæ fuit Dei miſericordiæ,vt recte operantibus vitã æternã promitteret,&c. Si Valla in hac luce Euãgelij vixiſſet,præ indigniſſima indignitate, ſicut alias de Cõſtãtini donatione fecit,exclamaret,quod Poeta quidã ita reddidit,Hoc tamẽ alto Chri-

Miſericordia Dei quid,à Ieſuuitis fides adhibenda eſt.

ſte vides cœlo,proh dolor & pateris?Ego vero nihil addam,ſed tantũ hanc Ieſuvvitarũ propoſitionem relinquam pio lectori conſiderandam.Et hęc tam prodigioſa audent in tam clara luce Euangelij proferre.Sed forſan,quod ego miror,mirum nõ eſt:vetus enim dictum eſt:Non audet ſtigius Pluto tentare,quod audet Effrenis Monachus,&c.

Euangeliũ prorſus euertunt Ieſuuitæ.

VI. In præcepto legis cuius plenitudo eſt dilectio,vita omnis noſtra,totaque ſalus conſiſtit,fol. 22.Anathema ergo ſit Paulus qui legem vocat miniſtrationẽ mortis & dãnationis,2.Cor.3. Et Gala. 3.affirmat non datã eſſe legem quæ poſſit viuificare. Immerito igitur Paulus reprehendit Iudæos, Rom.9.& 10.quod in lege etiam cum magno zelo quæſierint iuſtitiam & vitam.Certe Gal. 2. Paulus diſerte dicit:Ego per legem legi mortuus ſum , vt viuam iam non ego,ſed viuat in me Chriſtus. Et Ro.1.allegat conſenſum veteris Teſtamenti:Iuſtus ex fide viuit.Lex vero nõ eſt ex fide,Gal.3.Et quoties ipſe filius Dei magna cum aſſeueratione affirmat?Qui credit in me, habet vitam ęternam.Cõtra hæc manifeſtiſſima principia Ieſuvvitę ponunt ſua axiomata. Sicut enim inter Philoſophos,quidam nominis gloriam aucupati ſunt inde, quod poſſent contra *κοινὰς ἐννοίας* diſputare:Idem , ſicut apparet,Ieſuvvitis propoſitum eſt,contra manifeſtiſſima doctrinæ cæleſtis principia. Porro eſſent quædã dicenda de illa ſententia Rõ.7.Inuentũ eſt mihi mandatum , quod erat ad vitam,hoc eſſe ad mortem:ſed non inſtitui nunc iuſtam refutationẽ.

Axiomatis Euangelicis deliria ſua Ieſuuitæ opponunt.

An renati in hac vita poſſint ſuis operibus Legis perfectionem conſequi.

VII. Folio 48.incipiunt magna vehementia affirmare,& longa oratione contendere, renatos in hac vita poſſe ſuis operibus legis perfectionẽ cõſequi : Et de hæc quæſtione vtile eſſet vera fundamẽta mõſtrare,ſed illud hoc tẽpore non eſt noſtri inſtituti:fiet vero Deo bene iuuãte alias,Ieſuvvitis

ita

ita volentibus. Nunc tantum argumenta Ieſuvvitarum recitabo. Dicunt igitur, nemo tantam impietatem in homine ferat, vt ſerio alicui imperet, quod abſoluere non poſsit, & tamē niſi præcepto obtemperet, ſupplicia interminetur. Ergo niſi velimus Deo, vel inſcitiam, vel impietatem impingere, dicendum eſt, nos ea quæ Deus in lege præcepit poſſe perfecta & integra obedientia implere: Quaſi verò ſcriptum ſit, per legem agnitio virtutis noſtræ, quid ſcilicet & quantum poſsimus præſtare: imo per legē, inquit Paulus, agnitio peccati, quid ſcilicet non poſſimus prꝭſtare. Et vt breuibus abſoluam, Eodem argumento Pelagianos fuiſſe vſos, antea ex Auguſtino oſtendimus. Non præciperet Deus, quod ſciret ab homine nō poſſe impleri. Vtuntur & hoc argumento Ieſuvvitæ fol. 53. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, quomodo ergo lex nō poſſit à renatis perfecta integritate impleri? Item, ſi renati in hac vita non poſſent ſuis operibus legis perfectionem aſſequi, ſequeretur Adæ inobedientiam plus nobis ademiſſe, quam Chriſti paſſio & gratia reſtituere poſſet. Qui diligit, legem impleuit. Item præcepta eius grauiora non ſunt. Et Ezechias, 4. Rꝭg. 20. dicit, ſe corde perfecto, ea quæ Deo placita ſunt, egiſſe. Lucæ 1. Zacharias & Eliſabeth incedunt in mandatis Dei ſine querela.

Lex arguit nos iniuſtitiæ

Citant etiam quaſdam ex Patribus ſententias: Deum nihil impoſſibile homini præcepiſſe, cum tamen ſciant libellum iſtum, ex quo hæc ſententia citatur, eſſe ψευδεπίγραφον. Et *Bernardus* in Cantica ſerm. 50. Non latuit præceptorem præcepti pondus, hominum excedere vires. Item, ergo mādando impoſsibilia, non præuaricatores homines fecit, ſed humiles, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo. Hæc fere ſunt argu-

Abutūtur Sentētiis Patrum pſeudo-Ieſuuitæ.

menta ipſorum. Poſſem vero ex ſcriptura firmas & ſolidas refutationes opponere: ſed nunc, vt rationẽ inſtituti noſtri ſequar, hoc tantũ addam, Pelagianos dictum illud Hieronymi, quod Ieſuvvitæ citant, fol. 50. Anathema ſit, ſi quis dixerit Deum præcepiſſe impoſſibilia, obieciſſe ipſi Hieronymo, ſicut patet lib. 2. dialogorum. Hieronymus quidem ſimpliciter ita reſpondet: Sunt impoſſibilia, naturæ, ſed poſſibilia gratiæ. Et gratiam intelligit de auxilio & renouatione Spiritus ſancti. Et Auguſtinus ita inquit: Gratia ſanat voluntatem, vt voluntas ſanata impleat legem. Et hoc illud ipſũ eſt, quod Ieſuvvitæ contendunt, ſed non debebant ignorare oculatiſſimi iſti patrum lectores, quid poſtea ſecutum ſit. Cœleſtius enim Pelagii diſcipulus, illud Hieronymi & Auguſtini axioma arripuit, & cœpit docere, hominem in hac vita, licet non poſſit naturalibus liberi arbitrii viribus, poſſe tamen inſtructum gratia, hoc eſt, dono renouationis, legem perfecta obedientia ſuis operibus implere, ita vt ſine peccato eſſe poſſit in hac vita: quia qui legem perfecte impleuit, in nullo reus eſt in lege, & quando lex nihil poteſt accuſare in homine, tunc eſt ſine peccato. Ibi *Auguſtinus* coactus fuit Scripturæ teſtimonia de hac quæſtione penitus conſiderare. Et hac occaſione ſcripſit librum de perfectione iuſtitiæ, cuius argumentum hoc eſt: Renatos qui aguntur Spiritu ſancto, tamen in hac vita non poſſe peruenire ad illam perfectionem quam lex requirit, ſed illam demum futuram in altera vita. Et idem affirmat de ſpiritu & litera, cap. 6. Item epiſtola 45. ad Hieronymum. In illo libello, de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium, gratiam interpretatur non tantum de auxilio Spiritus ſancti, ſed inquit: gratia Dei, etiamſi quid in præceptis Dei minus ſeruatur, ignoſcit.

Cœleſtius ſceleſtę hęreſeos pater.

Ab Auguſtino refutatus.

Miſericordia Dei pterum eſt meritum.

ſcit.Et alibi:Tunc tota lex impletur,quando quicquid nō fit ignoſcitur.Et hoc modo præcepta Dei non ſunt grauia. In illo libello recenſet & refutat Cæleſtii argumenta,quæ adduxerat pro confirmatione perfectionis iuſtitiæ legalis in hac vita. Et illa eadem planè ſunt, quæ à Ieſuvvitis proferuntur, ideo non iudicaui inſtituendam eſſe peculiarem refutationem. Recitaui autem hæc,vt candidus lector videat quam inſidioſe, veteratorie & maligne tractent Ieſuvvitæ, non tantum ſacram Scripturam,verum etiam ſcripta & teſtimonia Patrum,ex quibus,quādo Scriptura deſtituuntur,petunt prætextum ſuis erroribus. Et eſt hoc ipſorum artificium,quando inueniunt in veteribus quædam ſecurius,(ſicut Auguſtinus loquitur) incommodius,minus explicate,& circumſpecte dicta,illa ſtatim arripiūt,& licet bene ſciant illa alibi à Patribus recte explicata,imo ſæpe retractata: tamen fortiter hoc diſſimulant, vt imperitis fucū faciant,comportatis multis allegatis. Hoc quale ſit lector iudicet.Sed illud ferme exciderat, quod fol.52.dicunt:Scripturæ ſententias,quæ loquuntur de difficultate & impoſſibilitate legis, quam graue onus ſit,quod nec nos nec patres noſtri ferre potuerint,intelligendas eſſe, nō de diligēdo Deo ex toto corde, & de non concupiſcendo, ſed tantum de ceremoniis Moſaicis. Hoc igitur tātum erit ſummum illud beneficium Dei mediatoris noſtri,quod nos à ceremoniis Moſaicis liberauit:reliqua enim legis,nos ipſi perfecte poſſumus,iuxta Ieſuvvitarum dogma,implere.Et hæc ſunt potiſſima Ieſuvvitarum axiomata de Lege.

Ieſuuitarum malignitas.

Ridiculū Ieſuuitarum cauillum.

Crucis Ieſu Chriſti hoſtes Ieſuuitæ.

ALtum, longum, latum & profundum eſt ſilentium de ipſo etiam vocabulo Euangelii in cenſura Ieſuvvitarum. Et quidni? Ieſuvvitarum enim vita omnis, totáque ſalus conſiſtit in lege, quam quia perfecte poſſunt in hac vita implere, quorſum opus eſſet iſtis ſanctulis, doctrina Euangelii. Inueni tamen poſt longam inquiſitionem, ipſos ſemel aut ad ſummum bis mentionem facere Euangelii, id quod interpretor ipſos honoris (quod dicitur) gratia feciſſe, aut forſan per imprudentiam (ſicut Eraſmus de Longolio inquit) ipſis vocabulum hoc excidiſſe. Audi vero quid de Euangelio ſentiant, fol. 204. De diſtinctione Legis & Euangelii ita loquuntur: Lex impoſuit opera atque præcepta, ſed non largita eſt gratiam ea implendi. Euangelium vero etiam opera iniungit. (Eſt enim Euangelii doctrina: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata) ſed addit gratiam & vires implendi. Hic mihi lector pauliſper conſideret impudens illud Suitarum os. Paulus manifeſtiſſimis verbis dicit Rom. 10. Moſes deſcribit iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit hæc homo, viuet in eis. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia ſic dicit: Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Et Galat. 3. Iuſtus ex fide viuet: Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in eis. Rom. 4. Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, &c. Contra has manifeſtiſſimas ſententias audent Ieſuvvitæ palam contrarium affirmare. Et nihil præterea addam, niſi quod rogatum volo pium lectorem, vt Ieſuvvitas cũ Paulo conferat, conciliare enim nullo modo

Quid de Lege & Euãgelio ſtatuant Ieſuuitæ.

Ieſuuitis cum D. Paulo nulla eſt fœdus.

modo poterit. Vt autem lector ſtatum diſputationis recte capiat, Non eſt controuerſia de beneficio renouationis, de quo Euangelium concionatur, ſed hoc impugnamus, quod affirmant doctrinam Euangelii propriam hanc eſſe: Si vis vitam æternam ingredi, ſerua mandata. Paulus enim contrarium docet. FOL. 89. Vbi diſputant primos motus concupiſcentiæ non habere rationem peccati, dicunt Chriſtum ideo tradidiſſe conſilia ſua Euangelica, vt etiam illæ perturbationes animi, quæ in ſe & per ſe peccata non ſunt, paulatim euellantur, extinguantur & tollantur. Hui quanta eſt illa perfectio, hominem eſſe non tantum ſine omni peccato, vt non opus ei ſit illa conſolatione Pſalmi: Beati quorum tecta ſunt peccata (hoc enim manifeſte aſſeuerant fol. 40.) verũ etiam longe plus vltra. Nouum igitur aliud & peculiare cœlum exædificandum erit nouo huic Euangelio, nouo ordini & nuper creatæ religioni Ieſuuvitarum: Chriſtus enim cœlum illis meruit, quorum beatitudinem Dauid deſcribit: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata. Sed quæ ſit Ieſuuvitarũ de doctrina Euangelii ſententia, in loco de Iuſtificatione & fide audiemus. Ad illos igitur locos accingemur.

Conſilia Euangelica.

Nouum Ieſuuitarũ Euangelium.

DE IVSTIFICATIONE.

CErtum eſt hunc articulum eſſe quaſi arcem totius religionis Chriſtianæ. Ideo enim proponitur doctrina cœleſtis, vt iuſtificati ipſius gratia, hæredes ſimus, ſecundum ſpem vitæ æternæ, Tit. 3. Et hanc arcem inuadunt quotquot ſalutem Eccleſiæ à fundamentis conuellere nituntur. Quid igitur in hoc ſummo articulo ſani poſſumus ex-

Iuſtificationis articulus, arx Chriſtianæ religionis.

pectare ex Ieſuvvitarum doctrina, qui in præcedentibus locis ipſa principia doctrinæ cœleſtis conuellere & negare non ſunt veriti, vt ſibi aditũ præſtruerent ad deprauandam doctrinã de Iuſtificatione. Sed ſicut inſtituimus, axiomata doctrinæ Ieſuvvitarum de Iuſtificatione annotabimus.

Iuſtificationis vocabulum, quomodo a Chriſtianis, & à Ieſuitis cõſideratur.

I. Animaduertunt Grammaticam explicationẽ vocabuli Iuſtificationis, ex veris fontibus recte traditam, plurimum afferre lucis huic doctrinæ. Quia enim in Hebræa lingua eſt verbum forenſe (quod ipſi Ieſuvvitæ negare non poſſunt) totum quaſi actum iuſtificationis pulcherrime ob oculos ponit. Quod conſciẽtia lege Dei accuſata, & ſenſu iræ Dei propter peccata territa, quaſi ad tribunal Dei ſiſtitur, & quia ex milibus non poteſt ad vnum reſpondere, omne os obturatur, & totus mundus reus fit Deo. Pronunciatur enim illa ſententia Gal.3. Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt, quia ſcriptum eſt, Maledictus qui non permanſerit in omnibus, quę ſcripta ſunt in libro legis. In hoc agone conſcientiæ, doctrina Euangelii monſtrat Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui factus eſt nobis à Deo iuſtitia. Et fides edocta hoc ex Euãgelio, prouocat à throno ſeueræ iuſticiæ ad thronũ gratiæ (ſicut Gerſon pulcherrime hunc actum deſcribit) ibi interueniente ſanguine Chriſti, quẽ fides vera fiducia apprehendit, Deus, peccatorem, qui iam paſſus eſt iuſtam ſententiam legis, per & propter Chriſtũ reſtituit & abſoluit à reatu & ſententia damnationis, imputata ipſi per fidẽ iuſtitia filij ſui mediatoris. Ex hac Grammatica explicatione, quæ vera eſt, ſicut multis argumentis poſſemus probare, pulcherrime poſſunt intelligi ſententiæ ſcripturæ de Iuſtificatione, & inde tota doctrina plana & expedita redditur.

redditur. Sed hæc explicatio vocabuli Ieſuvvitarum ſcenæ non ſeruit: quam leuiter enim de peccato ſentiant, ſupra oſtenſum eſt. quam leuiter de reconciliatione loquantur, iam videbimus. Quid igitur Ieſuuvitæ de vocabulo iuſtificationis tradunt? Audi ipſorum verba, fol. 157. ita dicunt, Mirum eſt, cum Monhemius Grammaticen & Ariſtotelem profiteatur, non potuiſſe ex vtraque ſcientia iuſtificationis etymon, aut veram ſignificationem depræhendere, vt ad Hebraiſmum confugiendum fuerit. Nota hoc lector: de ſignificatione vocabuli iuſtificationis in doctrina cæleſti, volunt conſtitui, non ex phraſi, quæ Scripturæ, in qua doctrina iuſtificationis patefacta eſt, propria & peculiaris eſt: ſed ex ethicis Ariſtotelis, & ex vſu linguarum vulgarium. Cum certiſſimum ſit, Spiritum ſanctum voluiſſe, in articulo iuſtificationis, non tantum res ipſas & ſententias, verum ipſas etiam appellationes, peculiari ſignificatione diſtinctas eſſe à vocabulis Philoſophicis, vt ipſæ appellationes admonerent, eſſe diſcrimen inter doctrinam Eccleſiæ de iuſtificatione, & inter opiniones Philoſophicas de iuſtitia: ne ſi qua intercederet cognatio inter appellationes, ſumeretur inde occaſio confuſionis in ipſis etiam ſententiis. Ieſuvvitæ vero palam & impudenter edicunt, propriam & genuinam ſignificationem vocabuli iuſtificationis, petendam eſſe, non ex vſu & conſuetudine ſacræ Scripturæ, ſed ex Ariſtotele: vt ſcilicet, ſicut ille docet, qua ratione acquiratur habitus iuſtitiæ, in qua potentia animæ inhæreat, ita & nos de iuſtificatione in Eccleſia ſentiamus. Quanta hæc ſit impudentia in tanta Euangelii luce, lectori relinquo conſiderandum.

Ex Ariſtotele Chriſtianiſmus eruitur à Ieſuuitis

Aliter Eccleſia loquitur de Iuſtitia hominis corã Deo, aliter Philoſophi.

QVOD vero dicunt ex Grammatica, non ex

De vocabulo Iuſtificationis.

Hebraiſmo deprehendendum eſſe etymon iuſtificationis, bene intelligo quid velint. Abutuntur enim vulgi inſcitia, quod iuſtificare, ratione compoſitionis, ſignificare videatur infundere qualitates iuſtitiæ. Sed reſpondeo Ieſuvvitas non poſſe oſtendere in vllis probatis purioris ætatis linguæ Latinæ autoribus, verbum iuſtificare in tali forma. Proferant ſi quid habent. Auguſtini ſane ætate, videtur in vſu communis linguæ fuiſſe, ſed in qua ſignificatione, ex illo exemplo poteſt intelligi. De bono coniugali cap. 14. ita inquit: Si quis ex agro iniuſte inuaſo largas faciat eleemoſynas, non ideo rapinam iuſtificat. In Græca lingua vulgari, duas habet ſignificationes: vel ſignificat id quod Scriptura dicit, in iudicium cum aliquo ſumere, ſicut Germani dicunt Rechtfertigen. Exempla, ne nimium excreſcat ſcriptio, extant in Suida & Varino. Ariſtoteles 5. Ethicorum dicit illum δικαιοῦσθαι, cui id quod meretur tribuitur. Si hac ratione Ieſuuvitæ iuſtificari voluerint coram Deo, ipſi viderint: Dauid certe talem iuſtificationem deprecatur, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Ex linguis igitur communibus non poſſunt probare iuſtificare idem eſſe, quod infundere iuſtitiam inhærentem. Et video iuſtum Dei iudicium, quod etiam quando in ſtudiis linguarum aliquid profecerunt: tamen id ipſum turpiter deprauant, ſicut Thammerus diſputat de vocabulo λογίζεσθαι, quod quia ἀπὸ τοῦ λόγου deriuatur, dicit iuſtitiam fidei, talem eſſe debere, quam homo ſua ratione poſſit intelligere & compræhendere. Item, qnia δωρεὰ à Varino explicatur, quod ſit ἀλλαγὴ χάριτος, ideo, quando Paulus dicit, Nos gratis iuſtificari, Thammerus contendit ſenſum eſſe, operibus noſtris reddi debitam mercedem. Eodem

Thammeri matæologia.

dem modo Ieſuvvitæ,cũ oſtendãt ſe agnoſcere forenſem ſignificationem verbi Iuſtificare,tamen id ipſum mox deprauant.Sed excipient eſſe vocabulum Eccleſiaſticum. Hoc & nos volumus, & ideo contẽdimus de ſignificatione eius ſtatuendũ eſſe, nõ ex Ariſtotele,nec ex vulgari lingua:ſed ex ſcriptura. Sed video me inſtitutæ breuitatis rationem excedere, alias adderem quædam de exẽplis, quæ Ieſuvvitę adducũt,& de patribus,in qua ſignificatione illi ſæpius vſurparint verbum iuſtificare: Nõ enim de Patrum loquela,ſed de Spiritus ſancti lingua in ſcriptura,hoc loco diſputamus.

II. Fol.147.Hæc habent verba, Iuſtificatio nihil aliud eſt,quã iuſtitiæ acquiſitio, vel ſi Philoſophice loquendum ſit,motus ad iuſtitiam. Et non incommode ex aliis motionibus huius quoque naturam inueſtigare licebit,&c. Hæc fundamẽta digna ſunt tali ædificio. *Auguſtinus* inquit,de rebus diuinis eſſe ex præſcripto loquendum: Ieſuvvitæ vero dicunt,Philoſophice loquẽdum eſſe, Et quidem præcipiunt,ex doctrina de motionibus Phyſicis,ſiue ex Ariſtotele, de generatione & corruptione inueſtigãdam eſſe naturam iuſtificationis. habeant igitur ſibi iuſtificationem Ariſtotelicam, cui etiam ſalus Ariſtotelica debebitur.Ibidem ponunt hoc paradoxon.Iuſtificati ſunt quõdam cœleſtes ſpiritus,prius priuati,hoc eſt carentes iuſtitia,& à priuatione moti.Hoc quid ſit non diſputabo,non enim proprie ad noſtrum inſtitutum pertinet: Volui tamen annotare vt ſit ſpecimen ſapientiæ Ieſuvvitarum.

Iuſtificatio quid ſit Ieſuuitis.

Iuſtificatio & ſalus Ariſtotelica Ieſuuitis propria.

III. F.158.Reconciliatio,quã iuſtificationem fateri cogimini,non niſi per dilectionẽ,fit,quæ eſt Spiritus ſancti donũ diffuſum in cordibus noſtris. Et vere magna eſt charitatis virtꝰ,atq; vſque adeo, vt etiam nós filios & amicos Dei efficiat. Hæc illi.

De Recõciliatione cum Deo quid ſentiant Ieſuuitæ.

Nihil aliud hîc dicã, quã ſi verũ eſt, quod recõcilia tio cũ Deo & adoptio, noſtra dilectiõe cõparatur, falſum eſſe quicquid ſcriptura concionatur de recõciliatione & adoptione per & propter Chriſtũ. Iuſto ergo dolore exclamabim⁹ cũ Paulo, Gal.2. Si noſtra charitate, quæ eſt legis ſumma Deo recõciliamur, & filij Dei efficimur, fruſtra ergo Chriſtus mortuus eſt. Sed quia Dei beneficio Pauli Theologia nota eſt, cõtentus ero nuda recitatione, quã viã recõciliationis & adoptionis Ieſuvvitę proponãt.

Iuſtitia Dei in Euangelio, quid Ieſuuitis.

IIII. Iuſtitiam Dei, quæ in Euangelio reuelatur, ita definiunt fol.186. Eſt virtus in Deo, quę iuxta vniuſcuiuſque dignitatem ſingulis tribuit. Iudicet lector quam Euangelicá & cõſolatoria ſit hæc definitio: In re enim manifeſta non eſt opus prolixa declaratione.

De Dei miſericordia quid ſentiant Ieſuuitæ.

V. Miſericordiam Dei in Chriſto, in qua noſtra omniũ ſalus conſiſtit, dicunt hanc eſſe, quod Deus recte operantibus, hoc eſt, legem implentibus, vitam æternam promiſerit, fol.26. Hanc ſententiam tertio iam repeto, quia eſt ſpecimen & probatio, quo ſpiritu Ieſuvvitarum factio circunferatur. Et quã triſtis & horrenda deprauatio doctrinæ cœleſtis de iuſtificatione, ex prodigioſis illis principiis ſequatur quiuis lector poteſt conſiderare. Ideo axiomata tantum iſtorum recito.

Sophiſtarum ingenium.

VI. Valde prolixa oratione cõfirmant, de quo nulla eſt controuerſia, Quando cum Deo in Chriſto per fidẽ reconciliamur, ſimul dari Spiritũ ſanctum, qui mentẽ illuminat, cor renouat, noua dona & nouas virtutes inchoat in mente, voluntate & corde renatorum. Nos vero non negamus hoc fieri in conuerſione, ſed diſerte profitemur, & diſtincte tradimus, vtrũque eſſe beneficium filij Dei Mediatoris, vtrũque donari in vera cõuerſione, & reconciliationem & renouationem ſeu ſanctificationem

tionem. Sed illam nouitatem vitæ Ieſuvvitæ cum reliquis Pontificiis contendunt eſſe iuſtificationem ſeu iuſtitiam fidei.

Nos defendimus nouitaté vitæ eſſe renouationem ſeu ſanctificationem: ſed in ea nō conſiſtere, nec ab ea dependere iuſtificationem ſeu iuſtitiam fidei. Ergo inquis tantum de vocabulis certamen eſt, quod rem illá, quā in renatis inchoari & exiſtere vtrinque fatemini, alius vult vocari iuſtificationem, alius renouationem. Reſpondeo, non eſt tantum λογομαχία, Sed quæcunquè res cōſtituatur cui tribuitur appellatio iuſtificationis & iuſtitiæ fidei corā Deo, illi iuxta Scripturā ſimul tribuatur neceſſe eſt reconciliatio cū Deo, Rom. 3. Remiſſio peccatorum, Rom. 4. Pax cum Deo, acceſſus ad gratiā Dei, ſpes gloriæ Dei. Rom. 5. Beatitudo & ſalus æterna, Ro. 4. Benedictio, Gal. 3. hæreditas vitæ æternę. Tit. 3. abſolutio ab accuſatione legis & damnatione, Rom. 8. Quando igitur fide apprehendimus Chriſtum cum omnibus ſuis meritis, & ſimul per Spiritum ſanctū inchoatur in renatis nouitas vitæ, Quæſtio eſt, quæ ſit iuſtificatio & iuſtitia fidei coram Deo, hoc eſt, Quæ illa res ſit, propter quam Deus nobis donet reconciliationem, remiſſionem peccatorū, beatitudiné, hæreditaté vitæ æternæ, &c. An id fiat propter Chriſtum fide apprehéſum? An vero propter alias virtutes, quæ in nobis à Spiritu ſancto accenſæ ſunt? Hæc certe non eſt verbalis, ſed maxime realis & valde grauis quæſtio.

Iuſtificatio à nouitate vitæ non pendet: imo ſanctificationis Iuſtificatio mater eſt.

VII. Quæ igitur eſt Ieſuvvitarū de iuſtificatione ſententia? Reſpondeo: f. 166. ita dicunt, Chriſtus ignominioſa ac acerba ſua morte hoc à Patre impetrauit, vt quicūque fide mortem eius amplecteréntur, iuſtitia vera imbuerentur, quæ eſt ſanctitas, virtus, ſeu noua qualitas inhærens in ipſo homine. Et propter illam inhærétem nouitatem, quæ eſt dile-

De Iuſtificatione Ieſuuitarum ſententia.

ctio,accipimus reconciliationem & adoptionem. fol 158. Et bona opera, quæ ex charitate illa profluunt,promerentur tandē vitam æternā, quam operibus noſtris in charitate factis,tanquam debitum præmium & iuſtam remunerationem donari conſtat.Hæc ſunt Ieſuvvitarum verba,fol.149.

Quid tribuāt Chriſto Mediatori.

VIII.Audi,quid & quātum Chriſto Mediatori tribuāt in ſua illa iuſtificatione.Duplex inquiūt, eſt iuſtificatio,prior & ſecūda(recito enim illorū vocabula)fol.148. Et Chriſtus morte ſua hoc meruit,vt credētes imbuātur & ornētur charitate & aliis virtutibus.Et hæc eſt prior iuſtificatio, ſicut ipſi in ſuis terminis loquuntur.Acceptis vero nouis illis qualitatib⁹ propter meritū Chriſti, tū porro homo ipſe,inhærente illa iuſtitia, promeretur maiorem,pleniorem,& auctiorem iuſtitiā,fol.149. reconciliationem & adoptionem,fol.159.Et tandē vitam æternam,fol. 149. Hoc igitur tantum Filius Dei, Mediator,nobis meruit,vt noſipſi poſſemus promereri reconciliationem,adoptionē & vitā æternam.Et dignum eſt obſeruatione,quod dicunt ſecundam iuſtificationem,quam nos ipſi promeremur,eſſe maiorem,pleniorem & auctiorem,quam priorem,quæ gratis propter Chriſtum donatur.Et ſecundam illam iuſtificationem promereri vitam æternam,non priorem.Notet & hoc lector, Ieſuvvitas tantum mutatis vocabulis reducere rancidam illam diſtinctionē ſcholaſticorū, quod Chriſtus primā tantum gratiā nobis meruerit, vt nos ipſi,concurrente libero arbitrio,poſſimus promereri remiſſionem peccatorum,ſalutem & vitam ęternam.Idem volunt ſua diſtinctione de iuſtificatione prima & ſecunda,quam non diffitentur ſe à Scholaſticis mutuo accepiſſe, ſed mutatis pauliſper vocabulis,ne fraus tam facile agnoſcatur.

Rancida Scholaſticorum Diſtinctio.

De præpa

IX. Annotabo & hoc,quod dicunt quidē prio-

rem

rem iuſtificationem gratis,ſine præcedentibus noſtris operibus, propter meritũ Chriſti,fide nobis donari:ſed noſtrum tamen eſſe,vt animum ad diuinum illud munus accipiendum accõmodemus. Diſponimur enim fide,timore,ſpe,dilectione aliqua & pœnitentia. Hæc ſunt ipſorum verba, fol. 148.Et fol.171.dicunt.Fides ſiquidẽ hoc in nobis agit,vt pręparentur atque accõmodentur animi ad iuſtificationem primam in ſe recipiendam.Neque vero id fides efficit ſola,ſed præterea charitas, ſed miſericordia & eleemoſynæ, ſed timor Domini, ſed pœnitentia,multaque id genus alia, quæ longum foret enumerare. Hæc illi. ratione & diſpoſitione à Sophiſtis exagitata.

Colligat ſe autẽ quæſo pius lector & conſideret, ſi hæc omnia,quæ Ieſuvvitę enumerãt,noſtra propria ſunt,quæ oportet in nobis adeſſe,priuſquã donetur nobis prima illa,quã ſic vocant,iuſtificatio: Quid igitur,& quantum quæſo eſt, quod merito Chriſti ,etiã in prima Ieſuvvitarum iuſtificatione tribuitur? Quid aliis accidat neſcio,ego ſane exhorreſco hæc referens.Tu lector conſidera.Si ante primã iuſtificationem in homine adeſt fides, charitas,miſericordia,ſpes,& alia illa multa , quæ Ieſuvvitæ nolũt enumerare,quid igitur prior illorũ iuſtificatio confert,quã Chriſti merito dicũt donari? Sophiſma Ieſuuiticũ detegitur.

X. Diſce & hoc lector,quam flagitioſe Ieſuvvitæ ludificent verba & ſentẽtias Pauli de iuſtificatione,fol.166.Sentẽtiam Pauli,quod fides Abrahæ reputata ipſi ſit ad iuſtitiam,ita eludunt. Primã illam iuſtitiæ inhærentis infuſionẽ nemo operibus ſuis poteſt promereri,ſed illa gratis à Deo propter meritum Chriſti donatur,fides vero tũc ad iuſtitiã reputari dicitur,quando eam in hominibus inuẽtam Dęus admittit,dignãque dicit, cui iuſtitię inhærentis donum conferatur.Alia vero eſt ratio ſecundæ inſtificationis.Hęc Ieſuvvitæ.Non dicã hic, Ieſuuitæ verba & Sentẽtias Pauli de Iuſtificatione flagitioſe ludificant.

quod Pelagius eodem plane modo de fide loquutus eſt. Vide Auguſtinum de prædeſt. ſanctorum c. 3. Nec diſputabo quam flagitioſe deprauent vocabulum imputationis, manifeſtum enim hoc eſt. Sed hoc tantum dicam, ipſos impudentiſſime mẽtiri, quod Roma. 4. deſcribatur prima (ſicut ipſi loquũtur) iuſtificatio. Spiritus ſanctus enim per Moſen & Paulum, monſtraturus exemplum veræ iuſtificationis in Abraham, ſtudioſe non voluit ſumere illud tempus cum Abraham primum ex idololatria Chaldaica vocaretur & cõuerteretur. Sed cum à cap. 11. Geneſ. vſque ad 15. per multos annos, in variis exercitiis fide Deo obediſſet. Hebr. 11. in medio illo curſu, cum multis præſtantiſſimis virtutibus à Spiritu ſancto eſſet ornatus, ſumit Paulus Abrahamum, & dicit, Abrahæ nõ operãti credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputari fidem eius ad iuſtitiam, ita vt beatitudo eius ſit, quod Deus illi imputat iuſtitiam ſine operibus, iuxta dictum: Beati quorum tecta ſunt peccata.

Summa Ieſuuitarum impudentia.

Nec vlla ſophiſtica eludi poſſunt: & magna impudentia eſt Ieſuvvitarũ, quod exiſtimãt ſe neſcio quibus præſtigiis poſſe Eccleſiæ eripere manifeſtiſſimas illas ſentẽtias. Nõ eſt, nõ eſt, boni fraterculi, tẽpus illud, quod fuit ante centũ annos: aperuit enim nobis Deus per verbũ ſuũ oculos. Proditis tantũ talibus artificiis impudentiã veſtrã. Sed audiamus reliqua. fo. 170. Quod Paulus dicit iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, ita exponunt, quia fides eſt cauſſa præparatoria, & via ad iuſtificationem, vt alia re poſtea iuſti ſimus coram Deo, non fide apprehendente Chriſtum. Fol. 174. Hęc extant verba, Aduerte quam ſolidam cauſſam Catholici, tã veteres, quam recentiores afferãt, cur tam multus fuerit Apoſtolus in fidei cõmendatione. Exploratum habebat, Romanos alióſq; Iudęos fidem,

fidem, tanquam aduentitium quiddam & extraneum, non ita magni facere. Vt igitur ad fidei amplexum magis hortaretur, fidem pro dignitate ſua commendat, nihil interim aliorum, quæ & ipſa ad iuſtificationem requiruntur excludens, &c. Nec expectes lector, vt hanc ſuam explicationem probent, ſed ſtatim poſtquam Ieſuvvitę hoc dixerint, eſt tibi hoc credendum, ſine vlla inquiſitione. Eſt enim huius ordinis authoritas omni exceptione maior. Atqui Germania (quod vobis dolet, & doleat in æternum) Dei beneficio oculos recepit, illuſtrata luce verbi Dei. Paulus voces illas excluſiuas ingeminat, fidę ſine operibus: nõ ex operibus: non ſecundũ opera: non ex vobis: ſi gratia, iam nõ ex operibus, alias gratia nõ eſſet gratia. Ieſuvvitæ vero dicunt, Paulũ non excludere opera à merito, cauſſa & forma iuſtificationis. Et tanta impudẽtia eſt, quod ſperãt ſe etiam eruditos hiſce manifeſtiſſimis mendaciis poſſe faſcinare. Fol. 175. Dicunt fidei tribui iuſtificationẽ, non ideo, quia apprehendit Chriſtum cum omnibus ſuis meritis: ſed quia demonſtrat quis nam ſit author in nobis bonorũ omnium, & quia dirigit actiones omnes in debitũ finem: ſiquidem Philoſophorum vulgatum axioma eſt, ſi finis bonus eſt, vniuerſam quoque actionem bonam eſſe. Ibidem & fol. 176. Hæc eſt ratio cur tãtopere ac diſertis verbis fidem extulerit Apoſtolus, non quod illam voluerit eſſe veram iuſtificationis cauſſam, ſed vt intelligeremus, fidem omniũ bonorum operũ, quæ nos Deo cõmendant, ac gratos faciunt, eſſe baſin atque fundamentũ. Hęc ſunt Iebuſitica, quæ nuda recitatione propono, & lectori relinquo iudiciũ. Illud vero nõ poſſum præterire, quod artificiũ Ieſuvvitæ oſtenderint in Catechiſmo ſuo in Auſtria edito. In prima enim editione fo. 58. hęc erãt verba, Fide apprehẽdimus miſeri-

cordiam & bonitatem Dei in Chriſto partam: illa verba expunxerunt, & alia ſubſtituerunt. Velim hoc à lectore bene notari, Non poſſe ferre hoc genus hominum vniuerſæ Scripturæ perpetuam ſententiam, de fide apprehendente miſericordiam Dei in Chriſto mediatore.

Doctrina de iuſtitia Chriſti nobis per fidē imputata quibus contumeliis à Ieſuitarū grege exagitetur.

XI. Annotabo & hoc quibus contumeliis exagitēt doctrinā de iuſtitia Chriſti, quæ nobis per fidem imputatur. Et tātum verba ipſorū recenſebo. Fol. 161. Nunquam ne hanc argumentandi formam in Ariſtotele legiſti? Iuſt⁹ eſt, igitur iuſtitia eſt prędítus. Doctus eſt aliquis, habet ergo doctrinā. Vide quid in 1. cap. 2. lib. Topicorum tum ipſe, tum etiā Arabes, Græci, Latinique eius interpretes dicāt. Fol. 162. Sed dices externam eſſe predicationē. Mira vero eſt hæc externa attributio, & à ſeculo nunquam, præterquā ab his præſtigiatoribus audita, vt à qualitatibus quę ineſſe poſſunt, extrinſecus nomē res aliqua ſortiretur: vt ſcilicet credētes iuſti cenſeantur corā Deo, nō ex qualitatibus inhærentibus, ſed ex aliena iuſtitia, Chriſti ſcilicet mediatoris, quæ fide nobis applicatur. De hac predicatione, quam reuerentur Ieſuvvitę loquantur, lector cōſideret. F. 163. Cui vnquam docto perſuadere poteris, iuſtum quempiam externa iuſtitia poſſe appellari? An tu fortaſſe vidiſti vnquam quempiā externa viuere vita? Hæc tā à ratione quam experientia videbūtur alieniſſima. Fol. 169. Si quis dicat hominem fide eſſe iuſtum, idem eſt, ac ſi quiſpiam diceret aſinum aſinina forma eſſe hominem, fide enim fideles, iuſti vero dicimur iuſtitia. Fol. 162. Si iuſtitia eſt imputata, ergo & ſalus erit non vera & inhærens, ſed abſens & imputata. Nihil reſpondebo regulis Ariſtotelis. Piſcatoribus enim, ſicut *Ambroſius* inquit, credimus, non Dialecticis. Nihil dicam de ratione & experientia. Ratio enim

enim captiuanda eſt in obſequium fidei. Sed hoc tantum dicam, Contumelias illas omnes redúdare in ipſum Filium Dei, & ſacroſanctum eius meritum. Fides enim iuſtificat, non quatenus virtus eſt, ſed quia in verbo & Sacramentis apprehendit Chriſtum cum illa obedientia, qua legi pro nobis ſatisfecit. Quando igitur Chriſtus per fidem inhabitat in cordibus noſtris, cum illa iuſtitia, quã ſanguine ſuo nobis promeruit an dicemus, quando pater illam nobis imputat, quando Chriſtus illa tegit noſtras ſordes coram Deo, An inquam dicemus idem eſſe, ac ſi aſinus aſinina forma eſſet homo? Noſtris virtutibus inhærentibus tribuunt Ieſuvvitæ mercedem veram & inhærentem, Chriſti vero merito per fidem appræhenſo & imputato dicunt deberi mercedem imputatam, quam ipſi interprætantur imaginatiuam ſeu phantaſticam, hoc eſt, non veram. Paulus dicit, viuo iam nõ ego, ſed viuit in me Chriſtus. Ieſuvvitæ vero cenſent abſurdiſſimum eſſe, ſi fideles dicantur viuere vita externa, hoc eſt, quæ in Chriſto eſt. Sed deſino, volui enim tantum axiomata doctrinæ Ieſuvvitarum de Iuſtificatione inſpicienda & conſiderãda proponere. Et duo hæc lector per ſe animaduertit. 1. Contumelioſa eſt doctrina Ieſuvvitarum in filium Dei mediatorem & meritum eius, ſicut oſtendimus. 2. Eripit conſcientiis veram & firmam conſolationem, quæ fundata eſt in Chriſto & imputatione obedictiæ ipſius: & ablegat nos ad noſtras nouas inhærentes virtutes, vt non certior ſit recõciliatio, adoptio, & ſalus noſtra, quã certa eſt perfectio noſtrarum virtutum.

Sed nondum habes omnia myſteria Ieſuvvitarũ de articulo Iuſtificationis, peculiares enim tractatus inſtituerũt de fide & de bonis operibus, & illum ordinem nos etiam ſequemur.

DE FIDE.

Qualem fidem Ieſuuitæ profitean tur.

NON repetam hoc loco integram Eccleſiarum noſtrarum doctrinam de fide,ſed quid Ieſuvvitæ de ea & ſentiant & tradant, ex ſcripto Colonieſi,in breues propoſitiones colligam: vt lector quaſi in tabula ſpectare poſsit, qualem fidem Ieſuvvitæ profiteantur. Ludunt autem in multis locis, generalibus fidei deſcriptionibus,vt quod ſit virtus quædam cœlitus nobis à Deo infuſa, cuius beneficio certiſsime iis omnibus inhæreamus, quæ diuino verbo accepimus. Item generalem illam aſſenſionem,que in genere ſtatuit: vera eſſe illa quæ in verbo Dei patefacta ſunt:eſſe ſæpe etiam in iis,quibus in illa die Dominus dicturus eſt,Diſcedite à me,&c. Item fidē aliam eſſe veram & viuam, quandā eſſe mortuam & hypocriticam.1. Timoth.1. Hæc ſunt generalia,quæ nullam admodum habent controuerſiam. Pergā ergo ad illa colligenda,quæ à ſcriptura diſſentiunt, & Ieſuvvitis ſunt partim cum aliis pontificiæ turpitudinis patronis communia, partim propria.

Quid ſit fides Ieſuuitis.

I. *Fol.91.* dicunt fidem eſſe firmiſsimam aſſenſionem,non tantum eorum,quæ in ſcriptura patefacta ſunt, verumetiam illorum, quæ ſine ſcripto per manus tradita ſunt. Et huc pertinet declaratio,quam Ieſuvvitę in primo articulo tradūt,quia ſcilicet Scriptura eſt imperfecta, dubia & obſcura:traditiones verò perfectæ,illuſtres & certæ. Ideo fidem certius & firmius inniti traditionibus, quam Scripturæ.Et hoc eſt primum fundamentum Ieſuvvitarum, quod fidem à Scriptura abducunt, & ideo non eſt mirum quod illi ſuæ fidei non tribuant iuſtificationem.

II. Videamus porro,quas cõquirãt præſtigias, vt ex profeſſo contra Paulum probent fidem non iuſtificare.*Fol.*92.& 111.contendunt fidem,cui ſcriptura tribuit iuſtificationem, eſſe tam in impiis quam in piis. Et hoc ideo contendunt,vt obtineãt, non fidem eſſe,quæ iuſtificet hominẽ, quia illa etiã in multis impiis ſit, qui non iuſtificantur: ſed præter fidem eſſe aliud quiddam inhærens in homine,charitatem ſcilicet,quæ ſit formalis iuſtitia peccatoris coram Deo ad vitam æternã. Diximus autem antea,fidem hiſtoricam, hypocriticam ſeu mortuam,eſſe in multis impiis. Sed de vera fide multa ſunt dicta in hanc ſententiam, Qui credit in eum,non peribit, ſed habebit vitam æternam. Item,qui non crediderit,condẽnabitur. Item,qui non credit iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei.

Ieſuuitæ in Paulũ inſurgunt

Sophiſma Ieſuuiticũ in homonymia vocis fidei

Hinc contra omnes inferorum portas cõſequitur illos qui pereunt & condẽnantur,non habere veram fidem,cui ſcriptura tribuit Iuſtificationem & vitam æternam.Quid autem exiſtimas Ieſuvvitas aliud quærere hac propoſitione,quam quando Paulus affirmat fidem iuſtificare, non opera, ipſi poſſint qualicunque ſpecie contrarium docere. Imo fides non iuſtificat, quia poteſt etiam eſſe in impiis:falſum ergo eſt Pauli dogma.

Reprobi vera fide carent.

HÆ SVNT Ieſuvvitarum præſtigiæ, quibus ſimpliciorum oculos perſtringunt,quaſi nos mortuę fidei,quę ſine pœnitentia, in ſceleribus perſeuerat,tribuamus iuſtificationem. Noſtræ vero Eccleſiæ, ex verbo Dei diligenter monſtrant & inculcant doctrinam de diſcrimine inter viuam & mortuam fidem. Paulus enim manifeſte dicit,fidem quæ in Chriſto Ieſu valet, eſſe efficacem per dilectionem.Et Iacobus negat mortuã fidem,quæ nõ parit bona opera,iuſtificare. Vera ergo & viua

Ieſuuitarũ preſtigia & calumniæ.

fides efficax eſt per charitatẽ,hoc eſt parit bona opera: illa vero fides, quæ nulla bona opera parit, ſed ſecũdum carnẽ ambulat,nõ eſt vera, ſed mortua fides,quæ nõ iuſtificat. Et qui dilectionẽ abiiciunt & ad vomitum reuertuntur,nequaquam retinent fidem iuſtificantem.Ita enim Apologia cõfeſſionis Auguſtanæ loquitur.Si quis dilectionem abiecerit, etiamſi habuit magnam fidem, tamen non retinet eam.Non enim retinet Spiritum ſanctum. Item,nec fidem nec iuſtitiam retinent illi, qui ſecundum carnem ambulant,&c. Quis igitur eſt ſtatus controuerſiæ,ſi vtrinque conceditur,veram fidem debere bona opera parere? Reſpondeo, Quæſtio hæc eſt, an fides iuſtificet propter opera illa, quæ parit? An vero propter Chriſtum,quem apprehendit, qui factus eſt nobis à Deo iuſtitia: vel ſicut Lutherus loquitur.An opera faciant perſonam iuſtam? an vero iuſta perſona faciat iuſta opera?

Status cõtrouerſiæ de iuſtitia Chriſtiana.

III. *Fol.* 118. diſputant obiectum fidei iuſtificantis, non eſſe promiſſionem miſericordiæ in Chriſto mediatore: ſed verſari in omnibus illis, quæ à Deo Eccleſiæ in verbo reuelata ſunt. Et in genere hæc vera ſunt.ideo particula illa in vſitatis definitionibus additur,fides eſt aſſentiri omni verbo Dei. Sed quando quæritur, quod ſit illud obiectũ,quòd fides reſpiciat,apprehendat, & cui innitatur vt iuſtificationem,ſalutem & vitã æternam accipiat? Hic Paulus diſertis verbis dicit, Lex non eſt ex fide. Iuxta Paulum ergo,lex, hoc eſt, præcepta & prohibitiones legis, promiſſiones legales & comminationes, non ſunt proprium obiectum, in quo fides quærat & accipiat remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Quod vero ſit proprium obiectum fidei iuſtificantis,

De obiecto fidei iuſtificantis.

ficantis,perſpicue Paulus explicat,deſcribit & recitat Ro.4.& 10.Gal.3.Philipp. 3. Et in multis locis Euangelii.Qui credit in me habet vitam æternam. Nũ igitur reliqua capita doctrinæ cæleſtis nullum habẽt vſum in conuerſione hominis? habent omnino,ſed ſuo loco.Nunc vero quæſtio eſt, quod ſit proprium obiectum fidei,cuius apprehenſione iuſtificet?Iterũ vero lector cogitet,quare Ieſuvvitæ planiſſimam doctrinam de fide iuſtificante inuoluant iſtis generalitatibus, vt ſcilicet Pauli doctrinam paulatim conuellant.Quando enim Paulus dicit,fides iuſtificat,Ieſuvvitæ opponunt, imo non iuſtificat.Et ratio eſt, quia fides credit omni verbo Dei,& qui ſerio credit,verũ eſſe illud quod ſcriptum eſt,Maledictus qui nõ permanſerit, &c. profecto, hoc ipſo, non iuſtificatur: ſed omne os obturatur, & totus mundus reus fit Deo. Item, quia fides appræhendit & hoc verbum Dei,Si vis in vitam ingredi,ſerua mandata: Ergo fides iuſtificat, non quatenus Chriſtum apprehendit, ſed quatenus eſt genitrix bonorum operum,vt coram Deo ad vitam æternam iuſti ſimus noſtris operibus, ad quam iuſtitiam fides tantum ſit præparatio. Huc tendunt generalitates illæ Ieſuvvitarum.

IIII. Non docent fidem ideo iuſtificare, quod appræhendat Chriſtum, qui eſt iuſtitia noſtra,ſed folio 118. hæc habent verba, Tam ſunt neceſſariæ operationes,tantumque habent momenti,vt fidei ſuam vitam largiantur.Item fol. 92. & 114. dicunt formam, hoc eſt,vim iuſtificandi, fidem mutuari & accipere à noſtra charitate. Non mouebo hic diſputationem de philoſophico illo axiomate: An vna qualitas poſſit eſſe forma alterius qualitatis: ſed tantum inſtitui collationem. Paulus quidẽ dicit,Quod nũc viuo in carne, in fide viuo

Opera vitã ſuam fidei largiuntur, ſi Ieſuuitis fides adhibetur.

filij Dei,viuo iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.Ieſuvvitæ contra dicunt, Quod iuſtus ex fide viuit,illud non habet in Chriſto,ſed ex operationibus ſuis,fol.118.Item, quod fides iuſtificat, illam formam ſeu vim non habet ex Chriſto quem apprehendit & poſsidet,ſed à charitate noſtra: fol. 114.Hæc Ieſuvvitæ,& iudicet lector.

Blaſphemiæ Ieſuuiticæ.

Myſteria Ieſuuitica deteguntur.

V. Hactenus vulgaria audiuiſti lector,iam incipient ſe pandere myſteria Iebuſitica, & multi forſan dubitabunt, an tam craſſa impudentia cadere poſsit in animal rationale,nedum in creaturam Pontificis:ſed ideo folia noto. Pagina igitur 92.dicunt,fides, ſi hæc noſtra tempora contemplemur,verſatur in propoſitionibus generalibus, vt qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, Qui ſeruat mandata, ad vitam ingredietur. Non vero eſt iſtorum.Ego,ad vitam ingrediar, aut mihi peccata remiſſa ſunt.

Fidem volunt eſſe vniuerſalem Ieſuuitæ.

*Fol.*97.Hæc ſunt verba Ieſuvvitarum, Quis vnquam de fide ita diſſeruit ,vt ad eam referendam putauerit certi cuiuſdam priuati hominis propriã ſalutem.Fides eſt rerum certiſſimarum,quę neque falli poteſt,nec fallere.Admodum vero incerta eſt priuata hominum iuſtificatio,multoque magis æterna ipſorum ſalus. Quomodo igitur in his vſque adeo incertis certiſſima fides verſabitur? Hęc ibi.Et poſtea fol.122.repetitur hæc ſentẽtia: Fides eſt generalium pronunciatorũ,ſi hæc noſtra metiamur tempora:ſpes autẽ ſpecialiũ,&c.Habes lector Ieſuvvitarũ dogma,de quo antea forſan nõ potuiſſes ſuſpicari, fidem ſcilicet meam non debere in Chriſto hoc quærere,vt ego ſaluer,ſed debere cõtentam eſſe generali aſſenſione, certam eſſe hanc ſentẽtiam,Qui crediderit ſaluus erit.An vero ego qui credo ſaluus ſim futurus, me nec debere nec

Refutatio.

poſſe

poſſe credere. A Ieſuvvitis igitur diſcemus falſum eſſe quod Petrus dicit, fidei noſtræ eſſe ſalutem animarum noſtrarum. Et quis iam dicet, nullam fuiſſe cauſſam, cur meretrix Babylonica conciperet & pareret nouum hunc ordinem? Eia age, tu pulchra creatura, quam probe refers faciem & lineamēta matris tuæ? quid ni tibi blandiatur purpurata tua genitrix, quæ in primis creationis tuæ annis ſpem facis, te ſuperaturam frontem illam perfricatiſſimam, quæ Apocap. cap. 17. deſcribitur. Sed ſi obiiciatur, quod Paulus dicit, Et nos in Chriſtum credidimus, vt iuſtificemur. Item, Ego viuo in fide filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Rom. 4. ſcriptum eſt propter nos, quibus imputabitur credentibus. Item illud ſæpiſſime in Euangelio repetitum, fides tua te ſaluum fecit. Remiſſa ſunt tibi peccata tua, &c. Miraberis forſan, quid reſponſionis loco fingere poſſint Ieſuvvitæ ad hęc tam manifeſta. Sed homines ſunt valde acuti, addūt enim cautionis gratia parēthesin, Fides eſt generalium pronunciatorum (ſi hæc noſtra contemplemur & metiamur tempora.) Quid hoc ſit, ego nō intelligo, ſed multa ſunt myſteria, nobis, qui ſumus viles pulli, iuxta poëtam, non obuia. Forſan hoc volunt tempore Chriſti & Apoſtolorum veras fuiſſe has ſententias, fides tua te ſaluum fecit, remiſſa tibi ſunt peccata tua, noſtro vero tēpore detritam & obſoletam eſſe veritatem harum ſententiarum.

Sophiſma Ieſuuiticum.

VI. Quod ſi quæras in quem vſum Ieſuvvitæ paradoxon illud præſtruxerint? quod fides ſit generalium tantum pronunciatorum, ſpes vero generalia accommodet ad ſpecies & ad indiuidua: Audi iam fol. 93. ita dicunt, Sperat ſiquidem quiſque pius, peccata ſibi condonata eſſe, ac proinde,

Spem cur loco fidei ſubſtituūt Ieſuuitæ.

de Dei bonitate ac ſuarum operationum remuneratione confidit, non tamen ita firmiter credit, ſe illa aſſecutum eſſe, vt errare non queat, inanis quippe foret illa confidentia: ſed ſperat, & quod paulò maius eſt, confidit etiam, non tamen credit. Scilicet quia poëtæ dicunt, fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo. Et fol. 108. Æternam ſalutem ſibi donandam firmiter ſperant. Sperant dicimus firmiter & magno animo, non tamen credunt, fides enim falli nequit: ſpes autem ſubinde fallitur, cum alioqui ſpes non foret. Deum immortalem quanta eſt impudentia harum beſtiarum! cum Paulus diſerte dicat Rom. 5. Spes non confundit. Et gloriamur ſpe gloriæ Dei. Heb. 6. Spes anchora animæ tuta ac firma. Pſal. 30. In te domine ſperaui, non confundar in æternum. Fol. 122. Et ſane certitudo ſpei, non eſt tanta, vt quis ea nixus non debeat de ſalute ſua hæſitare: quamdiu enim ſperamus, incerti ſumus, quemadmodum vel nominis etymon nos perſpicuè edocet. Hæc vero plane noua eſt Grammatica ſperare in Deum, confidere Deo, iuxta ipſius verbum, idem eſſe quod dubitare. Sit igitur Ieſuvvitica gloſſa, In domino confido, id eſt, non credo, ſed dubito. Accedamus cum fiducia, id eſt, cum dubitatione. Sed in re manifeſta, non eſt opus verbis. hoc igitur tantum dico. Habes hic Germania quod à Ieſuvvitis præceptoribus diſcas, quod hactenus ne per febrim quidem ſomniare potuiſſes. Scribantur hæc ad perpetuam rei memoriam, & ad æternam noui huius ordinis gloriam. Pertinet huc etiã illud quod fol. 105. recitant hiſtoriam de Gregoria quadam cubicularia Auguſtæ, quæ poſt abſolutionẽ, vera in Chriſtum fide acceptam, à Gregorio Papa ſæpius certi aliquid de remiſſis ſibi peccatis cognoſcere deſiderabat. Gregorius vero tandem ita

Ieſuuitica gloſſa.

reſpondit,

reſpõdit,rem & difficilem & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem,quia ego indignus ſum,cui reuelatio fieri debeat.Inutilem vero, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minime valebis.Hæc ille.Porro,quæ ſit differentia inter veram fiduciam & inter carnalem in peccatis ſecuritatem,in noſtris Eccleſiis recte & diligenter explicatur.Et hoc addo propterea,quia Ieſuvvitæ ſycophantice hæc commiſcent. Porro propono & hoc lectori conſiderandũ,quod inter ipſos Pontificios,qui ſunt verecũdiores,agnoſcunt quã flagitioſum ſit dogma de incertitudine ſalutis & dubitatione vere credentium.Editi ſunt canones Concilij prouincialis Colonienſis, anno Domini 1536. quorum Gropperus autor fertur vbi, fol.170. dogma de dubitatione diſerte reiicitur & improbatur.Sed Ieſuvvitæ,hoc ſibi ſemel propoſuerũt, nullũ tam impudens dogma eſſe in Papatu, quod non ipſi,& quidem profligatiori impudentia defendere auſint,præcipue vero dubitationem, vt ſcilicet nundinatio ſupererogationum & ſuffragiorũ pro viuis & pro mortuis eo facilius retineatur. Nam laudat venales qui vult extrudere merces.

Canones Concilij Coloniẽſis Dogma Ieſuuiticum de dubitatione damnant.

VII. Operæpretium eſt etiam audire,quas afferãt rationes academicæ ſuæ dubitationis.Ita enim ſcribũt.fol,103.Incertitudinis huius cauſſa ſi exponenda ſit,non eſt illa in Deum referẽda,ſed nobis ea tribuenda eſt.Deus enim vult gratiam & æternam ſalutem illis omnibus largiri,qui præſcriptas conditiones ſeruauerint.Iam neſcimus ſæpe, an eum afferamus dolorem, quem peccatorũ deſiderat remiſſio,an ſatis præparati cũ emendæ propoſito ſacerdoté adeamus, an omnia proferamus,in actionibus vero noſtris ſępe arrogantia ſe ingerit, &c.Bene igitur quidẽ ſperamus,non tamen certo

Rationes Academicæ dubitationis Ieſuuitarum.

credimus nos habere remiſſionem peccatorum & ſpem gloriæ Dei, quia neſcimus an omnes conditiones, quæ requiruntur, perfecte impleuerimus. Hæc ſunt fundamenta Eſauiticæ dubitationis. Sed quo ego nũc me vertam miſer. Perſpectis enim illorum fundamentis, video & agnoſco me peccaſſe in c. aggrauamus, reaggrauamus, eo quod reprehẽderim tantos viros in illo dogmate, quo dicunt, ſe nõ certo credere, ſed dubitare de ſalute ſua. Offero igitur me ad confeſſionem oris & ſatisfactionẽ operis. Et palam ad perpetuam rei memoriam cano palinodiam, & dico: Quia Ieſuvvitæ fundamẽtũ, cauſſam & meritũ reconciliationis, adoptionis & ſalutis ſuæ nõ collocãt fide in merito & obediẽtia Chriſti: ſed in ſua charitate, operibus, & impletis conditionibus: ideo eos non tantum recte facere quod incerti dubitent de ſua ſalute. Sed addo amplius aliquid, ipſos nec debere, nec poſſe, vel credere vel ſperare vllam ſalutem, quia Paulus non dubitatiue, ſed magna aſſeueratione inquit: Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Item, ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Iam certe poſt talem palinodiam, Eſau non poterit iraſci Iacobo, &c.

Stulto ſecundum eius ſtultitiam reſponde.

VIII. De teſtimoniis Scripturæ, quæ pro cõfirmanda ſua dubitatione adducũt, poſſem multa luculenter dicere, & ſane geſtit animus totum illud argumentum plenius tractare: ſed inſtituti noſtri ratio nunc quidem hoc non patitur. Hoc igitur tãtum notabo, quod abutũtur falſatione textus Eccl. 5. Ita enim allegãt: De propiciato peccato noli eſſe ſine metu: quaſi ſenſus ſit, etiam quando peccatum remiſſum eſt, nõ tamen debes credere certo, quod ſit remiſſum, cum ſciant textum Syracide habere περὶ ἐξιλασμοῦ, hoc redditum fuit (de propiciatu) quod cum Monachis nihil ſignificare videretur,

Locorũ quorundam Scripturæ falſa, id eſt Ieſuuitica interpretatio ad ſtabiliendã dubitationem.

in margine aſcripſerunt, de propiciato peccato. Et illa falſatio Ieſuvvitis eſt autentica, quia ſeruit ipſorum propoſito. Sententiam etiam Salomonis Ec.9. Neſcit homo vtrum amore vel odio dignus ſit, ſciunt nec à Septuaginta nec à Hieronymo ita eſſe redditã: ſed abutũtur vitio vulgatæ tranſlationis. Sed operę precium eſt & hoc notare, Quomodo reſpondeant ad locũ Pauli, Rom.8. Certus ſum enim quod neque mors neque vita, &c. Primo dicũt Paulũ non fide ex verbo Dei, ſed peculiari reuelatione diuinitus certum eſſe factum de ſua ſalute, ſicut & Petr.2.Pet.1. Sed quia Paulus 2.Tim.4. dicit, Scio cui credidi, & Rom.8. non de ſe tantum loquitur, ſed dicit, Nos nemo ſeparabit, &c. ideo quærunt aliam rimam, vt elabantur. Dicunt enim f.110. Certum eſſe, non indicat fidei certitudinem, ſed idem eſt quod ſperare ſeu confidere. Et fol.122. quandiu ſperamus incerti ſumus, Fo.108. Spes ſubinde fallitur. Et addũt: Paul. Rõ.8. nõ habebat fidẽ ea de re quam verbo diuino nuſquam didicerat. Hæc eſt, vere magiſtralis (ſicut ipſi loquuntur) ſolutio. Et quid poſſem ad hanc flagitioſiſſimã ludificationem textus reſpõdere, lector ipſe videt. Sed noſtris hominibus quibus fundamenta nota ſunt, tantum oſtendo impudentiam horum nebulonũ. Talis igitur eſt Ieſuvvitarum fides, ſicut hæ propoſitiones ex ipſorum cenſura collectæ oſtendunt.

DE BONIS OPE-ribus.

SI quid forſan in præcedentibus minus aſpere, craſſe, impudenter & flagitioſe de articulo iuſtificationis dictum fuiſſet, id voluerunt Ieſuvvitæ hoc loco ſarcire, vt menſuram patrum ſuorum non tantum

Impudẽtiæ nullus eſt finis.

implerent: ſed redderẽt confertam,concuſſam & exundantem.Colligemus itaque & huius loci Eſa uitica axiomata.

Axiomata Ieſuuitica de bonis operibus.

I. Exordium ſumunt à Sycophãtica calumnia. dicunt enim fol. 176.de noſtra doctrina: volũt ſibi ad omnem impietatem fræna laxari,& facultatem flagitioſis hominibus facere,quæuis etiam ſcelera (quo plures in ſuam ſententiam pertrahant) cõmittendi,&c.Ad iſtam calumniam,vt latina phraſi reſpõdeam,dicã id quod Cicero pro Cluentio dicit,Magnum & impudens eſt hoc mendaciũ. Quã ſerio enim in noſtris Eccleſiis proponantur,& vrgeãtur exhortationes ad vere bona opera,mõſtratis ex Scriptura veris cauſſis & finibus, non tantũ libri noſtri, ſed & quotidianæ cõciones,corã toto mundo teſtantur. Sonora enim voce reiicimus & damnamus flagitioſam illam Antinomorum propoſitionem, NOVAM OBEDIENTIAM IN IVSTIFICATIS ESSE ARBITRARIAM. Et iuxta formulam Auguſtanæ confeſſionis docemus, QVOD NECESSE SIT BONA OPERA FACERE. Et, QVOD DILECTIO SIT NECESSARIA: Non vt confidamus per ea opera iuſtificationem corã Deo mereri: ſed cauſſas, quibus iuſtificatos ad ſtudium bonorum operum exhortamur, ſumimus ex his & ſimilibus ſcripturæ ſententiis.Rom.8.Debitores ſumus.1.Theſſ.4. hæc eſt voluntas Dei,ſanctificatio veſtra,Ephe.2.Creati in Chriſto Ieſu ad bona opera,&c.Lucæ 1.Vt liberati ſeruiamus ipſi.Matth.6.Sic luceat lux veſtra coram hominibus, &c.1.Ioan.4.In hoc cognoſcimus quod in eo manemus,&c.Philip.1. Vobis eſt iudicium ſalutis.1.Tim.1.Quidam repellentes bonam conſcientiam,etiam circa fidem naufragium fecerunt.1.Tim. 5. qui domeſticorum curam non habet,fidẽ abnegauit.1.Ioã.1.Si dixerimus, quoniã ſocieta-

Calumniæ Sophiſtarum dilutio.

Cur neceſſe ſit adultos bona opera facere.

Teſtimonia ſcripturæ de neceſſitate bonorum Operum.

ſocietatem habemus cum ipſo,& in tenebris ambulamus,mentimur. Rom.8. Si ſecundum carnem vixeritis,moriemini.Iacobi 2.Fides ſine operibus eſt mortua.2.Pe.1.Cui nõ præſto ſũt hæc,cæcus eſt, & oblitus purgationis præcedentium peccatorum.Ideo ſatagite firmam facere veſtram vocationem & electionem,&c.Sed nolo iam de iſta Ieſuvvitarum calumnia plura dicere.Germanicũ enim prouerbium eſt,ad manifeſtum & notorium mendacium non opus eſſe operoſa reſponſione.

II. Folio. 178. multis diſputant, Renatos ſuis operibus mereri perfectiorem,plenioré & auctiorem iuſtificationem,quam illa prior ſit,quæ gratis propter meritũ Chriſti donatur credentibus. Imo ad priorem illam iuſtificationem dicunt noſtra etiam opera eſſe neceſſaria,vel re ipſa,vel ſalté deſiderio exhibita.Sed ſi obieceris illud PauliRom.4. Beatitudiné eſſe eius hominis, cui Deus imputat iuſtitiã ſine operibus:Antea in loco iuſtificationis dixerunt hoc pertinere tantum ad primam iuſtificationem quam ita vocant :nunc vero diſerte dicunt,ne primam quidem iuſtificationem fieri ſine operibus. Quod ſi vrgeas illam Pauli excluſiuam (ſine operibus)confugient ad locum communem de obſcuritate & incertitudine Scripturæ. Expungantur itaque Pauli excluſiuæ,& ſubſtituãtur hæc Ieſuvvitarũ axiomata, Non iuſtificamur ſine operibus,nec in prima,nec in ſecunda iuſtificatione: ſed ad primã ſunt neceſſaria, ſecundã vero promerentur.Audis,lector,nouos terminos:nec mirum, noua enim eſt hæc,non Paulina theologia.

An regenerati mereantur ſuis operibus perfectiorem Iuſtificationem.

III. Plenis buccis principiũ hoc petunt & repetunt, Renatorum bonis operibus,æternã vitam ſempiternaque gaudia deberi,tãquam iuſtã & debitam mercedem.Hæc enim ſunt illorum verba,folio 181 & 176. Et fol.210. dicunt : Fatemur nos,

Petitio principij in doctrina de Iuſtificatione.

Chriſti fideles operari recte, Dei adiuuãte gratia, poſſe, reiectis omniũ peccatorũ ſordibus, atq; auctiorem cæli gloriam, tum denique vitam æternã promereri, &c. Et vt agnoſceremus, quã non contemnendã Ieſuvvitę operã poſuerint in perdiſcendis præceptis Rhetorices, ſententiam illam amplificant & expoliunt. Audi vero quã Rhetorice, fol. 185. ex Hieronymo Chriſtũ introducunt ita loquẽtem: Dicerẽ, ait vobis quia vado & præparabo vobis locum, ſi non manſiones multæ eſſent apud Patrem, hoc eſt, ſi non vnuſquiſque manſionem ſibi, non ex largitate Patris, ſed ex propriis operibus præparet, & ideo non eſt meũ, inquit Chriſtus, parare: ſed veſtrum. Bone Deus quã flagitioſa eſt hęc impudentia, Chriſto mediatori tribuere hæc verba, conſideret quæſo æquus lector. Fol. 186. De noſtro eſt beata illa æternitas promerenda, præſtandũmque eſt aliquid ex proprio. *Ibidẽ*. Ideo in Deo commẽdatur iuſtitia, quia iuxta vniuſcuiuſque dignitatem ſingulis tribuit. Ecquid tibi lector videtur hęc Ieſuvvitarum progymnaſmata? & nuda illa ipſorum ita recito verbis, vt lector iudicet.

Flagitioſa Ieſuuitarum impudentia.

Libet huc aſſcribere Staphyli apoſtatę verba, Qui quiritatur Papiſtis falſo à noſtris tribui, quod doceant hominem poſſe vitam ęternam propriis meritis & operibus & virtutibus ſuis promereri. Et addit, Catholici euincunt, quod neutrũ probarint vnquàm. Noui Staphylũ ſemper fuiſſe dubiæ, ſi tamẽ vllius fidei, qui diſcedẽs ex Pruſſia, Secluciano Polonico cõcionatori hęc verba dixit: Ego per aliquot hic annos publice profeſſus ſum Theologiã, ſed hoc ſcio, neminem ex meis auditoribus poſſe pro certo affirmare quæ ſit mea in vno aliquo articulo ſentẽtia. Et hic tã dubiæ fidei homo agnoſcit tamẽ nimis impudens eſſe dogma de merito vitæ æternæ. Ieſuvvitas vero nihil pudet. Fol. 191. extat

Staphylus Pontificis Romani adulator Ieſuuitarum dogma de meritis operum improbat.

hæc ſententia. Deus ob immẽſam ſuam liberalitatẽ, vt nos ad pias actiones vehementius accendat, non cõtentus iuſtitia diſtributiua, voluit aliquam inire rationem, vt quadam etiam cõmutatione nobiſcum ageret, vitámque æternam venalẽ proponeret. Et quid iã lector vltra deſiderabis, poſtquã Ieſuvvitę cęlum tanquam ſub haſta venale propo nũt? Affigatur itaque cælo, ſicut in auctionibus ſolet charta, quæ ſignificet, Deo cælum eſſe venale, modo emtores inueniat. Ego nihil aliud dicam, quam quod B. Mantuanus cecinit. *Venalia nobis* | Vitam æternam venalem eſſe Ieſuitica cohors affirmat. Cœlum Ieſuuiticũ venale.

Templa, ſacerdotes, altaria ſacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cælum eſt venale, Deuſque.

Et quod alius quidam venuſte luſit:

Vendidit & cælum Romanus & aſtra ſacerdos:
Ad ſtygias igitur cogitur ire domos.

IIII. Annotandum vero & hoc eſt, quam reddant ſententiæ huius rationem, fol. 189. Opera hominũ, ſi per ſe conſiderentur, non poſſunt promereri vitam æternam. Nam finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Sed Chriſtus paſſionis ſuæ acerbitate, noſtris actionibus, hãc omnino virtutẽ tribuit, vt facultate eſſent præditæ promerendi vitã æternã. Ex Chriſti enim paſſione & Spiritu ſancto inhabitãte, infinitas quædã operibus noſtris tribuitur, &c. Paſſus ergo eſt, quantũ hic audio, Chriſtus, nõ propter peccata noſtra, ſed propter bona noſtra opera: & ipſe ſua paſſione non eſt promeritus vitam æternã, ſed ideo tantum paſſus eſt, vt noſtris operib' tribueretur illa facultas, virtus & gloria, promerendi ſcilicet vitã æternã, tanquã iuſtam & debitã mercedem. Chriſtus ergo ipſe nõ eſt iuſtitia & vita noſtra, ſed tãtum hoc meruit, vt nos operibus noſtris, plenius, perfectius, & auctius iuſtificati, hęredes efficeremur vitæ æternæ ſecundum merita noſtra. Fol. 192. Deus bonis renatorum ope-

Sophiſma Ieſuuitarum de merito vitæ æternæ.

Refutatio.

Aliud Ieſuitarũ cauillum. ribus vitam æternam,tãquam debitam mercedem perſoluit,quia pactum nobiſcum iniit,Si vis ad vitam ingredi,ſerua mandata Atqui Paulus expreſſis verbis dicit,iuſtitiam legis eſſe,qui fecerit hæc viuet in eis,Galat.3.Et Galat.5.addit,Si ex lege iuſtificatio(hoc eſt ex illo pacto,qui fecerit hæc viuet in eis)euacuati eſtis a Chriſto,à gratia excidiſtis.Et Galat.2.Si per legem(hoc eſt ex illo pacto, qui fecerit hæc,viuet in eis)iuſtitia : ergo fruſtra Chriſtus mortuus eſt.

Refutatio.

Obiectiones aduerſus falſa dogmata ſua quomodo ſoluant Ieſuitæ.

V. Audi vero & hoc,quomodo ad argumenta contraria reſpondeant,fol.193. Bona piorum opera,in hac vita non ſunt perfecta & pura. Volenti enim facere bonum,ſemper adhæret malum.Item ſi quis dixerit,ſe peccatum non habere , &c. Ad hanc obiectionem tripliciter reſpondent. I. In renatis poſt baptiſmum nullum omnino remanet peccatum, vel quod apertum ſit , vel etiam quod tegatur aut operiatur,fol. 40. II. Licet quædam ſunt in renatis,quæ repugnant legi Dei, non tamẽ quicquid legi Dei repugnat peccatum eſt,fol.46. III. Peccata illa,in quæ quotidie labimur , adeo ſũt leuia, vt nõ poſſint obeſſe huic operũ noſtrorũ efficaciæ qua promerẽtur vitã æternã tanquã iuſtã & debitam mercedem.fol.194.Notet lector has ſolutiones.dignum enim eſt patella operculũ:qualis enim eſt propoſitio,tales etiam ſunt ſolutiones.

Bernardi locus de vita ęterna gratis data quo ſophiſmate à Ieſuitis eluditur.

Ad illam Bernhardi ſententiam(æternam vitam nullis potes operibus mereri , niſi gratis detur & illa)ita reſpondent:Vita æterna datur gratis, quia illam gratiam,per quã tales edimus actiones, quæ dignæ ſũt vita ęterna,nullus meretur.Sed ipſe Bernhardus gloſſam illam nõ admittit,diſtincte enim ponit hæc tria. 1. Neceſſe eſt credere,ꝙ remiſſionem peccatorũ habere non poſſis , niſi per indulgẽtiã Dei.2. Quod nihil prorſus habere queas boni operis

ni operis niſi & dederit ipſe.3. Quod vitam æternam nullis potes operibus (quæ ſcilicet per gratiam eduntur) promereri niſi gratis detur & ipſa. Sed Paulus dicit, Si ex operibus, iam non ex gratia. Item, operanti merces imputatur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Quid putas Ieſuvvitas reſponſuros? quid vero? An ne audiuiſti antea illud principium ? Scripturam eſſe obſcuram. Eſaias dicit, omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt velut pannus mulieris menſtruatę. Ieſuvvitę reſpondēt, hoc dicitur de operibus non renatorum, à quibus Chriſti gratia procul aberat. Ergone Eſaias talis erat? dicit enim, noſtrę iuſtitię. Certe *Bernhardus* ſerm.6. de verbis Eſaię pulcherrime dicit: Noſtra, ſi qua eſt humilis iuſtitia, recta forſitan, ſed non pura. niſi forte meliores nos eſſe credimus, quam patres noſtros, qui non minus veraciter, quam humiliter aiebant, omnes iuſtitiæ noſtræ tãquam pannus mẽſtruatæ mulieris. quomodo enim pura iuſtitia, vbi adhuc non poteſt culpa deeſſe?

Ieſuuitarum commune & perpetuũ κρησφύγετον.

Bernardus amplum dicit teſtimonium aduerſ. Ieſuuitas.

POSTREMO adiiciam & hoc, quomodo probent ipſum etiam vocabulum meriti in Scriptura traditum eſſe, Quia ſcriptum ſit Eccleſ.16. Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum. Et hoc faciunt Ieſuvvitæ non ex inſcitia, oſtentant enim notitiã Græcæ linguæ, ſed ex mera malitia. Sciunt enim Syracidẽ illud vocabulũ planè non habere, Hęc enim ſunt eius verba: πάσῃ ἐλεεμοσύνῃ ποιήσει τόπον ἕκαστος κατὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. Quã prope igitur vocabulũ meriti probauerunt, vt ſcilicet probationes vocabuli & rei vndique ſint pares. Agnoſco me breuius quã ipſa rerũ dignitas poſtulat hæc perſtringere, ſed quia inſtitui tantum propoſitiones Theologiæ Ieſuvvitarum colligere, iudico me nõ debere nunc quidem metas illas tranſgredi.

Meriti vocabulũ in S. Scripturis non extat.

DE COENA Domini.

Doctrina de Cœna Domini ſuauiſsima & conſolationis plena.

SVAVISSIMA, & vere conſolationis plena eſt ſana doctrina de Cœna Domini. Et ſæpe dulciſsima conſolatione animum meum perfundit illa meditatio: quod Damaſcenus in quadam oratione perceptionem corporis & ſanguinis Domini in Cœna vere & eleganter vocat, arrhabona futuræ vitæ & ſalutis. Fide quidem adoptionem accipimus, & ſumus vere Filij Dei, ſed illa adoptio, cruce, ſcãdalis & variis tentationibus ab oculis ſenſus & carnis noſtræ ita abſcondita eſt, vt nihil minus appareat. Salui ſumus, ſed ſpe. Experientia interim videtur diuerſum clamitare, & inter hos fluctus & æſtus huius mundi, fidei infirmitas ſæpe turbatur & varie concutitur. Ne vero plane concidat & extinguatur, ſed vt magis magiſque capiti noſtro vniamur, firmius inhæreamus, vt ipſe ſit in nobis & nos reperiamur in ipſo, Inſtituit mediator noſter filius Dei ſacroſanctam hanc ſuam Cœnam tanquam καθαρτήριον ἀλεξίκακον, ſicut *Ignatius* vocat. Quando enim tentationes conantur nobis excutere & eripere fiduciam ſalutis noſtræ, quam habemus in Chriſto Ieſu Domino noſtro in ſacroſancta Cœna ſua: tradit nobis illud ſuum corpus, quod traditum eſt pro mundi vita, & illum ſuum ſanguinem qui pro nobis effuſus eſt in remiſsionem peccatorum. Et quod poſsit certius pignus eſſe? ratam eſſe in cœlo noſtri cum Deo recõciliationem, quã quod ille ipſe ſanguis, in quo ſicut Paulus dicit, iuſtificati ſumus, & habemus redemptionem, nempe remiſſionem peccatorũ, mihi vera fide in Cœna Domini potanti communicatur. Quæ poſſet certior eſ-

Cœnæ Domini encomia.

Cœnæ Dominicæ fructus vberrimi.

ſe obſignatio?nos eſſe hæredes vitæ æternæ, quam quod illud corpus,quod plenũ eſt vitæ viuificantis ſicut *Cyrillus* loquitur, in cœna nobis manducandum datur. Chriſtus ſuo corpore & ſanguine amplius non moritur,ſed viuit ex virtute Dei, & quia illud corpus,& illum ſanguinem edentibus & bibentibus in Cœna communicat, quomodo non eſſet certiſſima & ſuauiſſima arrha? non fruſtra,nec in incertum nos credere vitam æternam? Quam ſæpe,proh dolor,ex fœdere noui teſtamẽti excidimus, quam languide illud tenemus? Chriſtus igitur in Cœna ſua inquit, Bibite ex hoc omnes, hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine,qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Et vt plenior eſſet fidei noſtræ confirmatio, voluit filius Dei ad communicationem corporis & ſanguinis ſui ſumere res terrenas & viſibiles:panem ſcilicet & vinum, vt ſicut videmus nos accipere viſibilia illa elementa, quibus corporis noſtri ſubſtantia alitur & augetur:ita fides noſtra non dubitet, ſe in illa actione vere accipere corpus domini edendo, & ſanguinem eius bibendo,ad vitæ cœleſtis & æternæ alimoniam. Hanc neceſſariam conſolationem toto pectore amplectamur,nec eripi nobis patiamur. Videbimus autem qua fide Ieſuvvitæ, Domini illius,cuius nomen ſibi aſſumunt,teſtamentaria bona tractẽt.Et pro inſtituti noſtri ratione axiomata illorum annotabimus.

Cur Chriſtus panẽ & vinum voluit ſumere in Cœna.

Qua fide Chriſti teſtamentũ Ieſuuitæ tractent.

I.Ne quis forſan putet haſce Romani Pontificis creaturas degeneres eſſe, magno conatu repetunt Pontificiam Concilij Lateranenſis de Tranſſubſtantiatione cantilenam,quomodo accidentia panis & vini,quæ ſenſibus percipiuntur, ſupernaturali vi,ſine ſubiecto,cohæreant.Et vt dogma illud in ſolidum ſit Pontificium, ne tentant quidem vel vnico ſcripturæ teſtimonio hoc confirmare.

Quibus argumentis Ieſuuitæ tranſſubſtantiationem fulciant.

Dicunt tamen *Fol.*281.Nō deeſſent etiam rationes vel ſolidiſſimæ ,quibus hæc res , ſed apud doctos potiſſimum, probe admodum confirmari poſſet. Nota hoc lector.Habent rationes , ſed tantum inter doctos ſui generis & ſpeciei: non dicam farinæ,ne ſi porcis hoc innoteſceret , periculum aliquod crearetur illis Suitis.Nobis vero,qui illis habemur,iuxta poëtam,viles pulli, nati de putribus ouis,incumbit tantum credendi neceſſitas,etiamſi nulla nobis conſtet vel monſtretur ex verbo Dei ratio.Illud vero ſingulare eſt quod *Fol.*281.dicunt, Quando Euchariſtia appellatur Panis, cum in ſacris literis,tum apud veteres Theologos,vocabulum Panis non ſignificare elementum illud, quod Auguſtinus ita vocat,ſed metaphoricam eſſe appellationem,ſicut Ioh. 6. Dicemus ne ergo,quando Chriſtus accepit panem &benedixit:&c.quod non elementum acceperit,ſed ſeipſum?Quia iuxta Ieſuvvitas , appellatio panis in Euchariſtia eſt metaphorica,ſicut Io.6. Et quomodo igitur ſignificabit accidentia ſine ſubiecto? Sed iam mihi illud in mentem venit , Ieſuvvitas nouo facinore velle inclareſcere,vt ſicut Pontifex olim ſubſtantiam panis ex Euchariſtia ſuſtulit,relictis tantum accidētibus:Ita nunc Ieſuvvitæ ipſam etiam ſpeciem accidentium , quæ indulgentia Pontificis hactenus reliqua fuerunt , tollant. Si enim metaphorica eſt appellatio panis in Euchariſtia,non aliter atque Iohan. 6. ſicut Ieſuvvitæ diſputant, ergo nec ſubſtantiam elementi ſignificabit , nec accidentia.

De effectu manducationis corporis Chriſti quid ſentiant Ieſuitæ.

II. Sententiam illam, quod filius Dei ſumtione Euchariſtiæ,ſingulis vera fide ea vtētibus, largiatur,applicet & obſignet illa beneficia, quæ traditione ſui corporis , & effuſione ſui ſanguinis promeruit,& negant & pernegant, fol.286. ſed filius

lius Dei manifeſte inquit, Bibite, hoc poculum nouum teſtamentum eſt,&c. Et Spiritus ſanctus, Hier.31.Heb.8. interpretatur nouum teſtamentum eſſe remiſſionem peccatorum. Et tamen ſunt homines, qui auſint & filio Dei, & Spiritui ſancto obloqui, & palam hoc negare. Negant & hoc fol. 286.quod credentes perceptione Euchariſtiæ certi reddantur de peccatorum ſuorum remiſſione: & non diſſimulant,quare hoc negent,quia(aiunt) de incertitudine Iuſtificationis atque ſalutis æternæ ſupra diſputauimus. Ergo vt ſaluus ſit vnus error,cumulandi ſunt alii plures & inſigniores. Opponenda hic eſſet doctrina de vero fine & vſu Sacramentorum, ſed inſtitutum noſtrum nunc quidem hoc tãtum eſt, Ieſuvvitarũ dogmatica axiomata colligere. Ita igitur pergunt fol.287. Hoc vnicum annotatum cupimus,Sacramenti iſtius primarium effectum non eſſe remiſſionem peccatorum grauiorũ,quibus mors affertur animo: quanquam interim leuia atque minora peccata deleat, & ſubinde quoque grauia,ſi eorum memoria confitentibus nobis exciderit, nam tunc ſacramenti virtus in nobis ſupplet,quod ignorãtia deſiderabat. Hæc Ieſuvvitæ.

Mirari ſane aliquis poſſet, quæ cauſſa ſit,quod raſa illa & vncta cohors, tam furioſe contra manifeſta verba inſtitutionis contendat, credentes ſumtione Euchariſtiæ non accipere remiſſionem peccatorum:ſed niſi plane mucoſæ naris ſim,arbitror me cauſſam ſubodorari. Sacrificio miſſæ tribuunt remiſſionem peccatorum pro viuis & pro mortuis, & norunt quam amplus fuerit prouentus nundinationis miſſarum. Si itaque populo ex verbo Dei perſpicue proponatur hæc doctrina, illos,qui vera fide vtuntur Cœna Domini, accipere nouum teſtamentum,quod Hier.31.Heb.8.ita

Cur manducationẽ carnis Chriſti ſine effectu eſſe Ieſuuitæ cõtendãt

deſcribitur:Ego ero eis in Deum,& ipſi erunt mihi in populum, quia propicius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum amplius non memorabor.Facile poſſunt, ſubducto calculo, hanc rationem inire (ſunt enim Italicæ practicæ non ignari) quantum damni acceptura ſit negociatio miſſarum.Excogitauerunt igitur hoc artificium, ſtrenue eſſe clamandum: In vſu Euchariſtiæ, nec Chriſtum communicare, nec fideles accipere remiſſionem peccatorũ:ſed in hac doctrina tantum eſſe concionandum de periculo iudicii, & reatus ſumentium.Interim vero in Miſſa, venalem eſſe proponendam remiſſionem peccatorum pro viuis & pro mortuis, ex opere operato, ſine bono motu vtentis, modo non ponant obicem. Hac enim ratione Pontificii non dubitant fore,vt homines abſterreantur ab vſu Cœnæ Dominicæ, & malint in miſſa alieno periculo, data certa pecunia emere remiſſionem peccatorũ ſine bono motu vtentis. Et hæc etiam cauſſa eſt, quod alteram (ſicut vocant) ſpeciem Laicis depeculati ſunt, & illam ſoli miſſæ ſacrificio deputarunt, quia ibi expreſſe annexa eſt promiſſio noui Teſtamenti. Hanc Italicam practicam diligenter notet pius lector,multas enim impoſturas detegit.Quia vero homines ſunt alias valde liberales in articulo remiſſionis peccatorum,quam etiam impoſturis indulgentiarum & aliis næniis tribuere non verentur, ne videantur Euchariſtiæ nihil plane tribuere,dicunt fol.287.Leuia atque minora peccata delet ſacramentum Euchariſtiæ.Non addam ea,quæ animus iuſto dolore commotus ſuggerit: ſed nuda recitatione hæc propono pio lectori conſideranda & expendenda.

Miſſam pro Cœna Domini obtrudunt Ieſuitæ.

De communione ſub vtraque ſpecie.

Poſtremo accinguntur Ieſuvvitæ ad actionẽ repetundarũ,ſiue vt magis proprie appellem de Sa-

ctilegió, quam multis iam annis Eccleſia Chriſti ex verbo Dei intendit Pontificiis, quod bona teſtamentaria in Cœna Dominica, quæ filius Dei voluit vniuerſæ ſuæ Eccleſiæ eſſe communia, non bona fide adminiſtrarint, ſed vſum calicis ſcelerate interuerterint. Et in hac actione Ieſuvvitæ quicquid habent armorum in toto ſuo armario, tanquam in aciem producunt. Sicut enim olim cōductitii Rhetores in materiis ἀδόξοις (ſicut antea etiam meminimus) oſtētationem ingenii hac tatione poſitam videbant, ſi poſſent excogitare vltra & præter inuentionem priorum Sophiſtarum, ſemper noua quædam & παράδοξα argumenta: Idem videbis Ieſuvvitas in hac quæſtione, non tam tentaſſe, quam præſtitiſſe. Et non immerito. Quid enim opus fuiſſet noua creatura religionis Pontificiæ, & quidem ſub finem mundi, ſi nihil quod nouum & ſingulare ſit, ab ea expectandum eſſet? Reliqui Babylonicæ turpitudinis patroni verecundius agunt in hac quæſtione, cogitant enim illud Auguſtini: Aliquid ad ſeipſam probandam valeat ipſa rei euidentia. Sed Ieſuvvitæ oſtentant tantum ſibi eſſe ingenii & acuminis, vt probare & defendere non vereantur, ſi quid in doctrina Pontificia eſſet magis adhuc impudens, craſſum & impium, quam eſt notoria illa mutilatio Cœnæ Dominicæ. Vt igitur noſtris etiam hominibus, acumen illud Ieſuvvitarum innoteſcat, volo breuiter & ordine propoſitiones & argumenta iſtorum annotare.

III. Propoſitionem ita formant, fol. 289. Non diuini ſed humani iuris eſſe, Laicos ſub vna vel vtraque communicari ſpecie. Et hoc eſt vnum notabile. Dicunt enim inſtitutionem Cœnæ Dominicæ Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. pertinere non ad Laicos, ſed ad Apoſtolos & eorum ſucceſſores, hoc eſt, ad Sacerdotes. Illis namque dictum

Sophiſmata Ieſuuitarū aduerſus cōmunionē ſub vtraque ſpecie.

eſt, Hoc facite, fol. 302. Iure igitur diuino, hoc eſt, ex inſtitutione Chriſti, Laicis ne vna quidem debetur ſpecies. Quod autem vna tamen Laicis ſpecies datur, hoc non fit iure diuino, ſed humano, hoc eſt, ex gratia, munificentia & liberalitate Romani Pontificis. O quam vere igitur ECCIVS quondam dixit: Laici debent eſſe contenti vna ſpecie, quia ſcilicet iuxta Germanicum prouerbium, equi donati non ſunt inſpiciendi dentes.

Eccii acumen.

IIII. Summam argumentorum ita ponunt, fol. 289. Conſtat ante Conſtantienſis & Baſilienſis conciliorum definitionem, ſemper arbitrarium fuiſſe ſub altera vel vtraque communicare ſpecie.

V. Temporibus Chriſti & Apoſtolorum fideles Laicos alterius tantum ſpeciei communionem percepiſſe, probant teſtimoniis, Luc. 24. Actor. 2. 20. & 27. Sed vide acumen Ieſuvvitarum. In principio huius certaminis Pontificii fingebant Chriſtum in vltima Cœna inſtituiſſe Euchariſtiam pro Sacerdotibus, poſt reſurrectionem vero in Emaus inſtituiſſe pro Laicis vnam tantum ſpeciem. Sed commenti huius vanitatem Ieſuvvitæ animaduertunt, alias enim non eſſet arbitrarium, ſi Chriſtus vnam tantum ſpeciem pro Laicis inſtituiſſet, & fieret duplex inſtitutio Cœnæ, quarum altera differret ab altera, tempore, loco, ſubſtantia & forma verborum. Lucæ enim 24. non ponuntur hæc verba, Hoc eſt corpus meum. In conſecratione igitur Euchariſtiæ Laicis dandæ, non eſſent recitanda verba vltimæ Cœnæ, ſed Luc. 24. Vident & hoc, illa verba quæ extant Luc. 24. (Accepit panē, fregit & dedit illis) non facere ſacramentum: quia Matth. 14. de quinque panibus & duobus piſcibus plane eadem vſurpantur verba. Quod ſi dicatur, præſumendum eſſe ex prima inſtitutione in vltima Cœ-

Refutatio Sophiſmatū Ieſuuiticorum.

ma Cœna:etiam Luc. 24. addita fuiſſe illa verba, Hoc eſt corpus meum, licet Lucas non exprimat. Vident eadem ratione ex prima inſtitutione poſſe præſumi, additum fuiſſe etiam calicis vſum, licet Lucas non exprimat. Nolunt igitur illam litem ſuam facere, ſed ex veteribus quoſdam nobis obtrudunt, tanquam huius opinionis authores. Nam fol. 290. dicunt, Auguſtinus conſtanter affirmat Chriſtum diſcipulis illis duobus in Emaus Euchariſtiam ſub panis tantum ſpecie dediſſe. Sed hoc manifeſte falſum eſt. *Auguſtinus* quidem allegoriã texit ex illa fractione panis, & quidem accommodat illam etiam ad myſticum corpus Chriſti, hoc eſt, ad Eccleſiam. Nunquam autem Auguſtino ne in mentem quidem venit, inde extruere hoc dogma contra inſtitutioné ſeu vſum calicis in Cœna Dominica, vel eſſe interdicendũ Laicis, vel ſaltem eſſe arbitrariũ. Epiſtola 58. dicit, Illud vero ſacraméti eſſe credo, quod qui in via ambulantibus nó fuerat agnitus, in fractione panis reuelatus eſt, id ipſum tamen tuo ſenſu volo te tenere, non meo. Notet hoc lector, quod Auguſtinus ſuam allegoriã non vult eſſe dogma. Et tractatu 2. in Canonicam Iohannis dicit Auguſtinus, Apoſtoli eum non agnouerunt niſi in fractione panis. Et vere, qui non ſibi iudicium manducat & bibit, in fractione panis Chriſtum agnoſcit. Vides lector Auguſtinum ita ἀλληγορεῖν fractionem panis, Luc. 24. vt diſerte tamen conteſtetur, vtramque ſpeciem in Euchariſtia. dicit enim duo illa fieri in Cœna. I. manducationem. II. bibitionem. Hęc lector conferat ad Ieſuvvitarum verba ſupra recitata, & exclamabit, O perfrictam frontem! ô impudens os? Similis impudentiæ eſt, quod in eandem ſententiam allegant teſtimonia Chryſoſtomi & Theophylacti, cum toti mũdo notiſſimum ſit, Græcam

Ieſuuitæ aduerſ. Auguſtinum falſum teſtimonium dicunt.

Mutilationem Cœnæ Domini-ca non

Eccleſiam nunquam probaſſe, nedum recepiſſe vel defendiſſe tyrannicam illam mutilationem Cœnę Dominicæ. Et quid opus eſt verbis? Nō poſſunt Ieſuvvitę vel vnica litera probare, veteres illos ex loco Luc. 24. extruxiſſe hoc dogma, In Cœna Dominica vſum calicis eſſe Laicis arbitrarium. Imo eſſe illis interdicendum. Proferant ſi quid habent, Hic enim eſt ſtatus diſputationis.

probauit Grę ca Eccleſia.

Illud vero nouum & ſingulare eſt, quod dicūt, ipſum etiam Paulum vnicam tantum ſpeciem Euchariſtiæ dediſſe Laicis. Agnoſcunt ſe premi Pauli authoritate, quærunt igitur rimas vt elabātur. Sed audi probationem dignam Ieſuvvitis, Acto. 27. ponuntur hæc verba: Sumens panē, gratias egit Deo, & cum fregiſſet, cœpit manducare. Inde eliciunt, Ergo Paulus communicaturus milites, celebrauit Cœnam Dominicam tantum ſub ſpecie panis. Sed quæſo candidum lectorum, vt tantum inſpiciat locum, Actor. 27, & inueniet textum manifeſtiſſime loqui de cōmmuni cibo, propter famem 14. dierū. Sed dicunt, Chryſoſtomum locum illum interpretari de Cœna Domini. Ego vero hoc tantum reſpondebo, quod ipſi etiam benè norunt. Opus illud quod vocatur imperfectū, non eſſe Chryſoſtomi, & eſſe in illo plures alios inſignes errores, quos Eraſmus annotauit. Quid enim? An non manifeſte ſequetur? Si Paulus militibus (quos fideles fuiſſe neceſſe eſt, ſi ad cōmunionem admiſſi ſunt) dedit Euchariſtiam tantū ſub vna ſpecie, ergo aliter & cōtra tradidit quam ipſe à Domino accepit, 1. Cor. 11. Sed forſan excipiēt Ieſuvvitę, Milites fuerunt. ergo debuerunt contēti eſſe vna tantum ſpecie. GERSON enim recitat, Liuoniēſes Nobiles, cū primum eo perueniſſet Euāgelij doctrina, noluiſſe ruſticis ſuis concedere ne vnam quidem ſpeciē, quia tali cibo ruſtici non eſſent digni. Has hiſto-

Falſum teſtimoniū Ieſuuitarum aduerſ. Paulum.

Liuonenſium nobilium pōtificia autoritas.

ricas

ricas delicias opponimus Ieſuvvitis,ne fruſtra locum Actor.27.allegarint.

An ex veteribus probari poſſit arbitrarium fuiſſe vſũ calicis in Cœna Domini.

VI. Quia ſciũt cauſſam ſuã apud homines cordatos valde prægrauari, quod in tota puriori antiquitate plurima & manifeſtiſſima extẽt exẽpla, de vtraque ſpecie Laicis data:conantur igitur Ieſuvvitę ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus probare,ſi nõ interdictum, tamen arbitrariũ fuiſſe vſum calicis in cœna Dominica. Sunt autem hæc fundamenta, Tertullianus & Clemens Alexandrinus ſcribunt, Morem fuiſſem Euchariſtiam manibus accipere, quam ſæpe domum portarunt, & ante alium cibum ſumpſerunt.Item Euſebius ſcribit, quomodo hoſpitibus Euchariſtia ſoléniter tranſmiſſa fuerit. Ergo illis temporibus tantum vna ſpecies ſacramenti fuit vſitata.Qualis quæſo eſt hæc conſequẽtia?Et vt res manifeſtior ſit,annoto locum Tertulliani de corona militis,vbi,cum recitaſſet,quomodo Euchariſtia etiam tempore victus domi ſumatur,Mox addit,calicis aut panis etiã noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur. Agnoſcis lector, quid Tertullianus velit.Et addo locũ magis adhuc perſpicuum. *Nazianzenus* enim in funere ſororis ſuæ Gorgoniæ recitat illam intempeſta nocte Euchariſtiam, quam pro more illius temporis antea acceptam ſecum detulerat & ſeruarat,ſumſiſſe, & expreſſe, non panis tantum ſed & vini meminit. Verba hæc ſunt: καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν. Diſiunctiua particula nihil me offendit.Nam & Paulus 1.Cor.11.vbi manifeſtiſſime de vtraque ſpecie, & Domini & ſuis verbis præcipit, diſiunctiue aliquando loquitur:non quod vſum vtriuſque ſpeciei arbitrarium faciat,ſed vt oſtendat pari veneratione vtranque partem eſſe ſuſpiciendam: quia reatus incurritur indigna ſumptione ſiue hęc fiat in pane,ſiue in

Excutiũtur teſtimonia Veterum.

calice Euchariſtiæ. Nobis vero ſatis eſt Ieſuvvitarum argumentum ex ipſa hiſtoria antiquitatis refutaſſe: ita enim argumentantur: Veteres Euchariſtiam ſæpe domum ſecum detulerunt, ſed vini ſpeciem non potuerunt ſecum deferre & ſeruare. Ergo tantum vnam ſpeciẽ ſumſerunt. Nos vero monſtramus alteram propoſitionem de vini ſpecie falſam eſſe. Nam & *Hieronymus* de Exuperio ſcribit, quod corpus Domini portarit in caniſtro & ſanguinem in vitro. Et *Iuſtinus* morem ſiue Samaritanæ ſiue Romanæ Eccleſię deſcribens, dicit: Diaconos vtramque ſpeciem (vt cum Pontificiis loquamur) ſolitos ad abſentes ægrotos deferre. Iacet igitur & hoc Ieſuvvitarum argumentum. In ſumma, petimus hanc quæſtionem ex illis ipſis ſcriptoribus diiudicari. quando enim de Euchariſtia diſputant, quid ſit, quomodo ſit adminiſtranda & ſumenda, diſertè de vtraque ſpecie loquuntur, & ne literam quidem habẽt dogmatice, de interdicto vel arbitrario vſu calicis in Cœna Dominica, Imo ne veſtigium quidẽ vllũ monſtrari poteſt, hãc quæſtionem diſputatam fuiſſe apud veteres, an arbitrarius ſit, vel interdicendus vſus calicis in Cœna Dominica. Et notum eſt axioma, non exemplis ſed regulis iudicandum eſſe. Sed habent exemplũ Satyri fratris Ambroſij, qui Euchariſtiam ligauit in orario, & orariũ inuoluit collo, & ita in naufragio enatauit. Hæc dicunt de ſpecie vini nõ poſſe intelligi. Et hoc exemplo putant veritatem inſtitutionis Cœnæ ita cõcluſam, vt nihil habeat vera Eccleſia quod poſſit reſpondere. Sed oppono reſponſionem ſolẽnem & ſacroſanctam, quæ apud ipſos etiã Ieſuvvitas omni exceptione maior eſſe debet. Nã ſacroſanctũ conciliũ Conſtantienſe pleno ore & expreſſis verbis fatetur vtranque ſpeciẽ Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutã, ab Apoſtolis traditam,

Exemplis pugnant Ieſuuitæ aduerſ. regulas & expreſſa Scripturę teſtimonia.

Conciliũ Conſtantienſe Tridẽtinum damnat.

ditam, & à primitiua Eccleſia vſurpatam. Ergo concilium illud vel ignorauit, vel non credidit, in primitiua Eccleſia arbitrarium fuiſſe vſum calicis in Cœna Dominica. Hoc enim ſi certo probari potuiſſet, nõ opus fuiſſet flagitioſa illa clauſula (hoc non obſtante) ſed ſimpliciter dixiſſent, Semper arbitrarium fuit in primitiua Eccleſia, &c. Hoc argumentum oppono omnibus exemplis, quæ Ieſuvvitæ cumulãt. Neque enim dicere audebunt, ſe, vt priuatos, plura videre, in hiſtoria antiquitatis, quam Concilium œcumenicum in Spiritu ſancto (ſi credere fas eſt) congregatum. Ad Satyri vero exemplũ reſpondeo ipſius Ambroſij verbis, qui dicit fratrem ſuũ, id quod orario inuoluerat, ore ſumſiſſe, & fuſum in viſcera hauſiſſe. Hæc enim ſunt Ambroſij verba. Dicant ipſi iã Ieſuvvitæ, An fuerit tantum ſpecies panis. Neque enim tã rudes ſumus, quin intelligamus ad quam ſpeciem pertineant hæc verba, fuſum in viſcera haurire.

VII. En noua lector habes, quæ apud nullũ pontificiũ ſcriptorẽ facile inuenies, adeo ſunt Ieſuvvitarum propria quædã. Diſputant enim fo. 295. Adeo eſſe omnia arbitraria in Cœna Dominica, vt etiã liceat ſolam vini ſpeciem præbere communicãtibus. Et citãt ex quarto Carthagineſi cõcilio, Canone 26. Si cõtinuo videtur moriturus, infundatur ori eius Euchariſtia. Iã quia infuſio nõ pertinet ad ſpeciẽ panis, concludũt ſolã vini ſpeciẽ datã fuiſſe. Sed qualis illa infuſio, cuius aliquãdo in veteribus mẽtio fit, fuerit, explicatur in II. Toletano cõcilio, Canone 11. In multorũ exitu vidimus, qui collatã ſibi à ſacerdote Euchariſtiã reiecerunt, quod præter dominici calicis hauſtũ traditã ſibi nõ poſſent Euchariſtiã deglutire. Et ex diſtinctione ſecũda de Cõſecr. c. cũ omne. Et, ex gloſſa in c. presbyter. manifeſtũ eſt fuiſſe aliquãdo illã conſuetudi-

Quomodo Symbolis panis & vini Euchariſtici vſa ſit vetus Eccleſia.

nem, quod data fuit Euchariſtia intincta, ægrotis præſertim. Et quod non fuerit intincta in vino (ſicut vocant) non conſecrato, oſtendit Canō concilij Toletani, & hæc verba Iulij c. cum omne. Illud vero, quod pro compleméto communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis, ne hoc prolatū ex Euangelico teſtimonio, receperūt, vbi Apoſtolis corpus ſuum commendauit & ſanguinem. Seorſim enim panis & ſeorſim calicis cōmendacio memoratur. Hæc ibi. Et hoc modo ſenex ille apud Euſebium li. 6. c. 34. ſumit intinctam Euchariſtiā. Falſum igitur eſt quod Ieſuvvitæ dicunt, fuiſſe intinctam vino non conſecrato. Quod vero adducunt exempla quædā, vbi aridæ fauces ſpongia humectandæ fuerūt priuſquam panem dominicum recipere poſſent, & addunt, ſi tunc fuiſſet vſus calicis dominici, non opus fuiſſet ſpongia fauces humectare: facilis eſt reſponſio, (iam enim oſtendimus morem intinctæ Euchariſtiæ certis de cauſſis fuiſſe abrogatum.) Obſeruandus fuit ordo inſtitutionis, vt non primo loco poculum Domini daretur, quia inſtitutio ita habet, Similiter & poculum poſtquam cœnatum eſt, &c.

Nothos & ſuppoſiticios Scriptores accerſunt Ieſuuitæ.

VIII. Quia ex probatis ſcriptoribus non poſſunt ſuffragia ſatis certa & manifeſta colligere, accerſunt igitur nothos & ſuppoſiticios, ipſi ſcilicet Thaidis Babylonicæ ſpurij. Verba Ieſuvvitarū hęc ſunt, fol. 293. Refert Euſebius de diuo Hieronymo, quod alteram ſolum ſpeciem hinc migraturus acceperit. verba ita ſunt poſita, vt lector imperitus ſuſpicari poſſit celebrem illum hiſtoricum Euſebium Cæſarienſem hæc ſcribere: ſed alius quidam eſt Euſebius, qui ineptiſſimas nugas de Hieronymo confinxit. Vnū vero hic ſciſcitari libet à Ieſuvvitis. Hieronymus fuit ſacerdos, & ſacerdotibus, iuxta Pōtificios, inſtituta eſt vtraque ſpecies. Quomodo igitur alteram tantum accepit? Scio quid

reſpondeant, ipſis etiam ſacerdotibus, quando ipſi non ſacrificant, dari tãtum vnã ſpeciẽ. Sed ad hoc velim reſpondeant. Apoſtoli in prima Cœna, ipſi non ſacrificarunt, etiam iuxta Pontificios, & tamẽ Chriſtus ipſis dedit vtrãque ſpeciẽ. Oſtendite hic acumẽ veſtrũ, vos Ieſuvvitæ, & date nobis reſpõſum, vt veſtra cum inſtitutione Chriſti cõcilietis.

I X. Et hactenus de argumentis Ieſuvvitarum. Videbimus iam, quo artificio eludant clariſſima verba inſtitutionis, & quæ apud Paulum extant. Fatentur Chriſtum inſtituiſſe ſumtionem corporis & ſanguinis ſui. Sed conantur elabi vſitato illo Sophiſmate, Quia in Chriſto, qui amplius mori non poteſt, nec ſanguis à corpore, nec corpus à ſanguine ſeparatur. Ergo ſub ſpecie panis accipitur ſimul & corpus & ſanguis Domini: ſufficit igitur altera tantum ſpecies. Et quorſum opus eſſet ſumtione calicis? Quid hic poſſem, honeſta & vera oratione reſpondere, lector ipſe videt. Mandatum nobis eſt, inſtitutionem Chriſti ſimplici obedientia fidei amplecti, non in eam inquirere, quaſi parũ prudenter & recte facta ſit, cum corpus viuidum, nunquã ſit ſine ſanguine. ſed ſeruabo inſtituti mei rationem. Hoc tantum addam, Hoc argumẽtum in negocio Cœnæ hoc modo, in tota, vera & puriori antiquitate non reperiri. Lõgobardus mouet quidem hanc quæſtionem, Cum corpus Chriſti viuẽtis non ſit ſine ſanguine, cur inſtituerit corpus ſub ſpecie panis manducandum, & ſanguinem ſub vini ſpecie bibendum. Non autem reſpõdet de mutilanda altera ſpecie, hoc enim ſpoliũ ſeu ſacrilegium potius, adhuc tempore Longobardi fuit Eccleſiæ ignotũ, ſed quærit alias ſolutiones. Et inquit: vt oſtẽderetur totam humanã naturã aſſumſiſſe, vt totã redimeret (panis enim ad carnẽ refertur, vinũ ad animã) Ideo ergo in duab. ſpeciebꝰ celebratur,

De Concomitantia.

etiam ſacerdotibus.

Reſponſio.

Lõgobardus concomitantiam improbat.

Locus Ambroſij adu. Concomitantiam.

vt animæ & carnis ſuſceptio in Chriſto & vtriuſque liberatio in nobis ſignificetur. Et quod Ieſuvvitis ſine dubio notum eſt, allegat Longobardus Ambroſij multo vetuſtioris ſententiam, qui eandem quæſtionem mouet & ita reſpondet: Valet ad tuitionem corporis & animæ quod percipimus, quia caro Chriſti pro ſalute corporis, ſanguis vero pro anima noſtra offertur, ſicut prefigurauit Moſes, &c. Item, ſi in altera tantum ſpecie ſumeretur: ad alterius tantum, hoc eſt, animæ vel corporis, nõ vtriuſque pariter tuitionem valere ſignificaretur. Hæc ille. Non autem diſputo nunc quantum illa Ambroſij ratio valeat, ſed hoc tantum oſtendo, fundamẽta mutilationis Pontificiæ nulla eſſe. Nec poſſunt Ieſuvvitæ hæc teſtimonia ad miſſam ſuã detorquere, eo quod Longobardus celebrationis meminit. Nã diſerte diſputat de ſumtione, Et Ambroſius nominat perceptionem & ſumtionem. Vides autem lector, quid Ambroſius reſpõſurus fuiſſet ad Pontificiam Euchariſtiæ mutilationem, Nẽpe ſi tantum ſub vna ſpecie ſumitur, erit ergo quaſi confeſſio, Chriſtum tantum corpus non animam ſuſcepiſſe, & redemiſſe nõ animam ſed corpus tantum, & Euchariſtiam valere ad tuitionem corporis tantum, non etiam animæ. Et miror quid Ieſuvvitæ contra hæc tam manifeſta vel fingere poſſint. Principalis igitur & Achilleia iſta Pontificiorum ratio, fuit in hanc quidem ſententiam & vetuſtati & ipſi etiam Lõgobardo ignota.

Recens eſt pontificiorum de concomitantia cõmentum.

Recẽtia itaque ſunt Sophiſmata: Memini me legere apud Alexandrum de Ales, cũ primũ in Monaſteria mutilatio hęc ſacramẽti introduceretur, Monachos quoſdam indignatos ſe priuari vſu calicis, cui annexa ſit dulciſſima promiſſio, de nouo Teſtamẽto: Et tũc cœpiſſe narrari multa miracula, quod ex hoſtia ſanguis effluxiſſet, vt ita perſuaderentur homi-

homines ſe facile poſſe carere vſu calicis. Illis igitur temporibus primum cœpit illa ratio Pontificiorum excogitari.

X. Annotabo & hoc, quod ſophiſtice recitant argumenta noſtra, vt eo facilius poſſint elabi. Folio 298. ita ſcribunt. Adducũt ex Iohan. 6. Niſi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed Chriſtus non dicit ibi, Niſi manducaueritis carnẽ filii hominis ſub ſpecie panis, & biberitis eius ſanguinem ſub ſpecie vini, &c. Reſpõdeo verum eſt, Iohan. 6. de adhibenda externa elementorum ſpecie, nihil inſtituitur: Nos vero argumentum formamus ex verbis inſtitutionis Cœnæ, in quibus Chriſtus iubet corpus ſuum ſub ſpecie panis mãducare, & ſanguinem ſuum ſub ſpecie vini bibere. Hic mihi vide, quomodo Ieſuvvitæ hoc illuſtre & firmiſſimum argumentum ſoluant: ita enim ſcribunt, fol. 299. Impropria eſt de eſu & potu phraſis, & metaphorica locutio. Itẽ, verba illa (manducate, bibite) figurate accipienda eſſe, nemo miretur, vt manducare & bibere, nihil ſit aliud quã ſumere. Et ideo qui mãducat corpus Chriſti ſub ſpecie panis, ſimul etiã bibit eius ſanguinẽ, quia bibere nõ accipitur proprie, ſed nihil aliud eſt quam ſumere. Meminerit lector, diſputationem eſſe, non de verbis, Iohan. 6. ſed de verbis inſtitutionis. Quam multa autem abſurdiſſima hinc ſequantur, lectori expendenda relinquo. Poterimus ergo in Cœna Domini ſumere corpus Chriſti, ita vt ore nihil accipiamus, ſicut verbũ Dei accipitur, Luc. 8. Cogitet ſaltem lector, quã effrenata ſit hominũ illorum malitia, qui ad retinendũ craſſiſſimũ iſtum errorẽ non verẽtur oĩa inuertere & deprauare, ita vt inter mãducare & bibere in cœna nulla ſit differẽtia

Inſtantia Ieſuuitarum Scripturæ teſtimoniis abutentiũ

XI. Sed ad Paulum, quam artificioſe reſpon-

Pauli verba & ſenſum inuertunt Ieſuitæ.

deant audi, fol. 30;. Apoſtolus 1. Cor. 11. Nihil quicquàm præcipit de cōmunione alterius, vel vtriuſque ſpeciei, ſed ſolum Chriſti factū enarrat, quid in cœna illa nunquam ſatis ſtupenda egerit. Sed expecta, nondum habes totum acumen Ieſuvvitarum. Ita enim ſequitur: Paulus quidem inquit, tradidi vobis, ſed tradidi, non eſt idem quod præcepi, ſed potius docui: Sicut Euangeliſtæ dicuntur nobis tradidiſſe doctrinam & miracula Chriſti. Nihil hic reſpondebo, res enim plana eſt: ſed tantum lectori propono impudentiſſimam Suitarum impudentiam conſiderandam. Dictitant hæc, non ſecus acſi cum truncis & ſtipitibus agerent. Paulus dicit, Sicut à Domino accepi, ita & tradidi vobis. Ieſuvvitæ hanc traditionem ita interpretantur, quod non obliget, ſed ſit arbitraria. Et rationem reddūt, quia tradere Apoſtolorum, non eſt præcipere. Notabis hoc lector, quam faciant Ieſuvvitæ differentiam, inter traditiones Apoſtolorum ſcriptas, & inter eas, quas ipſi ſub nomine Apoſtolorum confingunt. Scriptas dicunt eſſe arbitrarias, confictas dicunt obligare ſub periculo ſalutis, fol. 230. An vero putāt nobis Donati regulas eſſe ignotas, cuius modi ſit, quando Paulus dicit, Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat? Sed forſan excipient, Laicos non eſſe homines, ſed pecora campi, atque ideo etiam hanc Pauli ſententiam ad ſolos Sacerdotes pertinere. Sed heus lector, debes etiam hoc ſcire, Ieſuvvitas eſſe Græculos. Nā 1. Cor. 10. Latina tranſlatio legit, Omnes quidem de vno pane & de vno calice participamus. Ibi animaduerterunt Ieſuvvitæ, Græcos codices ita legere, vnum corpus multi ſumus, nam omnes ex vno pane participamus. Et quia ibi non ſit mentio calicis, dicunt ad vnitatem corporis ſatis eſſe vnā

Ieſuitæ Græculi ipſis Pauli verbis abunde refutantur.

ſpeciem,

ſpeciem. Vbi autem boni fratres, manet iam Tridentinum decretum de vulgata tranſlatione? Sed recipimus Græcam lectionem. Paulus vero in eodem loco dicit, Panis quem frangimus, calix cui benedicimus. Sed audi bellam eluſionem, frangere & benedicere pertinet ad ſacerdotes, illis Paulus tribuit panem & calicem, participare vero Laicorum eſt, & illis panem tantum tribuit. Sed heus, Ieſuvvitæ, mendacem oportet memorem eſſe. Mox enim Paulus ſubiungit, Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Num vero diſputatio illa Pauli de Idolothytis, ad ſolos ſacerdotes pertinet? quo nunc vos vertetis Ieſuvvitæ?

XII. Illud vero nullo modo prætereundum eſt, quod ſcribunt, fol. 304. Chriſtum in inſtitutione, non diſpoſuiſſe de modo vtendi, vel ſumendi hoc ſacramentum, ſed magis de eius ſubſtantia & miniſtro. Et ſequitur, Facere igitur diſtinguitur contra ſacramenti vſum. Primaria autem inſtitutionis ratio eſt, vt ſacrificium haberemus, quod Deo patri offeratur. Cæterum vt edatur & bibatur, eſt finis inſtitutionis ſequens alterum primarium. Et hæc omnia Chriſtus reliquit per S. Eccleſiam diſponenda. Et hæc ordinaturum ſe pollicetur Apoſtolus, dum ait, cætera cum venero diſponam. Hæc illi. Valde fortem oportet eſſe phantaſiam & perſuaſionem Ieſuvvitarum, quod tam impudenter ſine teſte mentiuntur, quaſi nemo noſtrum quicquam intelligeret. Semel ſe Chriſtus obtulit, Hebr. 9. Et Ieſuuitæ arbitrantur nos tam ſtupidos, vt ignoremus, an in cruce, an vero in Cœna facta ſit illa oblatio. Quid facere ſit, Paulus diſerte explicat, 1. Cor. 11. & refert ad totam Eccleſiam. Sed Ieſuvvitæ facere explicant, pro ſa-

Nouum Sophiſma Ieſuuiticum ad cõmunionẽ ſub vtraque ſpecie conuellendã.

crificare,quia ſcilicet ſcriptum eſt,Cum faciam v tula pro frugibus,&c.

Autoritas Eccleſiæ Pontificiæ expreſſo Chriſti verbo á Ieſuuitis opponitur

POSTREMO, quia argumentis & ſolutionibus ſatis ſollicite conquiſitis, non ſatis fidunt, ita concludunt,fol.308. Verba Chriſti & Apoſtolorum nemo melius quam S.Eccleſia interpretari poteſt.Et quia hæc optime intelligit, Laicos per nullum Scripturæ locũ ad communionem vtriuſque ſpeciei obligari:per concilium Conſtantienſe & Baſilienſe conſtituit, nulli extra miſſæ ſacrificium vtriuſque ſpeciei communionem porrigendam eſſe.Et authoritati Eccleſiæ nemo niſi cum ſalutis diſpendio reluctari poteſt,quia ſcriptum eſt, Omnia quæcunque dixerint vobis, facite. Et iterum,Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita: nam qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit,& iudicium ſibi acquirit. Quicunque ergo ſub vtraque ſpecie communicant, non ſolum non fructum aliquem ſalutis,aut gloriam,ſed perditionem æternam, ac perpetuam reportant ignominiam.Hæc ſunt Ieſuvvitarum verba, in tribus foliis ſequentibus.

Zigleri impudẽs & inſulſum pro Ieſuitica colluuie teſtimonium.

Aſcribam huc locum Iacobi Zigleri, qui contra VValdenſes olim hæc verba ſcripſit: Nos vnam tantum ſpeciem ſub obedientia Romanæ Eccleſiæ manducamus, certi quia ob hoc obſequium fidei viuemus in æternum. Iudicet æquus lector de his,& de Ieſuvvitarum verbis poſſem plura colligere,ſed memor ſum inſtituti mei: quæ igitur communia ſunt reliquis etiam Pontificiis in medio relinquo, quia Ieſuvvitarum theologiam nunc colligo.

DE IN-

DE INVOCATIONE ſanctorum.

HABET hoc vera Chriſti Eccleſia, præ omnibus aliarum gentium religionibus proprium & peculiare, quod doctrinam de inuocatione Dei, puram & ſinceram tenet. PRIMO enim ex verbo Dei nouit & tradit, quis ſit inuocandus, & ad quem orationes piorum ſint dirigendæ: Ad illum ſcilicet, qui eſt ſolus verus & viuus Deus, qui eſſentiam & voluntatem ſuam in verbo nobis pateſecit. SECVNDO ſola Eccleſia ex verbo Dei certo nouit, quæ ſint illa, quæ à Deo in inuocatione ſunt petenda, expectanda, & illi accepta ferenda, quo ordine ſint petenda. TERTIO ſola vera Dei Eccleſia, licet proprie indignitatis ita ſibi ſit conſcia, vt eam in ipſa inuocatione diſerte profiteatur: tamen ex verbo Dei certo nouit, quod, & cur exaudiatur, ſcilicet propter merita & interceſſionẽ Filii Dei domini noſtri Ieſu Chriſti. Hæc ſumma eſt Eccleſiæ ſapientia, ſuauiſſima conſolatio, & præcipuus etiam cultus Dei.

Pura de Dei inuocatione doctrina veræ Eccleſiæ theſaurus.

Veræ inuocatiõis præcipuę partes.

Multipliciter autem neceſſaria hæc doctrina in regno Pontificio turbata, imo deprauata fuit, craſſis ſuperſtitionibus & manifeſta idolomania in inuocatione ſanctorum. Et pij grata mente agnoſcunt hoc ſingulare beneficium Dei, quod vera & ſana doctrina de inuocatione ex verbo Dei Eccleſiæ reſtituta eſt. Et ipſi Ieſuvvitæ agnoſcũt inuocationem in Papatu longius diſceſſiſſe à puritate fõtium Propheticorum & Apoſtolicorum. Licet enim linguam Pontificiis erroribus ita elocarint, vt craſſiſſima & impudentiſſima quæque defendere non vereantur, ſicut oſtendimus: Ita hoc ta-

Inuocatio Dei multipliciter in regno Põtificio turbata.

Veritatis potens efficacia.

men loco verecundiores ſunt, multa enim ſuperſtitioſa, quæ in praxi (vt ita dicam) Pontificiæ Eccleſiæ manifeſte poſſunt oſtendi, Ieſuvvitæ partim diſſimulant, partim negant. Et hoc primum eſt quod obſeruaui, Ieſuvvitas aliquid in receptis Papatus erroribus non ſane corrigere, ſed ſaltē quomodocunque mitigare. Sed iuxta inſtitutum ordinem axiomata illorum breuiter annotabimus.

Sophiſma Ieſuuitica pro Sanctorū inuocatione.

I. Dicunt fol. 228. In Papatu nunquam vel ſando auditum, ſanctos eſſe adorandos, adorationem enim ſoli Deo deberi. Sed euoluāt legendas ſuas, Roſaria, & id genus alia, & inuenient; imo ſciunt, etiam vocabulum adorationis ſanctis eſſe tributum. Aſcribam tantum locum Antonini parte tertia Tit. 12. cap. 8. proponuntur à Papa per Canoniſationem ſancti, vt exemplar fidei & vitæ ſanctæ, & ab omnibus adorandi & in neceſsitatibus inuocandi. Et in præcedentibus inquit, dicere quod in huiuſmodi Papa erraret, eſſe hæreticum. Hæc Antoninus. Dixi hunc eſſe primum locum, in quo Ieſuvvitæ aliquanto verecundius de manifeſtis idolomaniis diſputant. Sed vide quæſo, illa ſua modeſtia incurrunt notam hæreſeos apud Pontificios; Diſcite ergo boni fratres, ſi à fulmine Tarpeio vultis tuti eſſe, craſſiſſimas idolomanias regni Pontificii ſine omni verecundia & diſſimulatione impudenter proponere & defēdere. Ita demum eritis γνήσιοι & dilecti filii matris veſtræ ſellæ Romanenſis. Sciunt præterea totum Pſalterium eſſe transformatum ad inuocationem Mariæ, vbi & hoc legitur, Venite adoremus eam. An ignoratis illud? Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus. Item Gregorii illud, Concede propicius, vt qui ad adorandam viuificam crucem adueniunt, à peccatorum ſuorum nexibus liberentur. Coguntur Ieſuvvitæ, licet alias impu-

Refutatio multiplex qua oſtenditur Sanctos non tantum inuocatos verum etiam adoratos eſſe in regno Pontificio.

impudentiſſimi, agnoſcere, hæc eſſe nimis enormia, & tamen manifeſte non audent idololatrica illa reprehendere, ſed diſſimulant. Sed diſſimulando non corriguntur, quæ manifeſta ſunt. Nos vero non de vocabulis ſed de reipſa, quam adoratio ſeu inuocatio complectitur dimicamus, & illam ſoli Deo vendicamus. *Athanaſius* enim hoc argumento probat Chriſtum eſſe verum Deum, quia eius auxilium in neceſſitatibus inuocatur. Oratione ſecunda contra Arrianos, Sancti non poſtulant à creato aliquo vt ſit auxiliator. Chriſtus ergo cuius auxilium inuocant, eſt verus Deus. Et oratione tertia, Creatura non adorat creaturam. Ergo Chriſtus, quia adoratur, eſt Deus.

Vnicus Deus ad orãdus & inuocandus.

Vſitatum eſt Pontificiis ſuperſtitiones pingere diſtinctione latriæ & duliæ. Et de vocabulis nunc non diſputabo ne quid contra inſtitutam breuitatis rationem peccem. Aſſcribam tantum locum ex 2. ſynodo Nicena vbi Epiſcopus quidam confirmat, ſe cultum honoris, qui viuificæ trinitati dabitur imaginibus exhibiturum, & quiſquis idem facere recuſauerit, illi anathema dicit.

Inepta latriæ & duliæ diſtinctio rei pſa à Pontificiis ſublata eſt.

II. Illam inuocationem, vt bona nobis donentur, vt à malis cuſtodiamur & liberemur: item vt gratiã in hac vita, & gloriã in futura accipiamus, fatentur ſoli Deo deberi, fol. 208. & 229. Sed Deum immortalem, quid futurum eſt, ſi ad hãc regulam libelli precationum, qui vſitati fuerunt in Papatu conferantur? Manifeſtiſſimum eſt, homines hæc omnia à ſanctis, & quidẽ præſcriptis verbis petiiſſe. Res notoria eſt. Et ne longius eamus, illa ipſa, quæ Ieſuvvitæ colligũt, videamus. Tu nos Baſili ex alto reſpice, totamque vitam nobis in melius permuta. O Athanaſi populum ſanctũ dirige. O Cypriane, noſtrum ſermonem ac vitam dirige. Qui aliqua

Cauilli Ieſuuitici de inuocatione vt à malis cuſtodiamur &c. ad ſolum Deum dirigenda refutatio.

premitur anguſtia, ad hos confugiat, qui rurſus lætatur, hos oret. Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refice flebiles. Sentiant omnes tuum leuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Item vſitatum illud, Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, in hora mortis ſuſcipe. Solue vincula reis, affer lumen cæcis, Nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos. Et quod ſine dubio legiſtis Ieſuvvitæ, Miſerere mei domina, ſecundũ magnã miſericordiã tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitates meas. Amplius laua me ab iniquitate mea. Tibi ſoli peccaui, cor mundum crea in me Domina.

Quale eſt illud quod Suidas de Nicolao ſcribit, quem locum obiter tantum recitant. Nicolaus oratione ſuſcepta in ſomnis apparuit Conſtantino, & milites adiudicatos morti ἐῤῥύσατο & multos alios ἐκ θανάτου ἐξήρπασε, & non deſinit vſque hodie inuocantes ipſius interceſſionem ex omni neceſſitate λυτρούμενος. Pontanus narrat pro vera hiſtoria, Michaëlem Archangelum apparuiſſe Epiſcopo cuidam in Gargano, & dixiſſe, Michaël ego ſum qui hoc excauato ſaxo, hoc antro, hoc habitaculo, his aſſidue manantibus ſtillis abluturus ſum ac deleturus meam ad aram confugientium mortalium peccata. In Formicario hæc extãt verba: Publice canitur in Eccleſia de beata Catharina, cum iam eſſet decollanda orauit, Ieſu Chriſte rex bone, fac miſericordiam omnibus agentibus meam memoriam. Vox de cœlo inſonuit, Veni electa mea, veni, quæ poſtulas impetraſti, vt qui te laudant, ſalui fiant. Quam multa ex ſpeculo exemplorum poſſemus recenſere, quæ à manifeſta idololatria defendi non poſſunt. Et quam craſſa ſunt quibus Damaſcenus in ſuis carminibus virginem

Mariam

Mariam inuocat. Et diſſimulando hęc, vulnera non ſanantur. Quanto ſatius eſſet illos tetros errores diſerte fateri & corrigere?

III. Sanctis volunt illam tantum inuocationem tribuendam eſſe, quæ ſit imploratio interceſſionis, vt inuocentur tanquam ſingulares quidam Dei amici, ac noſtri patroni, vt pro nobis apud Deum intercedant, fo. 229. Et rationem annectunt, quia peccatorum noſtrorum & indignitatis propriæ conſcij ſumus, inuocamus ſanctos, vt Dei gratiam ac fauorem nobis, precibus ac meritis ſuis cōcilient, & vt ſua interceſſione Deum nobis propicium reddant, fol. 208. & 229. Item, quia Deo gratiores ſunt, facile quod cupimus impetrabunt, fol. 208. Hi ſunt colores quibus Ieſuvvitæ ruinoſum parietem inuocationis ſanctorum quomodocunque incruſtant. Et dicunt, fol. 208. Orationem dominicam fundimus ſanctis (hoc eſt S. Gereon, Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, dimitte nobis debita noſtra, libera nos à malo, Quia tuum eſt regnum, tua potentia, &c.) Sed hanc debet habere ſententiam, quod cupimus ſanctorum manibus orationem illam ad Deum deferri. Hæc vere ſunt ludibria orationis. Et horrēdum eſt ſanctos inuocare oratione dominica, quod diſerte concedūt & probant Ieſuvvitæ. Fucus vero ille de inuocatione interceſſionis nec probat, nec tegit, nec corrigit immania illa vicia. Vtrumque enim in Scriptura manifeſte expreſſum eſt. I. Quicquid petieritis Patrem, hoc eſt, à ſolo Deo petenda eſſe omnia bona in cælo & in terra. II. In nomine Chriſti hęc eſſe petenda: illum enim Scriptura nobis proponit, non tantum, vt mediatorem expiationis, verum etiam vt aduocatum, qui intercedit & apparet vultui Dei pro nobis. De illo ſcriptura dicit, quod interceſſione ac meritis ſuis, Dei gra-

Qualem inuocationem Sanctis tribui velint Ieſuitæ.

Ludibria Dominicę orationis.

Pro vera inuocatione adu. Idolatriam Ieſuiticam firmiſſima teſtimonia.

tiam ac fauorem nobis conciliet. Ad huius interceſſionem & merita ſcriptura iubet nos confugere, quãdo in inuocatione ſentimus noſtrã indignitatẽ. Nihil vero tale dicit de ſanctis mortuis, imo ſi quis hoc conſilio & fine viuorum preces flagitat, vt ipſorum merita ſibi ſuffragentur ad conciliandum Dei fauorem & gratiã, non rectè inuocat, ſed pernicioſe errat. Hæc enim gloria ſoli Chriſto mediatori debetur. Quidam veſtræ ſectæ Cynicus, ad ſtabiliendam ſanctorum inuocationem, cœperat docere, Chriſtũ cũ in hac mortali vita verſaretur, oraſſe pro ſuis. Nunc verò ſedentem ad dexteram Patris, nõ amplius intercedere pro nobis, ſed hoc munus ſanctis delegaſſe: ſed hanc blaſphemiã repreſſiſtis quidẽ, obſcure tamen ad illam cynicam opinionem alluditis, f.215. Contumelioſa igitur eſt in Chriſtum mediatorem etiam illa inuocatio interceſſionis ad ſanctos, ſicut Papiſtica tẽpla oſtẽdunt, abominanda illa pictura, Chriſtum ſcilicet ira tumentem, recte inuocantibus lethifera iacula minitari: Mariam vero oſtentare vbera, opponere pallium, reliquos ſanctos vulnera, & alia merita. Hæc tam ſunt manifeſta quod non patiuntur ſe incruſtari huiuſmodi fucatis coloribus.

Sophiſmatum Ieſuiticorum pro inuocatione põtificia refutatio.

IIII. In argumentis cum Bulgaro repetunt legem illam. Rem non nouam aggredimur, fol. 208. Solent qui Imperatori ſupplicãt, per maxime charos ſupplicationes porrigere. Sed hoc argumentum, in ipſa forma refutatum eſt ab Ambroſio, Roman. 1. Et quis charior eſt Patri, quam ille de quo è

1. cœlo clamauit, Hic eſt filius meus dilectus? Itẽ gratos nos reddidit in dilecto. Argumentantur etiã à minori ad maius, quod viui flagitant mutuas viuorum preces. Sed ſimplex reſponſio eſt: Deus, ſicut Ambroſius inquit, non noſtris argumẽtationibus, ſed ſuis æſtimandus eſt vocibus. De mortuis enim

inuocan-

inuocandis,nec mandatum nec promiſſio nec ex-
emplum in ſcriptura extat. Et ſicut antea dictum
eſt,Scriptura nullo modo vel mandat vel permit-
tit viuorum etiam mutuas preces hac ratione im-
plorandas eſſe, ſicut apud Pontificios ſanctorum
inuocatio habet,de ſuffragatione ſcilicet merito-
rũ.Et Paulus viuens,licet non dubitabat ſe in pre-
cibus Petri,dum viueret,comprehendi,non tamẽ
dixit,S.Petre,Pater noſter qui es in cœlis, nec vn-
quam Deũ inuocauit, vt propter preces & merita
Petri ſibi eſſet propicius.Multis modis ergo diſſi-
milimum eſt hoc ſimile Folio 208.hoc habent ar- 2.
gumẽtum.Ad Deum eo propius quis accedit,quo
ſe magis coram eo humiliat conſcientia peccato-
rum & propriæ indignitatis,&c. Sed inde non ſe-
quitur ſanctos eſſe inuocandos.Deus enim aliũ no
bis propoſuit mediatorem, filium ſuum dominum
noſtrũ Ieſum Chriſtum,hunc nos iubet accedere,
per hunc vult noſtras preces ad ſe deferri,propter
huius interceſsionem & merita affirmat nos exau
diri:& hæc eſt vera humilitas.Fol.220.tanquam de 3.
re compertiſſima diſputãt quod & quomodo ſan-
cti gemitus & ſuſpiria inuocantium audiãt & in-
telligãt,plane,ſicut Paul.Col.2.dicit,in iis quæ nõ
viderunt ἐμβατεύοντες. Ego vero hoc tantum re-
ſpondeo,quod veteribus hoc myſterium ignotum
fuit.Origines enim in 2.cap.ad Rom,inquit. Si et-
iam extra corpus poſiti,vel ſancti, qui cũ Chriſto
ſunt,agunt aliquid,& laborant pro nobis,ad ſimi-
litudinem angelorum,qui ſalutis noſtrę miniſteria
procurãt,habeatur hoc quoque inter occulta Dei,
nec chartulę cõmittẽda myſteria. *Auguſtinus* vero
de cura pro mortuis,inclinat ad ſententiam nega- cap. 13
tiuam, & citat illud, Eſaiæ 63. Abraham neſciuit
nos,& Iſraël ignorauit nos. Quando igitur Ie-
ſuvvitæ cum Menippo è cœlo redierunt? quod

tanta aſſeueratione affirmant de illa quæſtione. Omnia ipſorum argumenta tãtum ſunt à poſſibili ad ineſſe, quæ quantum valeant, pueris notum eſt. Certe Paulus Rom. 8. dicit, gemitus inenarrabiles in inuocatione illum ſolũ ſcire, qui corda ſcrutatur. Et præclara eſt Auguſtini ſententia, vbi de re obſcuriſſima diſputatur nõ adiuuantibus diuinarum authoritatum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.

Qualia ſunt Ieſuitarũ argumenta.

V. Poſt longas argumentorum velitationes tãdem concludunt fol. 230. Scripturam quidem nuſquam docere Sanctorũ inuocationem, & tamẽ nihilominus eſſe credendam, recipiendam & ſeruãdam. Et hic ingrediuntur communem illum Pontificijs locũ de traditionibus tacitis. Ego vero hoc tantum pro confeſſo à Ieſuvvitis accipio, Dogma Pontificiorum de inuocatione ſanctorũ nuſquam habere in Scriptura manifeſta teſtimonia. Tãdem igitur apparet aliqua iſtorum hominum, ſed coactitia ingenuitas. Conati ſunt multi, detortis quibuſdam Scripturæ ſententiis, ſpeciem aliquam induere inuocationi ſanctorum, ſed Ieſuvvitæ, quia vidẽt rem per ſe incertam huiuſmodi teſtimoniis reddi plane incertiſſimam, ſicut Ariſtoteles loquitur, malũt palam profiteri, Scripturam nuſquã docere inuocationem ſanctorum. Et ego dico ipſorũ verbis, A ſæculo non eſſe auditam illam tyrannidem, quæ Eccleſiam obliget ad dogma aliquod, de quo ipſi authores palam profitentur, quod nulla habeat in Scriptura teſtimonia. In fine leniter ſuſurrãt veteres hoc vidiſſe, inuocationẽ ſanctorum poſſe ex Scriptura elici. Et hoc nobis debere ſufficere etiam ſi nunc nec oſtendi nec intelligi poſſit, quomodo inuocationi ſanctorum cum ſcriptura conueniat. Iacobus Ziglerus diſputans de inuocatione

Scripturã nuſquam docere ſanctorũ Inuocationem fatentur Ieſuuitæ.

An ex Scriptura Inuocatio Sanctorũ poſſũt elici.

tione ſanctorum contra VValdēſes, vt breui compēdio ſe ſocioſque ſuos Pontificios omni argumētandi moleſtia leuaret, citat ſententiam Euſebij de præpara. Euāg. li. 12. quæ ſic habet. Certe defunctorum animæ virtutem quandā habent, qua vel poſt mortem rebus humanis auxiliātur, vera enim hæc opinio eſt, ſed niſi prolixis rationibus probari non poteſt, credere autem oportet huiuſmodi ſermonibus, quoniā à priſcis valde viris traditi ſunt. Inſpexi autem Euſebij illum locū & ecce, inuenio Quibus
hæc eſſe Platonis verba, quæ Euſebius ex li. 1. Pla- teſtibus
tonis de legibus ſe deſcripſiſſe ait. Et bene hoc no- vtantur
tet lector, qualis & vnde profecta ſit traditio illa Pōtificij.
de inuocatione ſanctorum, qua Pontificij craſſiſſimas quaſq; ſuperſtitiones & idolomanias pingunt & ſtabiliunt. Fuit igitur olim, & nūc eſt, & erit in perpetuū, opinio ſine verbo Dei. Ad cumulū vero illum ſententiarum ex patribus hoc tantum reſpōdeo, quod *Epiphanius* Inuocationem Mariæ, vocat Inuocatio
errorē antiquum. Antiquitas ergo, ſine verbo Dei Mariæ, er-
in hac quæſtione, idem valet, quod *Cyprianus* in- ror anti-
quit, Cōſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. quus.
Et *Hieronymi* ſententia eſt, quod ex ſcriptura authoritatem non habet, eadem facilitate cōtemnitur, qua probatur. Et quod apud veteres nō fuerit habitū pro dogmate certo & immoto ſeu pro articulo fidei, vn' Naziāzenus, qui Apoſtrophis ſuis floridis magis & Rhetoricis quā ſolidis & Theologicis occaſionē dedit multis ſuperſtitionibus, oſtendere poteſt. In oratione enim de Baſilio, hæc extant verba. Et nūc Baſilius eſt in cœlis, κἀκεῖ τὰς Priuatæ
ὑπὲρ ἡμῶν (ὡς οἶμαι) προσφέρων θυσίας καὶ τοῦ λαοῦ προδ- Nazianze-
χόμενος. Inquit ὡς οἶμαι, vt ego quidem arbitror, ni cogita-
ſeu niſi fallor. Atqui de articulis fidei non ita lo- tiones ve-
quitur Eccleſia, ſed hoc modo: Certus eſt ſermo, ritati prę-
& omni acceptatione dignus. Hoc eſt quod dici- iudicium
non ad-
ferunt.

mus , quod modis omnibus probare contendimus Firmiter crede,& nullatenus dubites.Et *Auguſtinus* pulcherrime dicit,In rebus fidei non debet valere,hoc ego dico,hoc tu dicis, ſed hæc dicit Dominus.Idem Nazianzenus in Epitaphio patris ſui,inquit,Vt ego quidē mihi perſuadeo,nunc plus interceſſione ſua prodeſt,quam dum viueret doctrina:& mox addit,πλημμεροτερο' τυτο ειπεῖν. Vides lector,qualia ſint Nazianzeni fundamenta in Apoſtrophis compellatoriis ad mortuos , Idque, ipſius confeſſione.Dicit enim , vt ego quidem arbitror,vt ego mihi perſuadeo,niſi tamen audacter nimiū hoc dicitur.Hę clauſulæ oſtendunt eſſe priuatas Nazianzeni cogitationes ſine manifeſto verbo Dei. Et manifeſte monſtrari poteſt,licet temporibus antiquis,apud quoſdam priuatim cœpiſſe ſeminaria quædam huius ſuperſtitionis, fuiſſe, eam tamē reprehēſam in ſeriis & dogmaticis diſputationibus contra aduerſarios, & oſtenſam veram rationem venerandi ſanctos. Iulianus enim apud Cyrillum lib.6.& 10. obiicit Chriſtianis cultum & adorationem mortuorum:*Cyrillus* vero reſpondet,De memoria & honore martyrū,de adoratione negat , de inuocatione interceſſionis & ſuffragatione meritorum nihil plane dicit.In eandem plane ſententiam extat & Iudæorum obiectio,& Chriſtianorum reſponſio apud Euſebiū in Epiſtola de exuuiis Polycarpi lib.4.c.15. Addam & hoc,quod Ieſuvvitæ dicunt, in miſſa Chryſoſtomi in publica & ſolēni oratione,quæ exēplum debet eſſe priuatarum precū,expreſſe extare inuocationē ſanctorum.Sed reuocēt in memoriā Ieſuvvitæ, ꝙ Pelargus ſcribit,ſuū exēplar mirū in modū variaſſe ab illo quod Eraſmus edidit. Et ſe præterea vidiſſe Romæ aliud exēplar,quod cū neutro illorum conueniat. Quanta igitur debet huius miſſæ

Iuliani obiectio de cultu & adoratione mortuorum quomodo diluta.

eſſe

eſſe autoritas? Imo oppono manifeſtiſſimam ſententiam *Auguſtini*, qui de ciuitate Dei lib. 22. cap. 10. dicit, Non erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed vni Deo & martyrum & noſtro ſacrificium immolamus. Ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur. Quicquid igitur ſit de priuatis quorundam veterũ cogitationibus, ſiue vt ita appellem, deuotionibus, hoc manifeſtũ eſt ex Auguſtini teſtimonio, in publicis & ſolennibus Eccleſiæ orationibus inuocationem ſanctorum non fuiſſe vſitatam, idque propter hãc cauſſam, ne hominibus Dei, id quod Deo ſoli debetur, tribuatur. Extant λιτανεῖαι Græcæ Eccleſiæ, in quibus ne veſtigium quidem vllum apparet inuocationis ſanctorum. Hæc de publicis precibus rectè opponuntur quorundam veterum cogitationibus. Sed, vt ſæpe iam dixi, non inſtitui iuſtam refutationem: ſed capita tantum doctrinæ Ieſuvvitarum annoto.

Auguſtini teſtimonium adu. Ieſuuiticam inuocationem.

Litaniæ Græcæ nõ meminerunt inuocationis Sanctorũ.

DE POENITENTIA.

MVltum refert doctrinam de pœnitentia extare puram & ſincerã in Eccleſia, ex veris ſacræ Scripturæ fontibus explicatam. Summam enim totius doctrinæ cæleſtis Filius Dei complexus eſt his verbis, pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum. Et Luc. 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. Item Act. 11. Dedit gẽtibus Deus pœnitentiã ad vitã. Et qualis fuerit in Papatu cõſciẽtiarũ carnificina, cũ homines per ſuas ſatisfactiones quærerẽt recõciliationẽ cũ Deo

Summa doctrinæ cœleſtis.

Conſciẽtiarum carnificina.

ſalutem & regnum cælorum, etiamſi totius mundi experientia intermoreretur, libri tamen Pontificij ad omnem poſteritatem teſtabuntur. Eſt auté Scripturæ doctrina de pœnitentia, plana & perſpicua. Summa enim comprehenditur hiſce capitibus. 1. Pœnitentiam agite. 2. Credite Euangelio. 3. Facite fructus dignos pœnitentia. Et monſtrat Scriptura, reconciliationem & remiſſionem peccatorum in pœnitentia apprehendi, non contritione quæ eſt ex lege, & eſt ſenſus iræ Dei, nec fructibus pœnitentiæ, illi enim ſequuntur reconciliationé: ſed apprehendi fide in promiſſione Euangelij, quæ affert & applicat miſericordiã Dei propter meritum Chriſti mediatoris. Sicut & Gregorij quædam ſententia teſtatur: Non in fletibus (hoc eſt, non in contritione) nec in actibus noſtris (hoc eſt, non in fructibus pœnitentiæ) ſed in Aduocati noſtri allegatione confidamus, quæ eſt fides applicans ſibi in vera pœnitentia Chriſtum in officio Mediatoris. Quia itaque hactenus Ieſuvvitæ doctrinam Scripturæ de iuſtificatione & de fide ſcelerate deprauarũt, quid ſani ab ipſis expectabimus in loco de pœnitentia? Sed paucis tamen ſe expediunt. Nolunt enim totam camarinam mouere. Erimus igitur & nos in annotationibus breuiores, quia ad finé propero, & principaliter, quæ Ieſuvvitarum propria ſunt conſtitui colligere. Quæ igitur communia habent cũ reliquis beſtiæ Apocalypſeos adoratoribus, breuiter recenſebimus.

Scripturæ doctrina de pœnitentia plana & perſpicua.

Gregorii egregium de pœnitentia teſtimoniũ.

I. Recitant & probãt vſitatam apud ipſos ſententiam. Hominem qui poſt Baptiſmum labitur, frangere arcam illius fœderis bonæ conſcientiæ per reſurrectionem Chriſti, quod Deus nobiſcũ in Baptiſmo iniit, ita vt ad illud redire non poſſit, ſed quærenda ſit alia ſecunda tabula, qua ex diluuio iræ Dei, & damnationis æternæ enatemus. Et hanc

Ieſuuitarum commentum de Pœnitentia.

ſecundam

ſecundam tabulam eſſe pœnitentiæ sacramētum, quo Deus rurſus reconciliatur peccatori. Sed ne æquiuocatio ſit in terminis, quomodo hoc intelligi velint explicabo, non meis ſed ipſorum verbis. Diſtinguunt pœnitentiam in interiorem & exteriorem. Et interiorem pœnitentiam per ſe ſuſceptam, quæ dolet de peccatis, & fide reſpicit ad agnum Dei, vt à peccatis ſoluatur, qualis fuit illorum Actor. 2. ante Baptiſmum, dicunt non eſſe ſacramentum illud pœnitentiæ, de quo Pontificia Eccleſia dimicat. Sed quæ iniuncta eſt per ſacerdotes ad cōfeſſionem oris & ſatisfactionem operis, hanc demum eſſe pontificiam pœnitentiam. HOSIVS legatus Pontificis ita ſcribit: In Baptiſmo eſt gratuita remiſſio peccatorum, qui vero poſt Baptiſmum lapſi ſunt, illis non tam facilis, tam liberalis & gratuita via patet ad miſericordiam. Ieſuvvitæ ita concionantur, fol. 320. Quemadmodum ſeſe res habet in forenſi iudicio, in quo cauſſæ primum diſcutiuntur, & ſi quando iudex reum abſoluat, id ſine mulcta, non ſemper fieri conſueuit. Sic etiam in pœnitentiæ ſacramenio vſu venire conſpicimus: in eo enim ſacerdos, iudicis locum tenens, cauſis peccatiſque intellectis, ſi iuſtum fore exiſtimat, confitentem abſoluit, iniuncta tamen pœna aliqua tēporali, qua pro peccatis ſuis ſatisfaciat, & pœnitentis eſt iniunctam ſibi à iudice mulctam æquo animo ſuſtinere. Finis porro iſtius iudicii hic ſtatuitur, vt Deo reconciliemur. Hæc Ieſuvvitæ. Obſeruet lector, quod modus reconciliationis cum Deo poſt lapſum, docetur & monſtratur, non ex Scripturæ ſententiis, ſed ex practica Oldradi, ex ſpeculo Durandi, & ſumma ex proceſſu iuris. In toto vero illo iuridico proceſſu, ne ſemel quidem mentio fit veræ fidei, quæ in Chriſto mediatore quærit & apprehendit mi-

Duplex Ieſuuitis pœnitentia.

Hoſii ſententia de Baptiſmo & pœnitentia.

Quā pœnitentiā ſtatuant Ieſuuitæ

Detegitur impietas dogmatis Ieſuuitici de pœnitentia.

ſericordiam Dei, recōciliationem & remiſſionem peccatorum. Hāc Ieſuvvitarum pœnitētiam bene notet lector. Intelligo ſane quid ſibi velint proceſſu illo iudiciario, vt ſcilicet ſtabiliantur ſatisfactiones & illa carnificina conſcientiarum, quod nulla peccata in abſolutione remittantur, niſi ſacerdoti tanquam iudici per enumerationem fuerint patefacta. Sed talem iudiciarium proceſſum, nec purior antiquitas agnoſcit. *Chryſoſtomi* ſententia eſt. Cogitatione fiat delictorum exquiſitio, abſque teſte ſit hoc iudicium, ſolus te Deus confitentem videat: Idem Homil. 9. de pœnitentia: Medicinæ hic locus eſt non iudicii, non pœnas, ſed peccatorum remiſſionem tribuit. Et *Ambroſii* ſententia etiam in decretis citatur: Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos exhibet officium, & nullius poteſtatis iura exercet, miniſter enim alieni promiſſi ac beneficii eſt, non dominus.

Fundamētum tyrānidis & carnificinæ Pontificiæ.

Patrū teſtimonia adu. Carnificinā pontificiam.

II. Pœnitentiam affirmant eſſe ſacramentum, ſed quia viſibile elemētum, quod ad definitionem & ſubſtantiam ſacramenti requiritur, non poſſunt inuenire, dicunt actus hominis pœnitentis eſſe materiam ſacramenti vel quaſi. Tres recitant partes pœnitentię, cordis contritionem, oris confeſſionem, & operis ſatisfactionem: ſed de contritione & de confeſſione non explicant ſe. Trāſeat igitur hoc.

Pœnitentia an ſit Sacramentum.

Pœnitentiæ partes

III. Pro ſatisfactione vero acerrime digladiantur. Nos ſententiam illorum annotabimus, fol. 325. ita ſcribunt, Si quiſquam in Eccleſia Chriſti primum aſſumatur, ita eum ab omni peccati macula penitus ablui, vt ſatisfactione nulla ſit opus, quam pro commiſſis peccatis exhibeat. Sed ſi relapſi fuerint vna cum abſolutione, pœna etiam aliqua atque ſatisfactio, ſecundum menſuram delicti iniungenda eſt. Et addunt: Quantumuis enim Chriſtus

De ſatiſfactione, ſententia Ieſuitarum.

ſua paſſione & morte fuerit promeritus, vt pœnitentiam agentibus, ſtatim & culpã remittere poſſit & pœnam, non id tamẽ, quo melius politia Eccleſiaſtica cõſeruaretur, facere voluit, quin potius ſatisfactiones aliquas exigit, quas nos ipſi ſcelerũ enormitati repẽderemus, & ita poſt culpam delctam, ſatisfactionem adhuc aliquam exigit. Hæc ſunt ipſorum verba. Vide autem quomodo pingãt veteres abuſus fo. 327. dicunt, noſtris ſatisfactionibus, quas pro peccatis noſtris ſuſtinemus, non deletur culpa nec reatus ęternæ damnationis, hæc enim ſolius Chriſti merito tolluntur. Sed virtute ſacramenti pœnitentiæ, propter Chriſtum, æterna pœna commutatur in temporariã, & pro illa nobis etiam poſt acceptam abſolutionem ſatisfaciendum eſt. Hoc modo recens didicerunt pingere ſatisfactiones. Sed extant libri ipſorum, inſpiciantur tantum tituli in ſummis vtrum Deo quis poſſit ſatisfacere pro peccato? Et reſpondent quod ſic. explicant etiam, quomodo: ſecundum menſuram ſcilicet proportionis, licet offenſio ſit infinita, & ſatisfactio noſtra finita. Diſputant etiam an & quomodo vnus homo poſſit Deo pro alio ſatisfacere. Item, quantum ſatisfactio in peccato mortali facta valeat. Hæc vident Ieſuvvitæ manifeſte eſſe blaſphema in meritum Chriſti, & tamen aperte non audent reprehendere, ne creatorem ſuum Pontificem offendant. Interim neruos tamen retinent, ne Chriſti ſatisfactio ſufficere credatur, ſed aſſuendam eſſe etiam noſtram. Ideo de commutatione nugantur. Illud etiam obſeruãdum eſt, quod inſidioſe confundunt doctrinam de fructibus pœnitentiæ, cum commentitiis ſuis ſatisfactionibus. Vt enim lectori fucum faciant, diſputant cauſſas peccatorum eſſe excindẽdas, reliquiis peccati reſiſtendum, occaſiones peccatorum vitandas, fre-

num eſſe iniiciēdum veteri Adamo,&c. Hæc quia vera ſunt,& ad veram pœniténtiam pertinent,& nos ex verbo Dei ſedulo docemus.Sed hoc nec vo lunt nec quærunt Pontificii,licet ad faciēdum ſucum obiter ita loquantur. HOSIVS ita inquit, non tantum à peccatis abſtinendum eſt,& vita in melius immutanda,ſed indebita opera ſunt faciēda,vt Deus placetur. Et Ieſuvvitæ fol. 329. ex ſermone,qui falſo Auguſtino aſſcribitur,citant: Non ſufficit mores in melius commutare,& a factis ma lis recedere , niſi etiam de his,quæ facta ſunt Deo ſatiſfiat. Item ex Gregorio citant. Qui ſe illicita meminit cōmiſiſſe,a quibuſdā ſtudeat licitis & cō ceſſis abſtinere , quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat.Notet candidus lector ſtatum diſputationis hunc eſſe. I. Satisfactiones Papiſticas cōſiſtere non in operibus a Deo mandatis ſed in indebitis,hoc eſt ſupererogatoriis. II. Finem eſſe, non vt peccato reſiſtatur, nec vt Eccleſiæ offenſæ exemplo ſatisfiat,ſed vt Deo pro peccatis ſatisfiat, illis indebitis operibus. Et ſtatu recte poſito, facilis & illuſtris eſt refutatio ex verbo Dei. Pertinet huc etiam doctrina,quare Deus poſt remiſſum peccatum pœnam temporalem aliquando imponat. Item quomodo tota pœnitentia mitigentur pœnæ temporales.Sed ego ſeruabo inſtituti mei rationem.Tantum addam blaſphemum decretum Tridentinæ ſynodi , quæ Canone 12. ſic habet , Si quis dixerit,ſatisfactionem pœnitentium non eſſe aliam quam fidem , qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe,anathema ſit.Conſideret quæſo pius lector,quam horrenda ſit hæc blaſphemia.

Hoſius & Ieſuuitæ de operib Supererogationis.

IIII. Ignem purgatorium,qui culinas ipſorum ſpecioſe ornat & illuſtrat,totis neruis incipiūt defendere,& indignantur,à pueris etiam nūc ignem illum vocari maculatorium.Sed admodum paucis hanc tantam quæſtionem abſoluunt,& plane mu-

Ignis purgatorius.

ti ſunt de ſuffragiis & indulgentiis pro liberandis animabus ex purgatorio. Verentur ſine dubio, ſi totam camarinam antri Patriciani mouerint, fore vt impoſturæ ſuboleant etiam rudioribus. Et poſſem in gratiam ipſorum hunc locum illuſtrare, ſed quia tantum axiomata theologiæ Ieſuvvitarum colligere ſtatui, reprimam nunc me. Et hoc tantum addam, quod ipſi fatentur, ſine verbo Dei, ex ſolis humanæ cogitationis flabellis ignem illum exufflari. Imo humana etiam authoritate deſtituitur, neque enim ignotum eſt quid Græca Eccleſia ſemper de hoc commento ſenſerit. Fucum vero obſeruet lector, quod dicunt fol. 332. De igne purgatorio Apoſtolus ad Corinthios ipſe inquit, ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Sed quia animaduertunt, veteres in illo loco Pauli, ne per febrim quidem aliquid de purgatorio ſomniaſſe, adeo vt ne Gregorius quidē, qui quaſi calefactor fuit purgatorii, auſus fuerit certo ſtatuere Paulum ibi de purgatorio loqui: Ieſuvvitæ igitur caute agunt, & addunt quemadmodum quidem Florentina ſynodus verba illa expoſuit. Ergo ante Florentinam ſynodum verba Pauli nihil habuerunt de igne purgatorio.

Pauli locus detortus.

DE CONFIRMATIONE.

HAnc rationem & hunc vſum confirmationis improbant & reiiciunt, vt pueri baptiſati cum myſteriis fidei rite inſtituti fuerint, Epiſcopo examinandi præſententur, & cum coram ipſo fidei confeſſionem ediderint, vt per manuum impoſitionem, adhibita ſolenni benedictione, Deo commendentur, vt ipſos in fide

Quā confirmationem improbēt & approbēt Ieſuuitæ.

confirmet. Talis, inquam, confirmatio Ieſuvvitis non ſatisfacit. Sed qui in purgatorio nuper erant Calefactores, iã in confirmatione facti ſunt Pharmacopœi, docent enim compoſitionem chriſmatis ex balſamo & oleo, & quæ ſint ſimplicium illorum qualitates diſputant. In Scriptura vero, ne apicem quidem de hoc chriſmate poſſunt oſtendere. Sed ex epiſtolis quibuſdam, quæ tam ſunt certæ, quam Luciani veræ narrationes, comminiſcũtur, Chriſtum ſcilicet in poſtrema Cœna, cum aliud quod ageret nõ haberet Apoſtolis tradidiſſe diſpenſatorium (ſicut in officinis vocant) quomodo ſcilicet facienda ſit compoſitio chriſmatis. Et huic chriſmati, quod etiam humana, quæ aliquid habeat ponderis deſtituitur authoritate, hæc volunt tribui (verba ipſorum aſſcribam) quod vi illius vnctionis, quam plurima dona animis baptiſatorũ infundantur, quibus adiuti, perfecti Chriſtiani ſint, ac ſeptiformis ſpiritus gratia perfuſi, atque contra aſtus ac diabolicos inſultus communiti. Item, vnctione illa chriſmatis hoc efficitur, vt qui per Baptiſmum erant quaſi modo geniti infantes, & pueri ſenſu, robuſtiores fiant, neque vereantur Chriſti crucem publice etiam cum vitæ diſcrimine profiteri. Et poſtea: Sine hoc chriſmate perfectus Chriſtianus eſſe non poterit, nec ſedem habere inter perfectos. Item, debent chriſmate vngi, vt plene Chriſtiani inueniantur. Citant & hoc: Qui ſignaculo chriſmatis conſummatus non fuerit, nũquam Spiritum ſanctum poterit promereri. Quam contumelioſa hæc ſint in lauacrum regenerationis & renouationis per Spiritum ſanctum lector intelligit. Nulla venefica ſuis incantationibus tantum audet tribuere, quantum iſti ſuo chriſmati, ſine omni verbo Dei tribuere non verentur. Et quia nunc nõ diſputo, ſed tantum axiomata

[Margin notes: Compoſitio Chriſmatis. — Fabulæ Lucianicæ — Chriſmatis vires ex doctrina pontificia. — Baptiſmus à Chriſmate pontificio abolitus.]

mata Ieſuvvitarum colligo, aſſcribam huc ex Pōtificali benedictiones chriſmatis. Balſamum inter cætera ſic benedicitur: Plenitudinem ſanctificationis infundas, vt quicunque Baptiſmate ſacro renati, iſto fuerint liquore peruncti, corporum atque animarum benedictioné pleniſſimam conſequantur. Quando miſcetur balſamum cum oleo, hæc verba adhibentur: Hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis, propiciatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum. Balſami benedictio pontificia.

DE EXTREMA vnctione.

OBſeruet lector, Ieſuvvitas diſerte hoc reiicere, hanc eſſe vere piam vnctionem, qua Spiritus ſanctus efficax eſt in credentibus, ſcilicet ægrotos verbo Dei conſolari, & eo laborantium animos erigere, & vna cum Eccleſia, pro ſalute ipſorum & corporis & animi orare. Ipſi vero de oleo ſacrato ita loquuntur: Effectus vnctionis eſt alleuatio, hoc eſt, gratia Spiritus ſancti, qua infirmus releuatur ad moleſtias animi corporiſque perferendas. Item, hac vnctione peccata remitti, remiſsioré pœnam infligi, & morti propinquam animam liberari. Item, quia ſub huius vitæ terminum grauiores ſtruit inſidias leo ille rugiens, inſtituta eſt illa vnctio, qua aliquid roboris morbo confectis adderetur, vt facilius & validius Dæmonum tentationibus reſiſtant, atque leuius morborum ferant moleſtias. Hæc Ieſuvvitæ. Omiſerunt autem (credo quod ad finem properarunt) ipſam formam vnctionis, quæ ſic habet: Per iſtam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquiſti per hunc & hunc ſen-

Pia & impia vnctio quæ.

Effectus vnctionis pōtificiæ.

Forma vnctionis Pōtificiæ.

ſum. Item illud, Sanent te omnes Angeli, Archangeli, omnes ſancti Patriarchæ, Prophetæ, omnes Apoſtoli & Euangeliſtæ, Martyres, Confeſſores, Virgines, Viduæ, &c.

DE IMAGINIBVS.
I.

infra fol. 587.

Imagines cur in tēplis adhibitæ ab iis qui S. Scripturæ Lectionē Laicis ademerunt.

CItant Gregorii ſententiam. Ideo picturam in Eccleſiis adhiberi, vt hi qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus legere non valent. Et ſane hiſtoricus imaginum vſus, ſi intra ſuos terminos conſiſtat & veras hiſtorias proponat, non eſt damnandus, ſicut extat pulcherrima oratio *Cyrilli* lib. 6. contra Iulianum de hiſtorico vſu imaginum. *Baſilius* de 40. Martyr. dicit, Rhetores fortia facta dicendo, pictores pingendo proponere, & multos ad fortitudinem excitare, quod enim hiſtoria verbis, hoc tacens imago pictura proponit. Et Cyrilli ſententia eſt, parabolas tanquam imagines nobis ob oculos ponere doctrinam. Hunc vſum imaginum non damnamus.

Kēnitius hiſtoricū vsū imaginū probat.

Quia vero Ieſuvvitæ addunt fol. 56. homines etiam doctos plus imaginibus quam libris moueri, neceſſario ſemper addenda eſt hæc commonefactio, Chriſtum miniſterium docendi in Eccleſia commendaſſe, non ſtatuis & imaginibus, ſed miniſtris. Et media, quæ Deus inſtituit, per quæ Spiritu ſuo vult efficax eſſe ad excitandam in nobis veram ſui agnitionem, ad inflammandum, ſiue vt cum Scriptura loquar, ad renouādū cor &c. ſunt SCRIPTVRÆ LECTIO, AVDITVS & MEDITATIO VERBI, & VSVS SACRAMENTORVM. Ad hūc ordinē imagines & ſta-

Miniſteriū docendi in Eccleſia quibus commendatū.

tuæ

tuæ non pertinent, neque enim de illis habemus promiſſiones, ſicut de Scriptura, & de auditu verbi 2. Timot. 3. Rom. 10. & 15. Pſalm. 118. Hiſtoricus igitur imaginum vſus longe ſubſidet infra vſum Scripturæ & verbi, & grandis error eſt, imagines vel æquiparare, vel præferre Scripturæ & verbo Dei, ſicut in Papatu, vox Scripturæ, quæ quidem intelligi poſſit, conticeſcit, & interim omnes anguli replentur imaginibus, quæ plus perhibentur homines mouere, quam verbum Dei. Hæc neceſſariò ſimul ſunt taxanda, quando de hiſtorico imaginum vſu diſputatur.

Hiſtoricus vſus imaginũ quomodo conſiderandus.

II. Ieſuvvitæ manifeſte ſe declarant, cur de imaginibus dimicẽt, vt ſcilicet in publicis ſupplicationibus populi Chriſtiani deuotione circumferantur cereis accenſis, flexis in terrã poplitibus, preces ante eos fundãtur, vt auro, gemmis & aliis id genus clenodiis exornentur. Hæc ſunt Ieſuvvitarum verba, fol. 55. Et fol. 68. Circumferimus ſtatuas, exiſtimantes, hinc Sanctis nonnihil honoris accedere, non. n. ſumus neſcij, quantũ honoris Ciceroni accreuerit ad Iouis puluinaria proceſſiſſe. Teſtamur his ceremoniis nos inuocare Sanctorũ præſidia, vt nobis apud Deum ſuis orationibus opem ferant. Lumina illis accendimus, vt qui dum viuerent virtutibus fulſerunt, nobis quoque apud Deum precibus, verum fidei lumen & charitatis ignem impetrent. Et adiũgunt exemplum ex Antonino: Gregorium imaginem Mariæ ſumma populi Romani veneratione ad ſedandam peſtem circumtuliſſe, quando & de cœlis Angeli veluti gratulabundi hymnum illum, Regina cœli lætare, cum multorum ſtupore decantarũt. Nihil addo de meo, ſed tãtum Ieſuvvitarum verba recito. Fol. 65. citant hæc verba, Hiſtorias imaginũ honoro & palam adoro. Fol. 66. Concilium vult pari honore

De circũgeſtatione & ornatu imaginum.

Lumina cur Ieſuuitæ imaginibus accendãt.

Ieſuuitæ Gregorio [illegible] aduerſantur.

Chriſti imaginem, cum ſacris Euangeliorum libris adorandam eſſe. Atqui Gregorius etiam li.9.epiſt.9. imaginum adorationem ſeuere prohibuit.

Benedictio Pontificia ligni crucis

Aſſcribã huc, vt lector Ieſuvvitas rectius intelligat, ex Pontificali quædam. Lignũ crucis inter cætera his verbis benedicitur: Rogamus te ſempiterne Deus, vt digneris benedicere hoc lignũ crucis, vt omnibus hic genu flectentibus, ac tuę maieſtati ſupplicantibus, cordis compũctio & admiſſorum cõcedatur remiſſio. Item, ſanctificetur illud lignũ crucis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, vt orantes inclinanteſque ſe propter Deum ante iſtam crucem, inueniant corporis & animæ ſanitatem. Itẽ, digneris benedicere hoc lignũ crucis, vt ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum, tutela contra ſæua iacula inimicorum.

Benedictio imaginis beatæ Virginis Mariæ

Benedictio imaginis beatæ virginis. Sanctifica Deus hanc formulam beatæ virginis, vt tuis fidelibus ſalutaris auxilij opem ferat, tonitrua aut fulmina ſi inualuerint nocẽtia celerius expellãtur, pluuiarũ quoque inundatio, aut ciuilium bellorũ cõmotio, ſeu paganorum deuaſtatio, ad præſentiam eius cõprimantur, &c. *Benedictio imaginis Iohannis Euangeliſtæ:*

Benedictio Imaginis Ioannis Euangeliſta.

Præſtat vt omnes illam cum reuerentia intuentes, preceſque coram illa fundentes, pro quacunque neceſſitate orauerint, exaudiantur: ſit hæc imago Dęmonum ſancta expulſio, Angelorum aduocatio, fideliũ protectio, eiuſque in hoc loco potenter vigeat interceſſio Hinc lector poteſt rectiſſime iudicare de imaginibus Pontificiorum, cur de illis tantopere dimicent.

De imaginum origine ſententia Ieſuuitarũ.

III. Obſerua quæſo, quæ Ieſuvvitæ annotent de origine imaginum, fol.59. citant Euſebij verba de ſtatua, quam muliercula illa αἱμοῤῥοοῦσα Chriſto poſuit. Sed Euſebius narrationem illam ita conclu-

dit. Vi-

dit. Vidimus antiquas Apoſtolorum & Chriſti imagines a quibuſdam conſeruari, quod mihi videtur ex gentili conſuetudine indifferēter obſeruatum. Inſignia enim veterū reſeruari ad poſterorum memoriam, illorum honoris, horū amoris indicium eſt. Euſebij verba magis ſunt ſignificantia veteribus: ὡς εἰκὸς ἀπαραφυλάκτως οἷα σωτῆρας, Ethnica conſuetudine ad hunc modum honorare conſuetis. Audis lector imaginum originem ex gentili conſuetudine in Eccleſiam fluxiſſe, fol. 55. Citant hæc verba Nicephori: Sicut quondam gentilium naues certorum quorundam Deorum inſignia gerebant, Ita Chriſtianorum quoque naues patronorum ſuorum imagines præferre conſueuerunt. Audis ne lector præclaram rationem?

IIII. Teſtimonia de cultu illo ſuo imaginū corradunt ex Athanaſij quadam hiſtoria, de miraculis imaginis crucis, quam ſuppoſititiam eſſe, ipſi Pōtificij ſcriptores agnoſcunt & fatentur. Citant Simonem metaphraſten, Michaelem Syngelum, Theophanem & alios, obſcuri, ignoti & incerti nominis autores quia melioribus autorib⁹ res illa forſā digna non eſt. Sed producunt concilium ſecūdum Nicænum œcumenicum. Ego vero hoc tantum reſpondeo, quod Albertus Pighius, acerrimus alias Pontificiæ turpitudinis patronus, offenſus nimis magna impudentia mendaciorum huius concilij, noluit agnoſcere pro genuina editione, quæ Coloniæ edita eſt. Et poſſem multa palpabiliter falſa inde citare, ſi hoc mei nunc propoſiti eſſet. Nec vſq; adeo rudes ſumus hiſtoriarum, vt ignoremus, quæ Concilia iiſdem temporibus oppoſita fuerūt huic pſeudoſynodo (ita enim in annalibus vocatur) de qua tantopere gloriantur Ieſuvvitæ.

Quibus teſtimoniis abutuntur vt cultum imaginū ſtabiliant.

Pighius concilium 2. Nicenū improbat

V. Annotabo & hoc quod fol. 58. recitant hanc obiectionem, Deus nō eſt homo qui humanis mo-

De Dei cultu blaſphema Ieſuuitarum ſententia.

ribus gaudeat coli, ſed Spiritus eſt, & qui eum adorãt, in Spiritu & veritate oportet adorare. Audi vero quomodo reſpondeant. Deus quidem eſt Spiritus, nos vero homines: Ideo à nobis, vt ab hominibus honore vult affici. vult itaque, vt eum omnino modum in ipſo colendo ſeruemus, quem apud nos homines arbitramur eſſe maximum. Notabis hoc lector, Deum ſecundum Ieſuvvitas non eſſe iuxta præſcriptum verbi ſui colendũ: ſed iuxta eũ omnino modũ, quẽ apud nos homines arbitramur eſſe maximũ. Expungatur iam ex veteri & ex nouo Teſtamento ſentẽtia illa, Fruſtra colũt me mãdatis hominũ. Et quomodo Paulus qui ἐθελοθρησκείας manifeſte dãnat, à Ieſuvvitarum acumine ſe defendet? Peto vt ęquus lector hoc bene obſeruet.

DE COELIBATV.

Ieſuitarũ dogmata vnde hauſta.

HIc tantum annotabo honeſtas, caſtas & pudicas phraſes, dignas virginitate Ieſuvvitarum. Vnde colligi poterit illos non male diuinaſſe de etymologia appellationis huius ſectæ, qui per πρόθεσιν putant dictos Ieſuitas pro Suitis, quaſi dicas Epicuri de grege porcos.

Norunt Paulum loqui ſine exceptione: Qui non continet, matrimonium in Domino cõtrahat: melius eſt enim nubere, quam vri. Sciunt quid *Cyprianus* libr. 1. Epiſt. 11. ſcripſerit, quid *Auguſtinus* etiam (ſicut citat Gratianus, diſt. 27.) iudicauerit de nuptiis illorum, qui cœlibatum vouerunt, ſi continere non poſſunt. Sed audi pudicum Ieſuvvitarum os. Dicunt enim fol. 71. hac doctrina impudicitiæ ianuam aperiri, hac animis libidinis faces adminiſtrari. Et fol. 76. contendunt legitimas nuptias illorum, qui cœlibatum vouerunt, & cõtinere

Blaſphemiæ Ieſuitarum aduerſus coniugiũ licitum & honorabile.

tinere non poſſunt, appellandas eſſe concitatam fornicationem, adulterium, inceſtum, ſummum nefas ac ſacrilegium. Fol. 77. eos qui cœlibatum vouerunt, & donum continentiæ non habent, ſi in Domino contrahant, dicunt fœdis libidinibus operam dare. Item, obſcœnis voluptatibus inhiare & inuolui. Ne mireris lector Ieſuvvitas ita loqui de legitimo matrimonio: loquuntur enim iuxta morem Suum in conſtructione tranſitiua. Voluunt enim probare ſe eſſe Suitas. Et potuiſſent eadem opera adiicere flagitioſam illam vocem, qua ante annos aliquot Colonienſis quidam in publico ſcripto vſus eſt. Tollerabilius ſcilicet & melius eſſe vnum Sacerdotem, ſi continere non poſſit, habere centum concubinas ſeu proſtibula, ſucceſſiue tamen, quam vnam legitimam vxorem. Vnum tantum addam, quod Ieſuvvitæ cum reliquis Pontificiis clamitant, In Græca Eccleſia coniugatum quidem poſſe Sacerdotem fieri, nunquam tamen in Græca Eccleſia Sacerdotem vxorem ducere. Sed oppono narrationem Eraſmi, qui in Apologia aduerſus Pariſienſes ſcribit, ſe Venetiis apud Græcos vidiſſe Sacerdotem, poſt ſuſceptum ordinem ducere vxorem, ſed vnicam ac virginem. VVolffgangus Muſculus recitat Anno 1540. Græcos quoſdam adfuiſſe Vuormatiæ & confirmaſſe, Diacono in Græca Eccleſia licere, etiam poſtquam electus eſt, vt virginem ducat vxorem. Etiam eum, qui in Sacerdotem ordinatus eſt, poſſe vxorem ducere, ſi id faciat πρὶν τοῦ ἱερουργεῖν: ſed ſi poſtquam ſacrificauerit hoc fecerit, à ſacerdotio remouetur. Narrarunt itaque, Sacerdotes ſtatim poſt ordinationé, priuſquam ſacrificent, matrimonium contrahere. Conſideret lector exempla, quæ extant apud Sozomen. libro. 5. capite 11. & apud Socratem libro. 2. capite vltimo. Hæc ideo recito, quia ſcio Pontificios

Ieſuuitæ Epicuri de grege porci.

Vox flagitioſa impuri Sophiſtæ.

De coniugio Sacerdotum Græcorū.

ſerio triumphare,quando aſſeuerant, ne in Græca quidem Eccleſia Sacerdotem poſt ſuſceptum ordinem poſſe vxorem ducere.Et eo magis gloriantur,quãdo aliquid ex Græca Eccleſia poſſunt prætendere,quia vident vota cœlibatus in miniſtris, exemplo Græcæ Eccleſiæ iugulari.Sed vt ad finem aliquando noſtra hęc decurrat annotatio,arbitror me Ieſuvvitis facturum rem non ingratam, ſi eadem ratione,ſicut ipſi in exordio iudicium ex ſcriptura ſacra,procul à ſua religione remouerunt:ita ego loco concluſionis ponam illa axiomata, quibus Ieſuvvitæ conantur ſuæ doctrinæ conciliare autoritatem prætoriam,& eã collocare extra examen regulæ & normæ verbi Dei,vt extra omnem controuerſiam valeat,quia ipſi dixerunt. Ita enim Ieſuvvitarum religio vndique & à fronte & à tergo bene erit munita contra gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.

AXIOMATA IESVnitarum.

Quatuor præcipua Ieſuuitarũ axiomata.

QVatuor autem ſunt axiomata, quæ in cẽſura Ieſuvvitarum ſunt huc illuc diſperſa. Ego vero illa colligam hoc loco, vt tanquam triarij claudant extrema exercitus, ſi forſan,quod verendum eſt, in teſtimoniis,argumentis & rationibus, non ſatis eſſet ſubſidij.

Traditiones non ſcriptas quæ ex Scriptura probari non poſſunt,habere ta-

I. De traditionibvs diſputant folio 230. Ea quæ ſub titulo & prætextu traditionum Eccleſię obtruduntur,licet ex Scriptura probari nõ poſſint, habere tamen parem autoritatem, & eadem fide eſſe credenda,ſicut illa,quæ manifeſta habent in Scriptura teſtimonia. Quia vero ex nullo ſcripto cuius certa & indubitata ſit authoritas, probari

bari poteſt,quæ traditiones vere ſint Apoſtolicæ, inuentum eſt hoc artificium. Nunc poſt tot Concilia,non eſſe diſputãdum de traditionibus, ſed ſimpliciter credendũ,ſine vlla probatione , quod ſint vère Apoſtolicæ,licet maniſeſte pugnẽt cum ſcriptura. In Concilio Tridentino, Clodiæ Foſſæ Epiſcopus ſignificauit ſibi diſplicere decretum illud, in quo ſcriptum erat: Traditiones pari pietatis affectu,& reuerentia ſuſcipi,atque aſſeruari debere, quo ſcriptum Euangelium. Sed mox per legatos Pontificis è concilio pulſus fuit. Et Hoſius ad traditiones accommodat ſententiã Platonis 1. de Legibus,vna hæc præclariſſima lex erit , quæ iubeat, ne quis iuniorum quærere audeat, recte ne an ſecus leges ſe habeant:ſed vno omnium ore,vnaque voce,tanquã à Diis poſitas concedi præcipiat,nec vllo modo,aliter pati quicquã à iunioribus cogitari:Senẽ autẽ,ſi quid excogitarit,principibus & æqualibus,nemine iuuenũ audiente debere referre. Hoc eſt vnum valde bonum axioma,vt primũ tollatur regula Pauli ; Omnia probate,& eius quod bonũ fuerit tenaces eſtote. Deinde quicquid eſt errorum & ſuperſtitionum,quod ex ſcriptura nullo apice poteſt probari,ſi obiiciatur etiam , quod cũ ſcriptura pugnet,vt prætorio hoc axiomate ratificetur (Traditio eſt.) Et addatur Ariſtotelis regula, Contra negantem principia,non eſt diſputãdum.

men eandem cum Scriptura autoritatem.

SECVNDVM axioma eſt de Eccleſia , folio 127. Romanorum Pontificum perpetuam ſucceſſionem apertum iudicium eſſe Eccleſiæ Catholicę & fidei Apoſtolicæ,fol.240.Penes Eccleſiam eſt,quędam etiam in ſacris literis expreſſa commutandi autoritas , nonnulla inſtituendi par facultas. Ac proinde,non minor illi,quam expreſſo Dei verbo vindicanda eſt autoritas : hæc Ieſuvvitæ. Et quid tandem eſt, quod hoc axiomate non poſſit abſque

Eccleſiam poſſe quędam in ſacris literis expreſſa cõmutare, & nonnulla inſtituere.

omni negocio probari?

Curam religionis Pontifici & eius aſſeclis eſſe cōmittendam.

Tertivm axioma eſt, Magiſtratus politicus, plane non debet curare, qualis doctrina populo proponatur: ſed hoc relegandū eſt ad ſolos Sacerdotes. Magiſtratus vero officium, hoc tantum eſt, (quo ad religionis negocium) vt in eos, quos Pōtifices pœna percellendos putant, animaduertat. Imo etiamſi magiſtratus animaduertat quoſdā errores & abuſus in rebus Eccleſiaſticis irrepſiſſe, nō tamen illi licet, ne legitime quidem per pios miniſtros verā reformationē, iuxta canonē verbi Dei, inſtituere. Sed Sacerdotes benigne admoneantur: quod ſi admonitionibus nihil efficitur, & ſummus eſt aliquis in Eccleſia præſul, ei deferendum eſt id negocij. Ita illi in *articulo* 12: Hęc eſt fortis munitio contra gladium Spiritus, vt etiamſi totius mundi iuſtiſſimæ querelæ teſtentur & videant, Papā multa millia animarum ad infernum præcipitare: nemo tamen auſit dicere, quid facis, iuxta c. *Si Papa*.

Pontificię doctrinæ aduerſarios ferro aut igne e medio tollendos

Postremo ſi quis doctrinam Pontificiam examinet ad regulam verbi Dei, & videns eā diſſentire, ſi cōtradixerit, ferro aut igne è medio ſuſtollatur, ita enim pax & tranquillitas poterit conſeruari. Et dicūt folio 136, Si Lutherus ante annos 40, ferro & igni ſublat⁹ fuiſſet, aut alij e medio ſuſtollerētur, ita demum exoptata Eccleſiæ pax reſtitueretur. Hæc igitur eſt topica Ieſuvvitarum, quæ cōplectitur duas fortiſſimas maximas. Prior eſt, ferrū tranſiens animam, Altera eſt ignis conſumēs. Sed hæc epicheremata (ſicut Hieronymus loquitur) non ex Dialecticorū ſcholis, ſed ex carnificum officinis petita ſunt. Quam breui igitur compēdio, & quam facili labore Pontificij poſſunt doctrinā ſuam defendere, vt non mirum ſit, ocioſos iſtos vētres nihil literarū diſcere, verentur enim id quod ſcriptum eſt, Litera occidit. Et fruſtra Ieſuvvitæ,

Carnificū epicheremata.

quaſi poſtliminio in Pontificiam Eccleſiam reducunt laborem legendi,ſcribendi,diſputandi. Tutior enim & compendioſior eſt hæc via, quando ex ſcriptura aliquid probare non poſſunt, vt dicant:

I. Eſſe traditionem.Et quando hoc ipſum probari non poſſit,ſufficit ſimplex aſſeueratio.

II. Eccleſiam,hoc eſt Romanum Pontificem cũ ſuis,ita ſtatuiſſe & illi non minor, quam expreſſo verbo Dei debetur autoritas.

III. Seculares non debẽt inquirere,rectene an ſecus ſe habeant, quæ proponuntur: ſed humiles oſculentur poſteriora capituli.*Si Papa.*

IIII. Eruditi ſi contradixerint, ſtatim ferro aut igni è medio tollantur. Ad has probationes non eſt opus multis regulis conſequentiarum. Et ipſi Ieſuvvitæ,poſt laborioſas diſputationes, tandem tamen coguntur ad hæc axiomata confugere.

Hæc svnt præcipva capita Theologiæ Ieſuvvitarem,quæ quidem in cenſura illa Colonie͂ſi animaduertere potui,quę ideo collecta in hunc ordinem redegi,vt quia ſectæ Ieſuvvitarum nomen cœpit iam eſſe celebre, lectori etiam Theologia ipſorum non eſſet ignota.Si qua alia habẽt myſteria adhuc abſcõdita,ſicut Ariſtoteles quædam habuit ἐξωτερικὰ quædã ἀκροαματικὰ, illa dies reuelabit,& non deerunt,qui appendicẽ vel ſupplementum Theologię Ieſuvvitarum conſcribant.Filium Dei dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum oro,vt ſanctiſſimi ſui nominis gloriam à Sectæ illius contumeliis vindicet.Amen. Operis epilogus.

ASSERTIO VETERIS AC VERI CHRISTIANISmi aduerſus nouum & fictum Ieſuitiſmum ſeu ſocietatem Ieſu.

AVTHORE P. BOQVINO BITVRIGO.

QVI Eccleſiæ Chriſti tantiſper dum in hoc mundo peregrinatur cõditionem & ſtatum attente conſiderant, curſum etiam atque progreſſum eius diligẽter obſeruat, facile intelligũt quã vere & apte naui in medio cõmoti maris ac variis vẽtis agitatæ, multiſq; tẽpeſtatibꝰ, quarũ altera alterã excipit, concuſſæ vulgo cõparetur: & quã recte quoq; a pleriſq; militãs Eccleſia nominetur. Eſt enim perinde atque exercitus qui ſẽper in caſtris agit, aſſiduéque ab hoſte obſidetur, identidem etiã impetitur, ac nouis ſubinde ſtratagematis & inſultibus exercetur. Nunquam enim fruitur firma pace, imo ne tutis quidẽ induciis: ſed ſi quæ eſſe videantur, etiã hæ inſidiarum ſunt plenæ. Si quidẽ perẽnis ille hoſtis Chriſti quieſcit nũquã, nunquam fatigatur, nunquã illi dignitatẽ, gloriã atque imperiũ non inuidet: piorũ vero vitæ atque ſaluti nunquã nõ inſidiatur: neque ipſorum vnquam ſatiatur ſanguine. Etſi nõnihil de cõtẽtionis impetu aliquãdo remittere videatur, idẽ tamen perpetuo manet, nihil vel de odio vel nocendi ſtudio remittẽs. Itaque nouos emiſſarios, ſubinde aduerſus caſtra Chri-

ſti excitat: & nouis armis atque nouis dolis inſtructos emittit. Et quod magis mirandum, iã inde ab initio iſte hoſtis & mirus artifex, aſtute petiuit ex ipſo Eccleſiæ ſinu quaſique viſceribus, per quos regnum Chriſti, hoc eſt, ipſam Eccleſiã ſub veritatis, pietatiſq; præ extu turbaret, cõcuteret, euertereque tentaret. Id quod antiquitatis ſtudioſi, Eccleſiaſticarumq; hiſtoriarũ periti non ignorant. Sed & noſtra ætas luculentis teſtimoniis & exẽplis ſic abundat, vt nihil ſit quod deſiderari poſſit, niſi vt ad iſtarũ rerum diligentem conſiderationẽ animos conuertamus. Neq; vero cuiquam mirũ videri debet, quod tam ſæpe tamq; ſedulo optimus dux Chriſtus ſuos ad continentẽ vigilantiã adhortetur: in primis vero eos quorum eſt excubias agere, & de multitudinis ſalute curã gerere. Ad hoc ſtudium acuere excitareque ipſos debet, ipſius etiam ducis aſſidua præſentia, & continuũ præſidium. Vt. n. nunquã is abeſt, ita nunqunm vel dormit vel ceſſat. Eſt etiam multo & promptior & potentior ad præſtandã in ipſũ fidentibus promiſſam ſalutẽ quã hoſtis ille ad eam interuertendam. Quare ſi quid hac in parte deeſt iis qui ſub eius ſignis militant, in ipſis culpa hæret tota, neque eſt quod quicquam accuſent, niſi ſuam ipſorum vel perfidiam vel ignauiã. Pudendum ſane eſt & graui ſupplicio dignum, hac in re vinci, aduerſarióque cedere. Quid enim indignius eſſe poteſt, quam plus ſtudij, diligẽtiæ & laboris impendi in mendacio aſſerendo, quã in veritate defendẽda, in impietate ſtabilienda, quam in pietate aſſerenda: in exitio alteri procurando, quam in propria ſalute tuenda? Diligentiæ atque fidei quã Chriſto iſta in parte præſtare debent, cum omnes qui ipſi

dedere nomẽ, tum qui docentium perſonã ſuſtinẽt, exempla habemus plurima & vetuſta & recentia. Vt illa plerique neſciant facile credo, hæc vero aliquos ignorare adduci nõ poſſum vt credã. Adhuc enim in omniũ prope verſantur oculis. Quis.n.neſcit cum ante annos aliquot Euangelica lux ſingulari Dei beneficio orbi reſtitueretur, ſtatim atque apparere tenuéſque radios proferre illa cæpit, prodiiſſe ſimul aliquot Satanæ & Antichriſti adminiſtros, qui noctuarum & veſpertilionũ inſtar aſſueti tenebris, ne illa radios ſpargeret ſuos prohibere, & micãtes iã ſcintillas extinguere quibus poterat modis ac viribus conatos fuiſſe? At contra plurimi pietate ac doctrina præſtantes viri zelo gloriæ Chriſti accenſi, veritatis amore impulſi, & ſtudio ſuæ alienæque ſalutis permoti, nefandis illorum conatibus ſe fortiter ac cõſtãter oppoſuere: ſicque obiecta tela vi ac virtute perfregere ſua, vt hoſtibus quãtumuis multis, potentibus & pertinacibus, inuitis, atque reclamantibus cæleſtis illa lux emerſerit, & longe ac late radios diffuderit ſuos: vti hic dies teſtificatur. Iſti ergo fideles ſerui Chriſti imitati ardorẽ atque induſtriã vererũ Iudæorum, quos hiſtoria Nehemiæ vniuerſæ poſteritati ad imitationem propoſuit, ſic ipſis ſe opponentium impetum vna repreſſerunt manu, vt altera exædificare templum hoc eſt, colligere Chriſto Eccleſiã, nõ ceſſarint. Atque indefeſſis ipſorũ laboribus inuictaque cõſtãtiæ ſic adfuit, fauit, benedixit optimus ille pater, vt actum eſſe de ſuo imperio hoſtis credidiſſe videatur. Quare quod in ſubitis caſibus & extremis periculis fieri aſſolet, ſubito nouum inſtruxit præſidium:

quod

quod in primariam ſui regni arcem clam induxit. Adeo enim concuſſa, adeoque labefactata erat, vt eã ruinam minari ille animaduerteret: verum dum nos qui in ſanctorum illorum virorum locum ac ſedem ſucceſſimus, inter nos miſerè cõtendimus (calcitronibus quibuſdam ac mordacibus nouas ſubinde rixas & turbas cientibus) noui iſtius præſidij, arte, vigilantia, opera, ſuam illam arcem ſic paucis annis reſtituit hoſtis, vt appareat totam Antichriſtianiſmi cateruam in magnam veniſſe ſpem priſtinæ auctoritatis, dignitatis ac potentiæ breui recuperandæ. Perſuaſum autem eſt mihi, tanti iſtius mali non modo auctores, fautores ac patronos, verum etiã omnes qui occaſionem præbent, quocũque id faciant titulo aut prætextu, daturos tandem eſſe pœnas iuſtiſſimo iudici Deo, atque regni Filii ſui aſſertori ac vindici acerrimo. Quia vero perſuaſum quoque habeo, futurum vt idem rationem repoſcat ab omnibus quibus talenta credit ſua, quantulacũque ea ſint, me neque à culpa neque à pœna exemptũ iri exiſtimaui, ſi quod ſentio mihi eſſe commiſſum, quantumlibet tenue ſit, per metũ aut ignauiam detrectarẽ conferre, ad depellendum probrũ, cum certa & euidenti Eccleſiæ pernicie coniunctũ, quod Chriſto per nouitiũ iſtud Satanæ agmẽ inferri video. Cũ enim pro noſtris foribus ſtent iſti ſatrapæ, propugnaculáq; exædificent, illatis ſui ducis ſignis in vicinas ſcholas atque eccleſias, ſi diutius diſſimulamus, an nõ cauſam Chriſti atque Eccleſiæ prudẽtes ac ſciẽtes prodere, veritatémque Dei (quã in mendacium ab iſtis cõmutari audimus atque videmus) iniuſte detinere merito iudicabimur? Cæterũ de ſatanica iſtius fœtura, quæ à IESV nomẽ non

minus inſoleter, quã noue ſibi finxit, & vſurpauit, prima origine, hoc eſt, genuino eius parente, & quo loco atque tempore primũ apparuerit, quantumuis nuper ſit nata, varia tamen tradita eſſe video: verũ in iſtis vel perquirẽdis, vel excutiẽdis mihi minime laborandũ eſſe exiſtimaui. Hominis eſſe inuentum ſatis cõſtat. Et ſi mea iſta de re ſententia, ſemel ſit dicenda, expediam paucis. Si verũ eſt Magni illius Baſilij iudiciũ, ex ſimilitudine in filiis apparente, parẽtes dignoſci, & ſi obſeruantia erga parẽtes atque obedientia, germani liberi ab adulterinis diſcerni ſolẽt, non poteſt noua hæc proles veros progenitores habere alios, quàm Romanũ Antichriſtũ, & Babylonicũ ſcortum. Id enim & ſimilitudo quæ inter ipſos eſt, & obſeruantia qua illi os colunt clariſſime confirmant. Conſilium in præſentia meũ eſt, huic monſtro laruam, tum ex appellatione, quã ſibi arroganter ſumpſit, tum ex re, quã ſpecioſus ille titulus præ ſe fert, confictã, detrahere. Doctrinã quã noui iſti Magiſtri tuentur attingã tantũ, quatum ſinit, aut etiam flagitat meũ inſtitutũ. Eã ex profeſſo refellere non ſuſcipio hoc tẽpore: qui ſciã eandem eſſe cũ Pontificia: quæ iam ſatis eſt profligata. Deinde hanc etiam nominatim quidã ex noſtris, non leuiter neque infœliciter excuſſerunt. Modeſtiam promitto quantam argumenti ratio ferre poteſt. Errores reprehendere, vitiáque inſectari veritatis atque virtutis amor cogit. Cauillandi vero nedum calumniandi ſtudiũ quiſquis eſt pietatis amans, odit, deteſtatur, fugit. Fidem præſtabo ſummam. A lectoribus viciſſim peto, vt ſecum afferant amorem ac ſtudium veritatis, cum pietate & ſuæ ſalutis deſiderio coniunctum.

CAPVT I.

Non leuiter eos peccare qui nomina ſibi minime conuenientia in religionis rebus ſumunt.

NON minus verbo & ſermone quàm re & facto à nobis peccari ſacræ literæ luculenter docent, & experientia ipſa euidenter confirmat. Proinde non verborum minus quàm rerum rationẽ eſſe habendam, iis præſertim quibus religio eſt curæ & cordi, qui ſana ſunt mente facile fatebuntur. Id quod etiam ſuadet quæ eſt inter voces & res, quas illæ ſignificant, affinitas atque coniunctio (vocum enim vſum in ſignificando ſitum eſſe conſtat) quæ tanta eſt vt in diſſerendo pro rebus, vt ille ait, earũ nominibus vtamur, atque eam ob cauſam voces illæ prudentum iudicio, habentur optimæ & aptiſſimæ quæ res quam ſignificantiſſime exprimunt, eáſque animo audientis repræſentant, ſicuti ſpeculum ſibi obiecti vultus imaginem, intuentis ſubiicit oculis. Inde facile intelligitur candidi religioſique animi eſſe, non modo fœdum, putrem, ſeu corruptum ſermonem, ſed etiam ambiguum, obſcurum, ineptum aut parientem offenſionem; adeóque non afferentem audienti gratiam, &, vti loquitur Apoſtolus, ædificationem, ſedulo vitare. Nam cum nulla vitæ noſtræ

Non verborũ minus quàm rerum ratio eſt habenda.

Eph. 4.29

pars religione vacare debeat, ſed in eam cõſentire mentem, manum & linguam oporteat, qui ea imbutus eſt animus verborum non minuś quam rerum habebit delectũ: dabitque operam vt quod bene ſentit, bonis ac ſale conditis (vt cum Apoſtolo rurſum loquar) apertiſque verbis exponat. vt breue faciam, quia ita affectus animus, vti errare aut labi, ſic etiam quanquam fallere turpe eſſe putat in primis videbit, vt quæcunque ad religioné pertinent, verbis proponat dicatque religioſis. Quam ad rem cõpendioſiſſimam certiſſimámque viam eſſe exiſtimo vti ipſius Spiritus ſancti lingua (ſic enim quibuſdã loqui placet) hoc eſt, vti verbis quibus vſi ſunt Prophetæ & Apoſtoli Spiritus ſancti organa. Quis enim dubitare poteſt cæleſtem hunc Magiſtrum qui diuina myſteria illis ſuggeſſit, ſimul etiam verba ſuggeſſiſſe tantis myſteriis explicandis apta, & ad auditorum hoc eſt hominum captum maxime accommodata? Prudentiſſime itaque *Auguſtinus*, meo iudicio, lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 23. iſta de re ſic ſcripſit. Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſioné religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur impiam gignat opinionem. Ex doctiſſimi ſanctiſſimique viri ſententia intelligimus pios minime decere pro arbitrio & ſenſu carnis de rebus ad pietatem pertinentibus loqui, ſed quaſi ex religione ac pietate certo verborum genere eſſe vtendum. Ante Auguſtini tempora huius generis verborum licentiam, in Valentinianis hæreticis, Irenæum optimum authorem legimus merito repræhédiſſe. Ita enim nos formatos eſſe vult Spiritus ſanctus, vt nihil niſi ex ipſius præſcripto vel ſentiamus, vel faciamus,

Col. 4. 6.

Lingua Spiritus ſancti.

Verborũ licentia hæreticis familiaris.

faciamus, vel loquamur, Animi autem ſic ad pietatem compoſiti & comparati vt nihil non religioſe inſtituere velit, exempla quidem plurima nobis exhibet hiſtoria ſacra, ſed ad noſtrum inſtitutum propius pertinet quod Moſes multis locis tradit de ſancto piorum ſtudio, in nominibus iam inde ab initio ipſis hominibus imponẽdis. Videre iſtic licet præſertim ex rationibus quæ ſingulis prope nominibus attexuntur, nihil ipſos tentaſſe etiam in ea re, quæ non adeo magni eſſe momenti videri poteſt, ex carnis libidine, ſed preẽũte metu Dei, ipſiuſque ſpiritu omnia velut dictante peregiſſe: id quod attente conſiderari velim, ne quis ſuſque deque habeat, & ad pietatem nihil id pertinere putet. Sed & Deum ipſum quibuſdam quos ad res delegerat magnas, nomina vel impoſuiſſe vel mutaſſe is ipſe ſcriptor, vti & alij nonnulli teſtantur. Idem etiam à Chriſto factum eſſe Euangelica hiſtoria diligenter, & id quidem non abs re, commemorat. Certe aut nulla aut leuia eſſe quæ tã ſedulo inculcantur à diuinis iſtis ſcriptoribus nunquam in animum ſuũ induci patietur, qui diuino metu eſt præditus. Neque vero eſt quod quiſquam dicat id factum eſſe in paucis quibuſdam hominibus. Idem enim in omnibus homiuum, ſeu ordinibus, ſeu gradibus quos Deus ſapienti ſuo conſilio delegit & inſtituit, tũ ad docendos, tum ad regendos cæteros, atque ad ἐυταξίαν (qua nihil vel vtilius, vel honeſtius cogitari poteſt) in ſua Eccleſia conſtituendam, obſeruatum eſſe legimus. Inde profecto eſt quod alios Apoſtolos, vt de veteris populi forma nihil dicam, Euangeliſtas alios, alios Prophetas, Epiſcopos, Paſtores, Doctores, Presbyteros, Diaconos & eſſe & dici voluit. Quos titulos neque inanes neque temere aut inuentos aut impoſitos eſſe conſtat. Nam ipſorum mune-

Vide librum Geneſeos.

Pij qua religione nomina liberis ſuis impoſuerint

Deus nomina im ponit & mutat.

Eph. 4.11.

rum functionum rationem, his contineri, qui non vident digni ſunt qui nihil videant. Euidenter enim admonētur ij quibus credita ſunt ea munera, quid ſui ſit officij, quidve cæteris debeant, denique quid alios ab his petere ac expectare conueniat, & quo eos loco habere deceat. Vna in voce omnia hæc includi tam eſt clarum, vt quiſquis quid voces illæ notent, nouit: iſtud etiam facile animaduertat. Neque meo iudicio fuerit alienū in iſtis titulis cognoſcere quædam ſapientiæ veſtigia, qualia apparent in ſacramentorum viſibilibus ſymbolis: quæ ſapientiſſime delecta & inſtituta eſſe, apud omnes qui ſana ſunt mente, eſt in confeſſo. Norunt enim qui in iſtis myſterijs ſunt recte inſtituti Deum per ea ſymbola velut verba viſibilia, vti *Auguſtinus* appellare ſolet, alloqui eos qui oculos habent cernētes, atque hac etiam ratione eos docere, qui dociles ſunt. Sicuti ergo hiſce Sacramentorū ſignis ſuæ ſingulis inſunt aptæ & cōuenientes diuinæ inſtitutioni ſignificationes ita & titulis illis ſuarum admonentur partium, qui ad eas functiones deliguntur & cooptantur. Quare vti in Sacramentis, qui quid ſymbola ſibi velint non intelligunt, cum ſua pernicie, velut ſacrilegi, ea ſumunt: ſic qui iſtorum ordinum titulos vſurpant, ſeque illis ornant, nec tamen quæ his notantur præſtant, vt diuinarum rerum iniuſti vſurpatores, haud dubiè Deo tantæ impietatis vltori, ſuo tempore dignas dabunt pœnas. Dicant mihi quæſo belli iſti homines, qui non minus imprudenter aut etiam impudenter quam audacter titulos pro arbitrio fingunt & ſibi ſumunt, ſi quiſpiam in Repub. bene cōſtituta ſupremi Magiſtratus, vti Regium aut aliud eiuſdem generis aliquod ſibi aſciſceret nomen aut ad aliam aliquam dignitatem pertinentem titulum aſſumeret, an non

Sacramētorum viſibilia ſymbola

Quod in politia non licet in Eccleſia nō tolerandum eſt.

non is (niſi forte ab omnibus pro fatuo iam habe
retur) inuaſiſſe Magiſtratum diceretur læſæque
maieſtatis reus pronunciaretur? Quod ſi in ciuili
ſocietate hac ratione peccatur, neque id licet im-
pune facere, cur in Eccleſia Chriſti licebit? Reli-
gio profecto non minus ipſis etiam nominibus &
verbis violatur. Atque vt hoc velut πάρεργον addam
qui inter profanos Philoſophos ſapiétiſſimi fuiſ- Plato in
ſe creduntur, ſcriptum reliquerunt, non eſſe quo- Crat. &
rumuis rebus nomina imponere: & ſapientiſſimũ alibi.
eũ fuiſſe, qui principio nomina adinuenit, & re-
bus impoſuit: quorũ ſententiam non obſcure con-
firmat quod Moſes Geneſ. ca. 2. v. 19. narrat Adamũ
ad imaginem Dei conditum, cunctis animantibus
diuino iuſſu nomina impoſuiſſe. Non deſunt qui
quoque ſcribant, nó parui referre, Reique publicæ
etiam intereſſe, quale cuique nomen imponatur.
Hæc, quæ ſtrictim indicare volui nõ explicare, qui
expendere voluerit, ſtatuet vti confido, neque re-
ligioſi neque ſapientis hominis eſſe, aut nomen
aut cognomentum rei non conueniens, pro arbi-
trio fingere, & publice vſurpare.

Filio Dei in carne manifeſtato nomen Ieſus, & titulum Chriſtus mandato patris fuiſſe attributum.

CAPVT II.

QVemadmodum Chriſtus, teſte autho
re epiſt. ad Hebr. cap. 5. nequaquã ſibi
aſciuit pontificium munus, ita ex Eu
angelica hiſtoria cognoſcitur, ipſum
neque nomen Ieſus, neque titulum
Chriſti, ſibi vſurpaſſe: verũ ęterni Patris decreto, &
expreſſo mandato iis ornatũ fuiſſe. Ad nomẽ Ieſu

Cap.1.& 2. quod attinet,& Matthæus & Lucas luculenti teſtes ſunt, Angeli præſcripto ipſi fuiſſe attributum: & ne id aut fortuitum aut alienum cuiquam videri poſſet, diſertis verbis à cæleſti illo nuncio iuſtiſſima ratio adiecta fuit. Ipſe, inquit, ſeruabit populum ſuum a peccatis eorũ, hoc eſt, nomini huic res ipſa reſpondebit: ne quis inane figmentum eſſe arbitretur. De nominis ſeu origine ſeu etymologia in præſentia diſceptare nolo. In ratione quã Angelus protulit quid nã eſt vel ambigui vel obſcuri? Quid etiam incommodi habet ſi dicamus illum Moſis ſucceſſorem, populi ducem, id eſt, qui ipſum in Paleſtinam deduxit, huius veri ſeruatoris non minus nomine, quam officio typum geſſiſſe? Quid vetat etiam quo minus idem & ſentiamus & dicamus de ſacerdote illo magno Ioſedeci filio? Nam hoc nomen vetuſtiſſimis patribus minime ignotũ fuiſſe ſcribit Euſebius. Quid multis opus? Æterni Patris decretum per cœleſtem nuncium patefactum Mariæ matri, & patris locum diuino conſilio tenenti Ioſepho, per quos illud impletum fuiſſe nominatim teſtatur Lucas, ſicuti etiã de Iohãne præcurſore, piis omnibus ſufficere, ſatisfacereque debet. Rem vero eo nomine notatam, ſic iſti filio Dei propriam eſſe vt in alium vllum ne particula quidem eius minima ſine atroci ſacrilegio trãſferri poſſit, poſtea, vti ſpero, euidentiſſime demõſtrabitur. Ad titulum autẽ CHRISTVS quod attinet, ipſum quoque eidem, auctoritate eadem, fuiſſe attributũ vno conſenſu ſcripta & Prophetica & Apoſtolica teſtificantur. Quę enim de Meſſia illa prædixerant & promiſerant, hæc præſtita eſſe iſto exhibito paſſim docẽt. Hæc vero cum ſint notiſſima quid attinet ea commemorare? Dicam tãtum pauca quæ ad inſtituti mei plenioré explicationem facere mihi videntur. Primum quidẽ, quod nomen

Ioſue typus Ieſu.

Zach.3.

Ieſu nomen ſoli Chriſto propriũ.

Chriſtus.

nomen Ieſu eſt filij Dei in carne manifeſtati, propria appellatio: vti vox Iohãnes proprium eſt pręcurſoris nomen. Nam ex Luca conſtat vtrũque nomen mandato Dei & Angeli monitu, vtrique fuiſſe impoſitum. At vocabulum Chriſtus, titulus eſt dignitatis, officiũ notans ſicuti vocabula Propheta, Præcurſor, Baptiſta, notant Iohanni impoſitum à Deo munus. Id quod, vt obſeruatione non indignum, eſt ab eruditis piiſque patribus perſæpe annotatum. *Tertullianus* vt cæteros prætereã, aduerſus Praxęam ſcribit: vocem CHRISTVS appellationem potius eſſe quam nomen, rémque notare nomini accidentem. Deinde ſciendum etiam eſt titulum iſtum ante aduentum filii Dei in carnem aliis pleriſque citra vllam dubitationem fuiſſe attributum quatenus iſti typum huius gerebant, in aliqua officij ipſius parte. Ea ratione Moſes, Aarõ, Dauid, Prophetæ, Chriſti olim appellati fuere, ſingulari tamen ratione hic, vtpote omnium caput, fons, & ſcopus, iſto titulo eſt à Patre ornatus. De Ieſu nomine nonnulli non indocti dubitant: & contendunt non modo rem nomine ſignificatam huic natura filio Dei vnico eſſe prorſus propriam, verùm etiam ipſum nomen. Et licet non adeo magni momenti eſſe hæc controuerſia videri poſſit: facit tamen ad amplificandam impietatem eorum qui etiam poſt patefactum hoc myſterium, & clariſſime reuelatum Patris conſilium, non verentur, hoc nomen ſibi ipſis cum filio Dei commune facere. Tertio multo magis eſt obſeruatione dignum incredulos Iudæos nullam mouiſſe Chriſto de nomine Ieſu controuerſiam: imo vltro ei tribuiſſe, vt ex Euangelica hiſtoria conſtat nominatim ex Iohann. cap. 6. verſ. 42. at Chriſti titulum tantum abeſt vt ipſi detulerint, vt quotquot deferebant, à ſua ſynagoga excluderent: qua de re ipſorum

Cap. 1.

Chriſtus appellatio potius quam nomen.

Chriſti, ſub lege.

Nomen Ieſu.

Impietatis Ieſuiticæ amplificatio.

decretum extat apud Iohãnem capite nono. Inde etiam euenit quod de titulo cruci Chriſti affixo apud Pilatum queſti ſunt ab eoque petiuerunt ne ipſum inſcriberet Regem Iudæorum, qua re vti cum negarent alium ſe regem habere quàm Cęſarem, hunc titulum CHRISTO ſe detrahere aperte ſignificabant, vti diſerte narrat Iohann. cap. 19.

Matth. 16. v. 16. Iohan. 11. v. 27. Atque Lucas Actor. 18. hoc nomine laudat Apollo Iudæum in Prophetarum ſcriptis probè verſatum, quod Iudæos redargueret, oſtendens per ſcripturas Ieſum eſſe Chriſtum. Itaque Petrus & Martha in confeſſionibus quas ediderunt, dictante cœleſti Doctore, diſertè profeſſi ſunt ipſum eſſe Chriſtum filium Dei: à quibus ne diſſenſit quidem Satan ipſe, ſi verba ſpectemus quæ apud Lucam extant. Idcirco & Iohannes eum antichriſtum eſſe pronunciat, qui Ieſum eſſe Chriſtum negat. Quæ omnia dum conſidero attentius, & inter ſeſe confero qui hodie Ieſuvvitarum titulum vſurpant, eoque nomine ſibi placent plus affinitatis cum Iudaiſmo, & Antichriſtianiſmo quam Satan ipſe, habere videntur.

Luc. 4. 41. 1. Iohan. 2. 22.

CAPVT III.

Credentes Chriſto Spiritu S. auctore iam inde ab initio collectæ Eccleſiæ Chriſtianos appellatos fuiſſe.

Credentium, in apoſtolica Eccleſia, varij tituli.

APoſtolos variis titulis ornaſſe eos qui per Euangelij prædicationem Chriſto crediderant, ipſiuſque gregi, hoc eſt, eccleſiæ ſe adiunxerant, ex ipſorũ monimentis eſt notiſſimum. Ex his enim conſtat illos nonnunquã eos vocaſſe fratres,

Fratres.

vti

vti vnius cæleſtis patris filios : nonnunquam ſan- Sancti.
ctos,quaſi dicas,ſeparatos,purificatos,& cõſecra-
tos Deo per Spiritum ſanctum , quo etiam palã tũ
plerique donabantur. Nuncupatos quoque fuiſſe Diſcipu-
principio diſcipulos , vt in ſchola Chriſti inſtitu- li.
tos,& à Spiritu ſãcto edoctos ex Apoſtolicæ hiſto
riæ variis locis cognoſci poteſt Ex hac autẽ ipſa Act.11.26
etiã cognoſcitur tãdẽ ipſos quoq; dictos fuiſſe pri-
mum Antiochiæ Chriſtianos:haud dubie quod Ie Chriſtia-
ſum eſſe Chriſtum Filium Dei , exemplo Petri ac ni.
Marthæ libere profitebantur. Etſi id accidiſſe vi-
deri poſſit ad ſimilitudinem Philoſophorum quos
conſtat etiã ex hiſto.Apoſt.diuiſos fuiſſe in varias Act.17.18.
ſectas,quæ nomina acceperant & retinebãt à ſuis
auctoribus & ſycophanta Tertullus Euangelicam Act.24.5.
profeſſionem odioſe nominat hæreſim Nazareno-
rum : non eſt,tamen quod dubitemus id nominis
profectum eſſe à Spiritu ſancto , Eccleſiæ doctore
& rectore.Nam ex eo tempore quo hæc egreſſa fi-
nes Iudææ,apud diuerſas nationes longe , lateque
ſparſa cœpit creſcere , hac appellatione vulgo ſi- Chriſtia-
gnificatam fuiſſe multitudinem profitentium no- norum
men Chriſti euidenter cognoſcitur tum ex altero nomen longè la-
eiuſdem hiſtoriæ loco in quo narratur Agrippam téque
regem vehementia orationis Pauli vtcunque com ſparſum.
motum ei reſpondiſſe:Propemodum mihi perſua- Act.26.28.
des vt fiam *Chriſtianus* : tũ ex Petri verbis,quibus 1. Petri 4.
hortatur pios ad tolerandas patienter afflictiones, 16.
Ne quis veſtrum inquit affligatur,vt homicida,aut
fur,aut maleficus,aut alienarũ rerũ inſpector,ſed ſi
vt *Chriſtianus*,ne pudefiat,imo glorificet Deum in
hac parte.Satis aperte oſtendit hic Petri locus ti- Chriſtia-
tulum hunc iam vulgo fuiſſe & notũ & vſu rece- niſmus exoſus
ptum ſignificandis iis qui Euangelij doctrinã ſe- tempore
quebantur,ac palam profitebantur:ſimulque fuiſſe Apoſto-
exoſum quaſi impietatis reum,imo damnatum ſe- lorum.

cumque(vti Cœcias,quod dicitur,nubes) traxiſſe omne genus afflictionum. Confert enim eum Apoſtolus cum grauiſſimis meritoque deteſtandis flagitiis vti ſunt homicidium,furtum,maleficium. Quin & poſtea fuiſſe longe odioſiſſimum intelligere licet ex antiquiſsimis optimiſque ſcriptoribus Athenagora,Iuſtino Martyre,Tertulliano,Euſebio,atque ſimilibus. Sic enim tum temporis hoc nomen auerſabantur profani homines: ſicque in eius odium clauſis oculis, vti ſcite ſcribit Tertul. impingebant,vt ſola eius profeſſio eſſet capitalis: abnegationem vero abſolutio mox ſequeretur, quaſi nomen in ſe crimen contineret, & cum ipſo etiã vel ſumeretur vel deponeretur. Is fuit impiorum quibus Satã,huius ſeculi Deus,exemerat animi oculos,cæcus furor: qui non ſinebat eos cernere clariſſimam lucem: & conſiderare quod Athenagoras iuſtiſſimæ defenſionis loco adferebat: Nomina non eſſe odio digna ,ſed ſcelus ipſũ pœnã ac ſupplicium mereri, & quod Iuſtinus ſcribit neque laudem neque ſupplicium nomine comparari. Atque vtinam horrendæ iſtius cæcitatis atque inſaniæ ætas hæc noſtra nulla proferret ac videret exempla. Sic ergo illis temporibus quibus maxime vigebat & florebat Euangelica doctrina ſentiebant de Chriſtiano nomine homines profani. At piorum ſenſus longe erat diuerſus, vt quibus iſto titulo nullus erat aut gratioſior aut iucũdior aut honoratior. Agnoſcebant enim auctore Deo inuentum impoſitumque ipſis eſſe: partim ad nouum populum , hoc eſt , Eccleſiam ex gentibus collectam,a veteri,id eſt,Iudaica ſynagoga vt re,ita nomine diſcernendam : partim etiam ad excitandam fouendamque fidem in Chriſtum identidem renouando tali titulo memoriam acceptorum ab ipſo beneficiorum. Intelligere enim quiſque debet,ſe ideo Chriſtianũ nuncupari,

Sola Chriſtianiſmi profeſſio capitalis

Nomen non eſt odio dignum,ſed ſcelus.

Chriſtianiſmus piis iucũdus & honoratiſſimus.

Chriſtiani cur vocemur.

quod ſit Chriſto inſitus, vti ramus trunco, ſiue vt membrum ſuo capiti: atque ita participem factum eſſe ſucci, vitæque ipſius: ſeu donatum eſſe Spiritu Chriſti, ac ſimul in communionem beneficiorum ipſius eſſe admiſſum. Nulla enim alia vox eſt quæ ſignificantius exprimat arctiſſimam illam coniũctionem quæ per pulcherrimã coniugii allegoriã pingitur: & per quam nos carnẽ ex carne & os ex Ephe.5 30
oſſibus fieri dicimur, ac credimus. An nõ, ſimulatque audimus ſuauiſſimam hanc appellationem in memoriam redeunt quæ Petrus & Iohannes teſtificantur reges ac ſacerdotes eſſe factos ſiue regale nos eſſe ſacerdotium ad offerẽdum ſpiritales hoſtias? Quid? omnibus qui vtcunque imbuti ſunt Apoſtolica doctrina hæc vox eſt cuiuſdam ſacramenti inſtar, vt quorum auribus ingerat quod ſancta illa vnctio cuius meminit ex veteri hiſtoria Pſal.133. oculis piorũ olim ſubiiciebat. Deus enim bonus & verax nunquam ſibi fidentes ludificatur. Is Filium illum ſuum chariſſimum Chriſti titulo ornari voluit: & eo quidem minime inani ac vano, ſed cui res ipſa reſponderet: vnxit enim ipſum oleo exultationis, vti teſtis eſt Dauid, vltra ſuos Pſal.45.8
conſortes. Igitur & hos vngit oleo eodem, nempe Spiritu ſancto, licet infra illum principem ac primogenitum. Appellationem igitur hanc non nudam aut inanem eſſe ſentiunt quotquot ipſi vera fide adhærent: ſed in rei h.oc eſt Spiritus S. donorum vt in nominis communionem cum illo eſſe admiſſos atque adeo in poſſeſſionem iam veniſſe perſuaſum habent. Titulus certe eſt & honorificus & vtilis quod ſciunt ac ſentiunt qui diuinorum myſteriorum non ſunt imperiti. Quantæ quæſo eſt non modo dignitatis ſed etiam vtilitatis & ſuauitatis plena vox illa Dei, Ne tangatis Chriſtos meos? An non euidenter ſignificat Deus

1.Pet.2.v.5 Apo.1.v.6

Pſal.105.15. ſibi charos & curæ eſſe quos iſto nomine dignatur & ornat: certe Hieronymus exiſtimat eſſe illud nomen, quo Deus per Eſaiam promittit ſuos Eſa.65.14 ſeruos, hoc eſt, credentes nominandos, vt pro variis illis titulis Iacob, Iudas, Iſrael, Ephraim, Ioſeph, a Chriſto Chriſtianus appelletur populus. Quantũlibet ergo vel a profanis hominibus fuerit ſemper contemptus vel ipſis etiam exoſus hic titulus, fuit tamen merito a piis contra ſummo in honore habitus & antelatus omnibus quantumuis ſplendidis aut magnificis huius mundi titulis. Hieronymus ad Furiam ſcribens, cum in patris ipſius mentionem incidiſſet, non dubitauit addere ſe eum plus honorare eo nomine quod Chriſtianus eſſet, quam quod Conſularis aut Patritius. Meminiſſe tamen nos oportet verum id eſſe, quãdo id ſumus quod dicimur. Vt autem valde ſunt inepti, ne quid aliud dicam, qui ſe Chriſtianiſſimos inſcribunt, & ſic appellari volunt, cum deeſt pietas nomini tanto reſpõdens: ita plurimum fallũtur ij quos appellationis huius vel pudet vel pœnitet, ſi rei ſignificatæ participes ſe eſſe credant.

Chriſtiani inepti qui ſint.

CAPVT IIII.

Chriſtum ignorare, & ab eo deficere omnes, qui alium quam Chriſtianum religionis titulum ſibi aſſumunt.

1.Cor.1.11 PAulus in ipſo exordio prioris quam ad Corinth. ſcripſit, Epiſtolæ grauem admodum inſtituit querelam, acriterque inuehitur in illos qui haud multo poſt ſuum ab ea Eccleſia diſceſſum quædam ſeuerant diſſenſionum ac ſchiſmatum ſemina, dum alii aliis ſe addixerant doctoribus

bus ſeque eorum profitebantur diſcipulos, quos præ cæteris admirabantur, quos etiam in primis amabant & ſequebantur, adeo etiam vt ipſorum nomina ſumerent,& plenis,vt dicitur,buccis proferrent.Ex hac tam acri & ſeria Apoſtoli querela, varia & ea perutilia colligere diſcereque licet. Primum quidem videmus iuratum Chriſti atque Eccleſię hoſtem Satanam in id eſſe intentiſſimum, vt mox atque collectus eſt aliquis cœtus ſub nomine Chriſti ac ſignis,eum turbet, diſiungat, diſſoluat, diſſipet. Scite profecto & admodum vere dici ſolet,mox atque hic aduerſarius animaduertit, templum aliquod erectum in illius nomine, huic proxime ſibi exædificare ſacellum,quo illius ruinam moliatur. Deinde diſcimus quam tenera res ſit Eccleſiæ vnitas & conſenſio in Chriſto: & quam facile labefactetur ac diſſoluatur. Si ſemel fiſſio aliqua fiat & vel per rimulam ſibi aditum patefaciat iſte hoſtis,derepente totam diſſoluit cõpagem. Qui igitur Eccleſiæ ſuæque ſaluti bene conſultum eſſe cupiunt,in id in primis incumbere debent,vt vnionis vinculum tueantur & inuiolatum retineant: quod ſtudium omnium commune eſſe decet,vti eorum qui vna in naui vehuntur ne in nauim aquæ aditus vllus pateat. Poſtremo,vt alia multa prætereã,quæ vberrimus pulcherrimuſque Apoſtoli locus ſuggerit: ex rationibus quas adfert,magnaque vehementia profert, euidentiſſime cognoſcitur eos qui Chriſto non adhærent toti, ab ipſoque vno non prorſus pendent, ſed alio reſpectant,& in hominibus,vti Apoſtolus ipſe loquitur,gloriantur,illum diuidere, fidemque ei datam violare,atque adeo cum ipſo facere diuortiũ, ſimul etiã ex iis quæ cũ probro illis obiicit, q talia moliebãtur,clare demõſtrat ipſos neq; plene neque recte nouiſſe Chriſtũ crucifixũ,quãtũuis in

Satanæ artes vt tẽplum Dei diruat.

Quomodo Eccleſiæ ſaluti incumbẽdum.

Chriſtus à quibus diuidatur.

ipſius nomine baptizati eſſent:ſed pro vero Chriſto,vt aperte loquar,vmbram ipſius quandam, & inane ſimulachrum ſiue idolum ſibi finxiſſe.Quod non ſolis illis vſuueniſſe facile intelliget quiſquis attente illa initia cum progreſſu ad noſtra vſque tempora conſiderabit,& prima cum poſtremis,cũ iudicio vacuo ab omni præiudicio, contulerit. Apoſtolum,dicet,iam tum pręſenſiſſe quid aduer-

Antichriſtianiſmi initia & progreſſus.

ſarius Chriſti in illo præludio moliretur, quæ in vtraque ad Timoth. Epiſtola de futuris temporibus præſcripſit luculentiſſime teſtantur. Videbat iaci ab eo fundamenta ingentis ædificii in Eccleſiæ Chriſti ruinam,animaduertebat ipſum parturire monſtra ac portenta,quæ in multorum perniciem aliquãdo editurus eſſet.Hinc ille ardor tantaque orationis vehementia aduerſus eos qui operam peſſimo iſti architecto ſuam locabant ac præſtabant. Quanta quæſo initia illa leuiſſima ſecuta eſt ſchiſmatum & seceſſionum moles? Quantam quæſo hodie videmus ſegetem ex tenui illa ſemente & herba? Iſta enim inter ſe comparare non ſolum eſt parua cum magnis componere, ſed etiam minima cum maximis. Breuiter eſt muſcam cum Elephante conferre.Verum vt de re tota paulo melius omnes iudi-

Satanæ præſtigiæ & fraudes.

care poſſint,pauliſper conſideremus præſtigiatoris iſtius Satanæ aſtum & artificiũ, quæ ipſius fuerint initia,& qui progreſſus,velut per tranſennam inſpiciamus. Cum hanc longam telam texere inſtituiſſet,hoc eſt regnum Chriſti quod aſſidua incrementa recipere inuitus videbat, vel euertere vel labefactare ſemel conſtituiſſet, callide exordiri voluit a tenuiſſimis initiis, ne fraus facile deprehendi poſſet: præterea ſua fila aſtute texit eximiæ cuiuſdam pietatis ſpecie ac ſplendo-

re:No-

re. Norat enim hic impoſtor non poſſe acrius religionem oppugnari, quam ſub religionis larua: ſciebat ſpecioſum hominum oculis, honeſti otii deſiderium, odium mundi ſiue eorum quæ in mundo ſunt, vti Iohannes deſcribit, ſeceſſus oportunitatem eſſe magnam ad ſacrarum literarum lectionem & meditationem, ad continuas preces, bonorúmque operum omnis generis ſtudiũ: quæ omnia præbent quendam quaſi guſtum æternæ cœleſtiſque vitæ. Iſto religioſi ſeceſſus prætextu cœptum eſt diſcedere à ſimplicitate ſimúlque puritate Chriſtianæ religionis. Deſerta eſt via quam Chriſtus ipſiúſque Apoſtoli & verbo & re demõſtrarãt. Atque Satanicis iſtis præſtigiis multorum faſcinati oculi, & animi admiratione nouitatis, quę eſt humana vanitas atque curioſitas, permoti, paſſi ſunt ſe totos occupari & poſſideri ab hoſte veræ pietatis. Nam patefacto ſibi ſemel ſub ſpecioſo iſto velo aditu ad res mutandas & nouãdas ſic eſt progreſſus in mutando, nouando, addendo vt tãdem nihil veteris formæ reliquerit, nihil non nouum effecerit. Res ipſa oſtendit quam verum ſit illud peruulgatum: Paruus error in principio, magnus euadit in fine. Quia itum non eſt obuiam iſtis principiis, neque adhibitum fuit remedium quale Paulus adhibuerat in Corinthienſi eccleſia, totam prope Eccleſiam Chriſti peruaſit peſtilentiſſimus hic morbus. Suas enim tenebras, hoc eſt, commenta ſic filatim inuexit & commendauit hoſtis ille, vt lucem doctrinæ Euangelicæ non modo obſcurarit, ſed etiam tantum non extinxerit, certe integrum nihil, nihil non corruptum ipſius additamentis permanſit. Ad Chriſtianas ceremonias quod attinet, quas filius Dei pauciſſimas illas quidem, ſed ſignificatu, vti Auguſtinus eleganter ſcriptũ reliquit, auguſtiſſimas eſſe voluerat, quan-

1. Iohan. 2.15.

Monachatus fundamenta.

Lumẽ veritatis quibus artibus extinctum.

Chriſtiana Cæremoniæ abrogatę, vt locus

daretur infinitis & ridiculis hominum commentis.

tis & qualibus acceſſionib⁹, bone Deus, impoſtor iſte eas cumularit, contaminarit, obruerit, quis dicendo conſequi poſſet? Euidentiſſimum ſane eſt neque niſi ab obſtinate improbis negari poteſt, ſic gradatim auctas cumulatáſque fuiſſe, aliis partim a Iudæis per κακοζηλίαν partim a profanis gentibus acceptis, vt veterum Iudæorum, quam nouorum Chriſtianorum ea in parte tolerabilior conditio fuerit. Cultus autem verus quem Chriſtus ſuo ore docuerat, Apoſtoli vero & voce eccleſiæ tradiderant, & literis conſignatum poſteritati reliquerant, duabus illis partibus, vt dixi, adulteratis, ſic degenerauit totus, vt ethnicus potius quam Chriſtianus fuerit dicendus. Demum Chriſtiana re ſic omni ex parte euerſa, ad ipſum nomen ſic nauſeatum eſt, vt plurimos eius pudere & tædere cœperit: quæſitique ſunt alii tituli ex nominibus hominum, partim quidem parum piorum, partim etiam obſcurorum, & ne quid dicam acerbius, ineptorũ. Suis itaque artibus effecit mirific⁹ ille artifex Satan vt Chriſtus ex ſuo ipſius regno exularet, in propria domo, vti ignotus hoſpes verſaretur: eorumque qui ſub illius ſignis ſe militare dicebant, oculis, auribus, animiſque ſubductus & prorſus ereptus eſſet. Nũquam enim qui in nomine Chriſti baptiſati fuerant, eique fidem dederant, aut ipſi ſibi aſciuiſſent, aut ſibi imponi paſſi fuiſſent, cognomina quæſita vel ab hominibus vel ab Angelis, vel re alia vlla quantiuis precii, ſi eum cui ſe addixerant vere nouiſſent, & ſi quid ab ipſis flagitaret, eſſetque ſtipulatus, quidve illi ſpopondiſſent, recte intellexiſſent. Neque vero fieri potuiſſet, vt alteri ſe adiungerent, quin prius ab eo defeciſſent. Id certè vel ex eo clare cognoſcitur, quod à nonnnullis antiquiſſimis ſcriptoribus traditur, Tiberium ad Romanum Senatum de Chriſto

Cultus Dei ethnicus tandẽ euaſit.

Nominis Chriſtiani monachos puduit.

Chriſtus in Eccleſia vt in Iudęa verſatus eſt.

Tiberius vult Chri

ſto

ſto in Deorum numerum cooptando olim retuliſ- ſtum in deorum numerũ cooptari.
ſe,cui Senatus aſſentiri noluit, eam ob cauſam,
quod Chriſtus ſolus coli vellet. Facile enim intel- 157
ligebat ille Senatus dimittendos ſibi eſſe alios
Deos omnes, quos receperat, ſi hunc admitteret.
Quam rationẽ ſi poſtea Romana Eccleſia diligenter expendiſſet, nunquam mediatorum iſtam,
quam hodie colit, turbam recepiſſet. Siquidem
Chriſtum cum iſtis retinere ſe non poſſe facile intellexiſſet. Vt enim Deum vnicum, ita vnicum
mediatorem agnoſcit & colit Chriſtiana religio,
omneſque illum colentes vno Chriſtiano cognomine ornat.

CAPVT V.

Nouitiam ſectam ex ipſo cognomine a nomine Ieſu deriuato, reàm peragi nouitatis, ſchiſmatis atque ſacrilegij.

DE origine, etymo & variis alluſionibus cognomenti IESVVITÆ varia ante hæc tempora à nõnullis fuere ſcripta, quæ me repetere nihil eſt opus. Quid mihi videatur ſimpliciſſime, & ſine vllis cauillis dicam, Iocari enim, nedum cauillari, in re tam ſeria non libet. Facile inuentoribus conceſſero vt a nomine Ieſu deduxerint eadẽ forma, qua olim qui ab Iſraele originẽ ducebãt, Iſraelitæ appellati fuere: & hodie Iohãnitæ atq; Iacobitæ dicũtur qui Iohãnis atque Iacobi ſectatores eſſe dici, viderique volũt. Nã hac in re nõ eſt ſitus is de quo nũc quæritur nod⁹. Agim⁹ enĩ nõ de ꝓprietate dictiõis, ſed de veritate ac pietate Ieſuvviticę ꝓfeſſionis. Principio vt vehementer probo q̃ no-

Vide cap. 1. prioris libelli à Kẽnitio editi.

De re, nõ de verbis hic agitur

ui iſti ſociales(ne ipſos ſua defraudem laude) per confictam à ſe appellationem non obſcure ſignificant ſe improbare atque adeo damnare antecedentium ſectarum auctores, qui his cognomina ab hominum nominibus petita indiderunt (quare ipſos non exiguá ſchiſmatum atque ſuperſtitionum ſparſiſſe ſemina, conſtat) & eos reuocant ad Ieſum Chriſtum, vti vnicum veræ religionis fontem & caput (à quo illos deſciuiſſe ſibíque effodiſſe ciſternas quæ aquas non continent, vt propheticis verbis vtar, illa cognomenta teſtificantur) ita non poſſum non vehementer improbare, imo non acriter reprehendere ipſorum temeritatem atque audaciam, quod repudiato omniū qui Chriſto nomen dedere communi titulo iam olim recepto, cuius auctorem eſſe Spiritum ſanctum, & quod apud pios maiores ſummo in honore ſemper habitum fuiſſe oſtenſum eſt, alium hactenus inauditum, miniméque ipſis conuenientem, & cum non parua Chriſti omnium piorum ſeruatoris contumelia coniunctum, confingere ſibique priuata auctoritate indere auſi ſint. Nouum eſſe IESVVITÆ cognomentum, nemo eſt qui neſciat. Nouitatem autem cū omnibus in rebus tum maxime in religionis cauſa omnes pii & docti vehementer fugiendam eſſe recte præcipiunt, quod & ſuo exemplo Apoſtoli confirmarunt. Nam quum Euangelica doctrina nouitatis nomine infamaretur initio ab hoſtibus, ipſos & in primis Paulum, ſedulo dediſſe operam vt iſtam calumniam depellerent, ex ipſorum ſcriptis manifeſte cognoſcimus. Et ſane noua nomina cur niſi nouis rebus ſignificandis inueniantur? Vocabula quidem noua fingere rebus nouis, non improbari doctis conſtat. Id enim *Hieron.* in cap. 1. epiſt. ad Gal. aduerſus quoſdam moroſos atque delicatos

Crimina Ieſuuitarū in noua nominis vſurpatione.

1. Sunt cōtumelioſi in omnes Chriſtianos.

2. Sūt Nouatores.

licatos

licatos defendit, ſed tum id faciendum eſſe exiſtimat dum vel vtilitas vel neceſſitas ſuadét aut potius vrgent. At cum ſociales iſti ad hoc coiſſe & prodiiſſe videri velint, vt antiquam pietatem reſtituant, quæ ipſos vel vtilitas inducere vel neceſſitas cogere potuit ad hoc cognomentum confingendũ? Primũ nouo nomine diuerſum ab eo quod inſtituerunt, promittunt: atque ita fit vt ipſi à ſeipſis diſſideant. Deinde vetuſtæ doctrinæ atque religioni quî conuenit noua appellatio? nihilo certe magis quam veteri veſtimento, iuxta ſententiam Chriſti, particula rudis ſiue impoliti panni. Quid Matt.9.16
enim aliud eſt recens titulus, niſi nota quædã frõti inſculpta, quę omnes admonet & clare pronuntiat nihil ab iſtis nouitiis ſiue nouatianis, niſi nouum ac nuper confictum expectandum eſſe? Paulus non 1. Tim.6.
abs re ſuum diſcipulum quem vnice vti germanũ 20.
filium amabat, monuit vt auerſaretur καινοφωνίας: etſi ſciã alios legere κενοφωνίας. Parum enim refert vtro legamus modo: cum inter res ſignificatas ſicuti & voces maxima ſit cognatio. Sũt profecto noua perſæpe etiam vana. Nouitatis ſimul & vanitatis ſtudium, vt res coniunctas Lucas in Athenienſibus notauit. Et ſane ſapiens admodum conſilium Act,17.21.
eſt eius qui amico ſe noui aliquid habere dicenti 22.
cenſuit eſſe reſpondendum: Malim aliquid vtile & cõducibile. Præterea nouiſſima hæc ſecta aut Propheticam atque Apoſtolicam doctrinam pariter ac religionem tradere inſtituit, aut aliam ab ea diuerſam. Si illam ſe adferre profitetur, quæ ſtultitia eſt, rem vt veriſſimam ita & vetuſtiſſimam noua ac ficta appellatione ſuſpectã odioſamque reddere? Sin diuerſam adfert: non eſt quod nobis indignetur ſi ipſam cum ſuis figmentis valere procul iubeamus pronunciemuſque eſſe anathema: cum id etiam aduerſus cœleſtem angelum facere

Gal.1.8. iubeat Chriſti Apoſtolus. Vti enim Chriſtus priore ſuo aduentu omnia adeóque mundum ipſum innouaſſe dicitur, ita ante eiuſdem reditum innouationem iſta in parte nullam promittit aut iubet expectare Apoſtolica doctrina. Videamus etiamne recens fabricata hæc appellatio nouitiæ iſti ſectæ ſchiſmatis notam manifeſte inurat. Deus enim pacis, concordiæ, & vnitatis amantiſsimus hanc ſuæ Eccleſiæ omnibus modis commendare ſtuduit, vti clariſsime docet locus Pauli ad Epheſios. Quos enim in chariſsimo filio, ante iacta mundi fundamenta, elegerat, in vniuerſo orbe diſsipatos, conſtituto tempore colligere & ad illum primogenitum velut omnium ducem & paſtorem aggregare: atque vti vnius corporis membra ſuo capiti adiungere voluit. Nihil tam ſtudioſe præcepit quã vnitatem, quam eandem inter eos rerum omniũ, quæ quidem ad pietatem pertinent, communione ſanciuit, vt verbo, fide, Sacramentis, ſpiritu, atque ſimilibus in quibus teſte Apoſtolo nullum eſt inter Iudæum ac Græcum, ſapientem ac rudem, dominum & ſeruum, marem & fœminam diſcrimen: ſed omnes ſunt vnum, id eſt vnus Chriſtus. Atque inde quis non videt, eiuſdem Patris voluntate & conſilio eſſe effectum, vt omnes vno Chriſtianorũ nomine dicti notatique fuerint iam inde ab initio iſtius per Euangelij prædicationem aggregationis? Ideoque hanc appellationem conſtat eſſe vnitatis illius velut Sacramentum quoddã atque vinculum: quod omnino diſſoluit atque violat, quiſquis aliam ſibi aſciſcit, quocunque id faciat prætextu: id quod etiam locus ille ante ex 1. Cor. 1. citatus manifeſte docet. Ad hæc in communi iſto cognomine præter ſymbolum fraternitatis, & commonefactionem mutuæ dilectionis, eſſe etiam incluſam profeſſionẽ religionis apparet: aliud ergo ſibi

[Margin notes: 3. Sunt Schiſmatici. — Epheſ. 4. 3. — Coloſſ. 3. 11. — 4. Sunt Apoſtatæ, & à profeſſione Chriſtianiſmi deficiunt.]

ſibi ſine vlla neceſſitate affingere an non eſt quædam abnegationis & defectionis ſpecies? Extat in Grat. Decr. *Cauſ.11.quæſt.3.* paragraphus ex Auguſtino, in Iohan. tract. 1. citatus, qui docet eum qui ſe Chriſtianum eſſe negat, negati Chriſti conuinci. Qui? quod ſociales iſti videri volunt ſic coiſſe, vt diſſoluta diſiectaque Eccleſię membra colligāt, inter ſe coniungant & coagmentent. Quæ vero eſt inſania alios in viam reuocare, & ab ea diſcedere? alios coniungere conari, ſeipſum vero ſeparare? Si illud ipſorum eſt conſilium vti præ ſe ferunt, cur ipſi, in ſe primum non edunt vnionis ſpecimen, & non ſine auctore, ſine cauſa, malo pernicioſoque exemplo diſſolutionem diſſipationemque augent? Cur quod auctore cæleſti Magiſtro eſt conſtitutum, & totius piæ antiquitatis conſenſu & exemplo eſt confirmatum dirimendo labefactant? Memini Magiſtros noſtros Sorbonicos cum olim admodum ſoliciti & in omnes partes eſſent intenti, ne res, non publica aut Chriſtiana, ſed ſui ventris ſuæque auctoritatis aliquid caperet detrimenti, promulgaſſe articulos (ſic enim iſti Prophetæ ſua ſcilicet oracula, hoc eſt, placita & decreta aduerſus eos quos Lutheranos vocant, edita inſcribebant) in quorum vno (penultimo ſi bene memini) diſerte vetabatur: Ne quis docendo proferret nomē Chriſti ſeorſim à nomine Ieſu. Quod decretū quantumlibet inſulſum, adeo ſeuere vrgebatur, vt eius rei cauſa, deferentibus me Frāciſcanis fratribus quatuor, Actore Epiſcopo Claremontano Ieſuvvitarū primario patrono, ad tribunal egregij illius Pręſidis P. Lizeti paulo antequā fieret ex Præſide Abbas, cū mei capitis periculo cauſa mihi fuerit dicēda. Attamē Petrū & Marthā in ſuis confeſſionibus, atq; Paulū paſſim in ſuis Epiſtolis impune peccaſ-

Sorboniſtorum matæologorum impudens audacia.

Boquinus cum capitis periculo cauſam dicit, quod formulas loquendi ab apoſtolis ipſis expreſſas vſurpauerit.

ſe in illum articulum videmus. Miror itaque egregios illos excubitores non potius ſua in iſtos ſociales vibrare fulmina: qui contra Spiritus ſancti oraculum & decretum, Eccleſiæque vetuſtiſſimam conſuetudinem IESVVITAS potius quam Chriſtianos ſe nominant. Sed forte inter vtrunque bonorum iſtorum virorum ordinē in eo optime conuenit, quod vt molles ac delicati, verā Chriſti crucem refugiūt: quam cum Chriſtiani nominis profeſſione coniunctam olim fuiſſe intelleximus: nomen vero Ieſu ſecum tale quiddam traxiſſe nullibi, quod ſciam, legimus.

5. Sunt ſacrilegi & profanatores Sacroſancti nominis Ieſu.

Poſtremo effugere non poſſunt noui iſtius cognominis fabricatores & vſurpatores crimen ſacrilegij, & profanati ſacroſancti nominis IESV. Hoc enim filio Dei in carne manifeſtato, vti proprium ipſi: & myſterium longe maximum, huic perſonę peculiare, deſignans, cœleſtis Patris iuſſu, inditum fuiſſe eſt demonſtratum. Qua ergo iſti audacia, qua fronte, imo qua conſcientia id ſibi ſumunt, & quod Deus obſignatum voluit, reſignāt, quod proprium, communicant, quod ſanctum, cōtaminant? At fortaſſe dicturi ſunt, id ſe finxiſſe & aſſumſiſſe cognominis, quo ſignificarent, nomineque ipſo profiterentur ſe eſſe Ieſu cultores, hoc eſt, in eum credere, ipſi fidere, omnemque ſuam ſalutem ab eo expectare. Ego vero reſpondeo: quæ eſt non curioſitas aut vanitas tantum, ſed etiā iniquitas, id quod omnibus piis eſt cōmune, & Chriſtiano cognomine continetur, ac auctore cæleſti ſpiritu ſignificatur, paucos ſibi vindicare, eiuſque rei cauſa priuata auctoritate nouum ſibi confingere & aſciſcere titulum? An non id in profanis rebus pro furto haberetur, in ſacris igitur, cur inter ſacrilegia non cenſeatur? Si quid vero priuilegij aut prærogatiuæ obtendit nouus hic ordo, diploma

Quod Chriſtianis eſt commune Ieſuitę ſibi ſolis tribuunt.

ma proferat vere Apoſtolicum, id eſt, non à Romana ſed cœleſti curia profectum: & omnibus quorum intereſt (intereſt autem omnium) examinandum iudicandumque exhibeat. Quod ſi nouũ iſtum titulum ipſis interpretari placet non paſſiue, ſed actiue, hoc eſt, vt aperte loquar, non ſeruatos ſed ſeruatores, vt qui in rebus afflictis & velut deſperatis ſalutem alioquin perituris ſe adferre profiteantur (vti legimus Deum olim Iſraelitico populo a ſuis hoſtibus oppreſſo ſeruatores excitaſſe ac miſiſſe) eſt de calcaria in carbonariã, vt dici ſolet, tranſire. Attamen ad eam interpretationẽ accedere videtur huius cognominis nuper inuẽta periphraſis: & a quibuſdam in ipſorum ſcriptis, aſperitatis, abſurditatiſq; quantũ coniicio, leniẽdæ gratia, præfixa, nimirum Societas Ieſu, quaſi ipſos IESVS nuper allegerit in collegas & ſocios ad ſalutem miſeris hominibus impertiendam. Ego rurſum ab ipſis requiro huius ſuæ electionis firmum teſtimonium, authenticumque inſtrumentum, alioqui ipſis obiicietur, neque id immerito, hunc ipſos ſibi aſſumpſiſſe honorem: quod ab ipſo etiam Chriſto factum eſſe negat Apoſtolus. Et hoc ſane furum, raptorum, luporum eſſe ſacræ teſtificantur literæ. Deinde non ſimplex, ſed multiplex eſt impietas, ſe in ea parte ſociũ profiteri Ieſu, quam ipſi ſic propriam eſſe Apoſtolica teſtatur doctrina, vt ſocium nullum admittat. Solus enim adfert & confert ſalutem: quotquot eam habent, ex ipſius acceperint manu oportet: & qui inde accepit, ſibi, non alteri accipit. Vicarios ille hac in parte nullos recipit, nedum flagitat. Nã fides vnicum parandæ ſaluti aptum & idoneum inſtrumẽtum in ipſum ſolum fertur. Atque eam ob cauſam dixi a poſteriore iſta ſecta merito damnatas eſſe priores, eo nomine quod in ſuos patres ſiue au-

Societas Ieſu.

Hebr. 5.5. Ioan. 10

6. Sunt multipliciter impii.

ctores transferrent, quod ſolius Chriſti eſſe voluit cœleſtis Pater. At ſi id quod modo dixi, ſetit noua factio longe grauius illis omnibus peccat, vt quæ ſingulis factionis membris tribuit, quod illæ ſolis aſcribunt fundatoribus (ſic enim vocant ſuos illos patres) qui vnum & commune fundamentum ignorant. Verum ne videar vel nimis rigide vel maligne aliena verba interpretari, ſequar interpretationem quæ & mitiſſima eſt, & pauciora incommoda ſecum trahit: nempe ipſos hoc ſolum profiteri quod cum IESV ſocietatem habeant, vt ab eo ſalutem quam omnibus in ipſum credentibus promittunt ſacræ literæ, conſequantur. Hoc autem vere ne an falſo dicant, ac merito ſperent, non poteſt certius quam ex ipſa re cognoſci. De ea igitur nunc agamus, ipſamque vti digna eſt, excutiamus.

CAPVT. VI.

Extra ſocietatem Ieſu nullam eſſe ſpem ſalutis relictam.

Aliter inſtituendā eſſe aduerſus Ieſuitas diſputationem, quā adu. apertos Chriſtianæ religionis hoſtes.

ALITER inſtituendam eſſe diſputationē aduerſus eos, qui nominis Chriſti, Chriſtianæque religionis hoſtes ſe eſſe aperte profitentur, quam cum iis qui huius non modo aſſertores ac defenſores, ſed etiam inſtauratores, ac vindices videri dicique volunt, illos ipſos quibus cum mihi eſt negotium nequaquam inficias ituros confido. Vno itaque ad eam rem confirmandam Pauli exemplo multorum argumentorum loco, ero in præſentia contentus. Hunc profecto ſummum diſſerendi Magiſtrum ratione alia cauſam egiſſe Chriſti apud Iudæos

quam apud gentes ex Apoſtolica hiſtoria clariſſime agnoſcitur. Ego ergo optimi iſti⁹ doctoris pro mea tenuitate inſiſtens veſtigiis, aduerſus iſtos Chriſtianæ doctrinæ repurgatores, veræque religionis, ſi Deo placet, vindices ex ſolis huius ipſius doctrinæ communibus & ab omnibus conſeſſis receptiſque principiis & dogmatibus agam.

Principio minime dubito quin noui iſtius ſodalicij & auctores & patroni pro vero indubitatoq; axiomate habeant, quod ſupra cap. 2. ex Euangeliſtis Matthæo & Luca de nomine Ieſu, & eius ſubiecti ab Angelo ratione recitatum fuit. Reliquum igitur eſt vt rem & in nomine ipſo cõprehenſam, & in ſubiecta ratione explicatam non modo nomini reſpondere, ſed etiam huic perſonæ non minus quam ipſam appellationem propriam eſſe doceam. Petrus ſpiritu S. plenus, vti Lucas ſcribit, fidelissimus teſtis & optimus illorum verborum interpres fuit, cum flagitante Iudaicorum Pontificum concilio rationem editi miraculi, collatique in hominem claudum beneficij non minus aperte expoſuit, quã conſtanter faſſus fuit per nomen Ieſus, quem illi quidem cruci affixerant, ſed Deus eũ a mortuis excitarat, id totum præſtitum eſſe: etiam addens ſic per iſtum hominem offerri cõferrique ſalutem, vt per alium vllũ ſub cælo dari poſſe neget. Quid diſertius aut expreſsius dici potuit? omnem cauillãdi ac tergiuerſandi occaſionem amputat vniuerſalis excluſio, grauiſſimæ aſſeuerationi etiam cum geminatione addita. Confirmat hoc ipſum Paulus paſſim in ſuis Epiſtolis, atque etiam aliquot locis illuſtrat elegantiſſima antitheſi duplicis Adami ſeu hominis. Hos parentes inter ſe opponit vti fontes duos contrarios, qui fœtus progignant prorſus diuerſos, nempe eũ quem veterẽ ac terrenũ nominat, peccato infectos, & plane corru-

[Margin: Ieſus, re & nomine Ieſus.]

[Margin: Act. 4.12.]

[Margin: 1 Cor. 15. 45. Rom. 5.14.]

ptos ac proinde iræ Dei & æternę morti addictos: alterum vero quem contra nouum & cæleſtem appellat, iuſtitia ornatos, atque ad æternam & beatã vitam deſtinatos. Vti enim filij ſuorum quique parentum naturam atque ingenium retinent, ita quę parentum propria ſunt, filij demum, vti par eſt, cõ-

Rom.6.23 ſequuntur. Vt autem peccati iuſta merces, eſt exitium ſeu æterna mors, ita ſalus ſeu beata vita eſt iuſtitiæ diuina benignitate coniuncta. Quare ſicuti quiſquis ex priore illo homine naſcitur, quũ ſecũ afferat peccatum ſibi congenitum, æternæ damnationis pœnã effugere nõ poteſt (quo fit quod quidam ſcite ait, vt omnis homo ante ſit damnatus quam natus) ita quum nulli niſi qui in poſteriore homine, hoc eſt, Chriſto, a cœleſti patre ſunt electi, adoptati, regenerati iuſtitia ornẽtur, hos quoq; ſolos æternæ ſalutis fieri participes eſt conſentaneum. Id quod ipſe Chriſtus clariſſime eſt teſtifi-

Ioan.5.26. catus. *Sicuti*, inquit, *pater vitam in ſeipſo habet, ita & Filio dedit habere vitam in ſeipſo* Idque vti a-

Ioan.3.15. lio in loco addidit, vt *qui in ipſum credit, nõ pereat, ſed habeat vitam æternam*, quibus verbis conſentiũt quæ Matthæus & Lucas ſcribunt de ſuo in hunc mundũ aduentu dicta eſſe. *Venit*, inquit, *Filius ho-*

Mat.18.11. Luc 19.10 *minis vt quod perierat quæreret atque ſeruaret.* Igitur extra hunc non niſi mors & exitium: in eo vero ſolo vita eſt atque ſalus, & huic inſeri eſt neceſſe eos omnes qui ab ipſo vitã accipere volunt, ipſumque induant oportet, quotquot ſuam ignomi-

1.Ioan.5.11. niam tegi & abſtergi cupiunt. Id quod a Ioanne quoque diſertiſsime eſt ſignificatum. *Teſtimoniũ*,

Similima eſt Ioan. Bapt. ſententia apud inquit, *eſt Dei, quod vitam æternam nobis dedit & hæc vita in Filio eius eſt. Qui habet Filium habet vitam, qui non habet Filium non habet vitam* Chriſtus etiam ipſe allegoria illa pereleganti vitis & palmitum ſic depinxit, ſicque expreſſit, vt nemo

non

non facile intelligere poſsit. Atque eo euidenter ſpectat quod Apoſtoli eum locis aliquot appellãt σωτῆρα τοῦ κόσμου. Titulus vero hic Græcus vti Hebraico nomini, de quo ante eſt dictum, optime reſpõdet, ita eſt adeo magnus ſi Ciceroni, idoneo teſti, creditur, vt vno Latino reddi exprimique nõ poſsit, notat autẽ eum qui ſalutem adfert. Neque obſtat quod hic titulus etiam Patri nonnunquam tribuatur: atque etiam deferatur hominibus vti veteris populi iudicibus diuinique verbi miniſtris, Rom. 11. & 1. Tim. 4. Id enim Chriſti aut officio aut honori nihil detrahit: imo magis quod iſta de re eſt dictum, confirmat. Siquidem patrem vti ſalutis primarium fontem à quo in filium deriuatur quaſique deponitur ſalus omnis, Seruatorem optimo iure nominari conſtat. Ad homines vero quod attinet, non alia ipſis ratione hic honos defertur, quam quod ſint à ſeruatore Chriſto delecti atque deſignati, vt quam in ſe habet propriam ac reſidentem ſeruandi vim per eos veluti ſua organa in alios diſtribuat atque diffundat. Id quod admodum appoſite notaſſe & diſtinxiſſe mihi videtur auctor Epiſtolæ ad hebræos, ipſum nominando τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας. Quod vero ſcriptor iſte vſus genere dicendi Hebræis familiari, vno quaſi vocabulo ſignificauit, Petrum, cum cauſam iſtam apud Iudaicos pontifices defenderet, diſcreuiſſe legimus, τοῦτον, ὁ Θεὸς. ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε, &c. Ex iſtis firmiſsimis principiis (plura enim proferre nihil eſt opus) ſatis conſtare exiſtimo quod docere inſtitui, extra ſocietatem Chriſti nullam vlli homini relictam eſſe ſalutis ſpem: vnde euidenter conficitur prorſus hallucinari & plurimum aberrare qui alibi ſalutem quærunt, aut aliunde expectant. Quare nouum hunc fraterculorum ordinẽ reprehendere neque debeo neque volo ſi ſerio

Ioan. cap. 3. v. 35. & 36.
Ioan. 15. 5

Quo ſenſu Pater appellatur & eſt ſeruator.

Quare Iudices Iſraelitici & Paſtores Eccleſiæ vocentur Seruatores.

Heb. 2. 10.

Act. 2. 31

Extra ſocietatem Chriſti nulla ſalus

dicant atque credant in Ieſu ſe ſalutem quærere indeque velut ex iugi fonte haurire velle:ſed exiſtimo perabſurdum eſſe quod omnium cuiuſuis ordinis & conditionis hominum commune eſt,id totum ad ſe vnum trahere ſibique vt proprium vindicare conari:atque etiam eos peſſime iudicare ſi extra genus vitę quod ſibi nouè cōfinxerunt, illam parari non poſſe arbitrantur. Denique ipſos plurimum in eo falli iudico,quod ad ſalutem a Ieſu conſequendam,viam ingrediuntur aliam,ab ea quam ìpſe & præſcripſit & commonſtrauit.

Ieſuuitarum impudens hypocriſis.

CAPVT VII.

Vt verè cum Ieſu ineatur ſocietas, ineundam eſſe viam quam ipſe commonſtrauit.

Simile, inſtitutæ diſputationi apprime cōueniēs.

Spiritus ſanctus animarum fidelium medicus non modo verum ſalutis remedium deſcribit verum etiam quomodo iſtud ſumendum applicandumque ſit diligenter docet.

FIdelis ac prudentis medici eſt non modo idoneum & vtile pharmacum ægrotanti indicare aut deſignare, verum etiam modum atque rationem ipſum ſumendi diligenter tradere: maxime ſi cum rudi & medicę rei imperito rē ſibi eſſe intelligat. Siquidem hac in parte peccare vti procliue,ita admodum periculoſum eſſe conſtat, quotidianaque confirmat experientia. Spiritus igitur ſanctus vt veri Doctoris fideliſſimique medici erga electos defungeretur munere, ipſorúmque ſaluti pleniſſime conſuleret, probę intelligēs quanta ſit humanæ mentis non modo vanitas,ſed etiam cæcitas , præſertim in ſua ſalute quærenda atque procuranda, non exiſtimauit ſatis eſſe remedium , verum ac certum adeoque neceſſarium deſcribere ac deſignare , ſed etiam quomodo iſtud ſumendum adhibendumque ſit , clare &

re & fuſe exponendum ſibi eſſe putauit. Quare omnes qui ſuæ ſunt ſalutis vere ſtudioſi, apud ſe ſtatuere oportet, nō modo remedium aduerſus peccatum, quod cæleſtis Pater in Chriſto offert, eſſe ſibi amplectendum, ſed etiam eam quam ille tradidit rationem ipſius ſumendi, ſibi eſſe omnino ſequendam. Vehementer enim fallũtur, totoque, quod aiunt, cælo errant, qui alias comminiſcuntur vias ac rationes, aut ab aliis excogitatas, quãtumuis ſint plauſibiles, & planæ videantur, ingrediuntur. Fruſtra certe ſe fatigant qui extra viam currunt, & vt ille dicebat, ſatius eſſet in via claudicare quam extra eam currere. Tantum enim abeſt vt ad veram metam vnquam perueniãt, vt pro ſalute grauius ſibi accerſant exitium. Clariſsime, & id quidem non vno in loco, docet Spiritus ſanctus, patrem a nemine cognoſci, atque ad eum venire neminem, niſi docente atque ducente filio; qui vt ſe vitam & veritatem, ita & viam, non abs re appellauit. Sic etiam idem Spiritus docet in filii ſocietatem ſeu communionem venire ac recipi neminem, niſi auctore & inducente patre. Fidelis Deus, inquit ad Corinthios Paulus, per quem vocati eſtis in communionem filii ipſius Ieſu Chriſti Domini noſtri. Hinc apparet non niſi vocante patre aditum ad iſtam communionem cuiquam patere. Non eſt autem conſentaneum alium vocari quam qui eius audit vocem, atque ſequitur: hoc eſt qui audit ipſum loquentem, ipſiuſque obtemperat conſilio, & manuducentem ſequitur. Quod Iohannes manifeſte oſtendit in ſuæ epiſtolæ proœmio, docens, ſe quod viderat & audierat annunciare eccleſiæ, vt vna communionem haberent non modo inter ſe, verumetiam cum patre & cum filio eius Ieſu Chriſto. Euangelii ergo vox via eſt per quam patet ad ſan-

Chriſtiani Chriſtũ quærũt & amplectũtur ea via & ratione qua queri & amplecti vult.

Mat. 11. 27

Ioan. 1. 4

Ioan. 14. 6

1. Cor. 1. 9

Pater nos vocat ad Filiũ per vocem Euangelij

ctam & ſalutarem iſtam ſocietatem acceſſus. Per illam pater inuitat & vocat quos filio ſuo dedit ante iacta mundi fundamenta,& velut gregem ad ſuum paſtorem eos adducit & aggregat. Vocis autem illius Euangelicæ ſummam continet illa vox patris clare e cœlo ſonans: Hic eſt ille filius meus dilectus in quo acquieſco, ipſum audite. Verbis paucis ille quidem,ſed admodum ſignificantibus & metam notat & viam oſtendit. Meta enim ſeu ſcopus in quem collimetur vtroque oculo eſſe debet filius ille patri charus,in quo ſolo ſic acquieſcit vt infenſus ſit omnibus quos hic ipſi non conciliat. Via qua ad metam peruenitur, eſt huius ipſius vox atque ſermo: cui omnino eſt auſcultandum. Itaque hic vnus filius non alius vllus eſt, & via, & meta,& dux. Sic enim accipiendæ ſunt demonſtratiuæ voces,vt intelligamus hunc ab aliis omnibus ſecerni,alioſque omnes ab hoc officio & honore excludi. Quiſquis ad metã alia via peruenire contendit,oleum perdit & operam,vti dicitur. Omne enim humani ingenii acumen hac in parte æque eſt hebes,vt ait ille,atque pecus. Quicquid homines hac de re vel cogitant vel conſulunt,errores ſunt & ambages,non ſemitæ,non cõpendia,ſed diſpendia. An vero id non ſatis euidẽter eſt ſignificatum iam olim per prophetas, dum tam ſæpe vias hominum viis Dei,vt prorſus contrarias opponunt? vnus in præſentia Eſa. locus ex cap.55.v.8.ſufficiet. Is Deum verbis iſtis alloquentem Iſraelem inducit. Non ſunt cogitationes meæ cogitationes veſtræ,nec viæ veſtræ viæ meæ. Nam quanto altiores ſunt cœli quam terra,tãto ſunt altiores viæ meæ, quam viæ veſtræ, & cogitationes meæ quam cogitationes veſtræ. Quid clarius dici poſſet? Et adhuc dubitamus an ſol in meridie luceat? Quorſum tam ſæpe, tam ardenter, tam diſerte

Vocis Euangelicę ſumma.

Scopus vitæ beatæ Chriſtus.

Via ad Chriſtum Chriſti vox.

Cõmenta hominũ nos à Chriſto abſtrahunt.

Viæ diuinæ humanis contrarię.

ſerte petit Dauid à Deo vt ſuas vias atq; ſemitas ſe docere, ipſique demonſtrare velit? Si eum quem ſpiritu ſancto quam cumulatiſſime illuſtratum eſſe ſcimus, iſta ſerio dixiſſe ex animoque petiuiſſe credimus, quid nobis faciendum eſſe iudicabimus? An nos illo ſapientiores eſſe exiſtimabimus? an acutius ipſo videmus? Imo quorſum cœleſti Doctore ac duce opus erat, ſi in terra inueniri poterat? Memorabile eſt quod Auguſt. lib. 1. de Conſen. Euange. cap. 18. colligit ex præclara Socratis ſententia (cuius & alibi meminit) reprehendens Romanos qui ideo Deum Hebræorũ & Chriſtum colere recuſaſſent quod ſolus coli vellet. *Socratis*, inquit, *ſententia eſt, vnumquemque Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendũ eſſe præcipit. Proinde iſtis* (.i. Romanis) *ſumma neceſſitas facta eſt, non colendi Deum Hebræorum: quia ſi alio modo eũ colere vellent quam ſe colendũ ipſe dixiſſet, nõ vtique illum colerẽt, ſed quod ipſi finxiſſent.* Digna ſane ratio quæ animis noſtris altiſſime infigatur: quã ſi Ieſuvvita Torrenſis bene expendiſſet nunquam de Auguſtiniana confeſſione Auguſtanæ opponenda cogitaſſet. Neque minus eſt dignum obſeruatione atque memoria, neque minus etiam contrariũ iſtorum hominũ commentis, quod idẽ auctor ſcribit libri eiuſdẽ, ca. 10. aduerſus eos qui dicebant Chriſtum libros quoſdam ad Petrũ & Paulũ ſcripſiſſe: quem errorem ipſos ex eo concepiſſe exiſtimat, quod illos multis in locis ſimul pictos vidiſſent, quam ob cauſam ſubiicit. *Sic omnino errare meruerunt qui Chriſtum, & Apoſtolos eius, non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierunt. Nec mirum ſi à pingentibus fingentes decepti ſunt.* Audimus doctiſſimi pientiſſimique viri iudicium, de quærendi diſcendique Chriſtũ atque pietatem ratione. Nimirum non ex humanis cõmentis ac figmẽtis, ſed ex ſacris codicibus, hoc eſt, doctrina nobis

Cœleſti doctore & duce non opus eſt qui ſalutẽ in ſcipſis quærunt.

143

Torrenſis inſignis Sophiſta.

Errare meruerũt qui Chriſto & Apoſtolos non in ſanctis codicib. ſed in pictis parietibus quæſierunt.

à Deo tradita: qui ſolus probe nouit quo modo coli velit, atque debeat. Omnis aliunde petita ratio nõ modo nobis ſuſpecta eſſe debet, ſed etiã prorſus deteſtanda, abiicienda, fugiẽdaque eſt. Neque eſt quod ſperemus alia nos via ad ſocietatem Ieſu peruenturos, quam ea quam ipſe oſtendit. Et ſane eſſet ab omni ratione prorſus alienum quenquam in alterius vel amicitiã venire vel ſocietatẽ atque fœdus admitti, niſi iis legibus atque conditionibus quas ferret ac præſcriberet is, qui in amicitiã aut ſocietatẽ & fœdus alterum aſciſceret. An non eſt iniquiſſimum eum qui beneficium accipit, legem aut conditiones danti præſcribere? Vt ergo facilius videant & intelligant omnes qua ratione atque conditione homo cum Ieſu Chriſto ſocietatem inire poſſit ac debeat, formam ex publicis ſpiritus ſancti tabulis, hoc eſt, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis petitam, in ſuas partes diſtributam, ordine quantum iudicare poſſum, apto & naturæ rerum conſentienti ſubiiciam oculis: cui pari ordine opponam quam noui iſti conſociales ingreſſi ſunt & etiamnum ſequuntur viam: quo euidẽtius cognoſcatur, & ipſos & eos omnes qui cæcos iſtos duces ſequi volunt, plurimum aberrare, vehementérque falli.

Autoris in ſequẽtib. capitibus conſilium.

CAPVT VIII.

Primum gradum ad ineundam cum Ieſu ſocietatem neceſſarium, eſſe fidem.

Doctrina de cõmunione hominis cũ Chriſto totam S. Scripturã cõplecti tur.

Doctrinã de ſocietate Ieſu, ſeu de *κοινωνία* hominis cum Chriſto filio Dei latiſſime patere, ſuóque ambitu totã Propheticã & Apoſtolicã doctrinam cõplecti, vt quæ ſit præcipuũ eius argumentũ, primariuſque ſcopus facile intelligunt, qui quæ ſit humanæ ſalutis ratio tenẽt: atque quo ſpectent

ſpectent referrique debeant omnes ſacrarum literarum partes probe norunt. Nihil enim in his traditur quod eo non tẽdat vt hominem adducat ad Deũ vnicum fœlicitatis & ſalutis ipſius fontẽ atque auctorẽ: verum ſingulas tã late patentis argumenti partes in pręſentia perſequi nequaquam inſtitui: ſed eas tantũ quæ proprie hominẽ ipſum reſpiciũt: hoc eſt docere cogito qua ratione Ieſus, hominẽ in ſocietatem ſuã recipiat, ſiue, vt adhuc quid velim dicam apertius, quibus notis ac teſtimoniis aut nos aut alios ad ſocietatẽ Chriſti pertinere, cognoſcere poſſimus & debeamus, oſtendere meum in præſentia eſt conſilium.

Paulus omnium & fuſiſſime & exactiſſime myſteriũ hoc ſocietatis ſiue coniunctionis membrorum cum capite explicuiſſe mihi videtur. Nã eius paſſim quidẽ meminit, ſed in Epiſtola ad Epheſios nominatim partes ipſius omnes, & cauſas perſequitur, explicãtque ſingulas, initium eius, progreſſum, atque exitum diſertiſſime notans. Qui vti vltimum ipſius finem in participatione ſiue communione regni Chriſti in cœlis ſtatuit: ita in cœleſtis patris εὐδοκίᾳ καὶ προθέσει (ex qua naſcitur electio, iactis mundi fundamentis prior) primam ponit originem. At duobus illis extremis in præſentia omiſſis, de ſolo agam medio ſeu progreſſu: quem idem auctor Roman. 8. ſub vocationis & iuſtificationis nominibus vti apparet, complectitur. Inter vocationem autem & iuſtificationem media eſt fides, quæ vti illam ſequitur, ita hanc vt præcedat omnino neceſſe eſt. Vt ergo primum acceſſionis piorum ad Chriſtum gradum, fidem conſtituamus, tum hic locus tum alii innumeri docent. Et in primis Chriſtus ipſe id oſtendit: quem Euangelica hiſtoria tradit ab iis quibus cum ipſi fuit negotium, fidem principio nunquam non flagitaſſe. Sed, cum teſtimonia ſe of-

Summa prioris partis Epiſtolæ Pauli ad Epheſios.

Fides media inter vocationem & iuſtificationem, Primuſque acceſſionis piorũ ad Chriſtum gradus.

ferant prope infinita, pauca de multis ſeligam: & maxime ex Iohannis Euangelio, quod eſt iſtis refertiſſimum. Proferam autem tātum quæ cum primis illuſtria mihi eſſe videntur: & vt ab ipſo primo capite ordiar, illic diſerte pronunciatur eos omnes, qui in Chriſtum credunt, donari ornarique ea dignitate vt filii ſint Dei. Cui ſubſcribit Paulus, Omnes, inquit, filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu, cuius adoptionis pignus & obſignationem eſſe Baptiſmi ſacramentum ſtatim ſubiicit, vt per quod credentes Chriſtum induant, hoc eſt ipſi adiungantur, adeoque agglutinentur, vti alio loco ſcribit, atque ſic os ex oſſibus, & caro ex carne ipſius fiant. Sic enim arctiſſimam illam ſocietatē deſcribere voluit. Quam ob cauſam Chriſtus quoque, poſteaquam multis cum Nicodemo Phariſæo diſſeruiſſet de ſecunda ſeu cæleſti generatione, concionem attexuit pulcherrimam de fidei vi & effectis longe maximis. In ca. 4. & 5. multa ſunt & illuſtria huc pertinentia teſtimonia, ſed ea prætereo properans ad cap. 6. in quo res iſta ſic tractatur, adeo fuſe exponitur, adeoque aperte explicatur vt mirer adhuc eſſe in Eccleſia, qui de ea dubitent, nedum qui contendant: ſed noctuis etiam meridiana lux, tenebroſa eſt: & nunquam ſunt defuturi qui glandes frugibus anteferant.

Ioan. 1. 12.
Gal. 3. 26.
1. Cor. 6. 17.
Eph. 5. 30.
Ioan 3. 15. 16. 18.

De fidei natura & efficacia.

Chriſtus in hoc capite 6. non modo manifeſte ſignificat rationem ineundæ cum ipſo ſocietatis eſſe ſitam in fide, eámque eſſe omnino neceſſariā docet, ſed etiam ipſam fidem inſtituit, atque informat: hoc eſt qualis eſſe, quomodo ipſum amplecti, quoue ordine apprehēdere debeat: ſiue quam viam in eo cognoſcendo tenere ipſam oporteat, oſtendit. Cōſtat in Chriſto naturas eſſe duas, quarum altera à noſtro genere petita, ſiue vti Apoſtolus loquitur aſſumpta, ideoque noſtræ, excepto

Duæ in Chriſto naturæ.

peccato,

peccato ſimilima eſt. Sicuti autē ipſe ſe nobis per eam adiunxit,ita per eandem nos ad eum accedere oportet quo in alterius naturæ, hoc eſt, diuinæ quæ ipſi eſt naturalis,ſocietatem veniamus. Qua de re *Auguſtinus* diligenter diſſerens lib.9.cap.15. de Ciuit.Dei,iſtud demum addit:Factus particeps humanitatis noſtræ compendium præbuit participādæ diuinitatis ſuæ. Quemadmodum ergo per filium Patri coniungimur: ſic etiam Filio per eam, quam à nobis accepit, naturam vnimur, ita vt ſit hæc velut quoddam vinculum, aut, vti alibi ſcripſi,ferrumen colligans alioqui inter ſeſe remotiſſima atque diuerſiſſimā. Vt verò quiſquis cōmercium habet cum filio, cū patre quoque habeat eſt neceſſe,alioqui diuelleretur à patre filius:ita quiſquis admittitur in ſocietatem carnis Chriſti (hac enim voce hoc loco, vti alibi vocabulo corporis, humanā ſuā naturā ipſe complectitur) vt in diuinę etiā naturæ ſocietatem veniat oportet:niſi duas illas naturas arctiſſimo vinculo coniunctas diſtrahi volumus. Reliquum ergo eſt vt ſciamus quanam ratione in humanæ naturæ ſeu carnis Chriſti ſocietatem veniamus. Id ipſe nos aperte docet.Principio eam *Panis* nomine ſignificauit, occaſione ſūpta à miraculo quod præceſſerat, & iniecta mētione Mannæ per Iudęos,demum increſcēte diſceptatione *carnem* appellat,eamque verū cibum eſſe pronūciat:denique quo myſterium plenius explicaret,iniecit mentionem *ſanguinis*,apte carni ſanguinem coniungens, vt in hominibus viuentibus coniuncta eſſe videmus, quorum ſeparatio mortem adfert: cuius etiam obiter mentionem fecit, cum dixit datum eam iri,pro mundi vita: vita,inquam,non pro morte: Nam mortuus eſt vt mortē aboleret, non vt eam cuiquam adferret: ſed vt omnibus qui cum ipſa eius carne ſocietatem eſſent

Per Filiū Patri coniūgimur, & filio per naturā quam à nobis accepit.

Qua ratione in humanæ naturæ Chriſti ſocietatem veniamus

habituri, vitam reſtitueret amiſſam. Rationem autē aſſequendæ huius ſocietatis, verbis ſignificauit variis. Primum vſus eſt verbo *ederit*, ipſum adaptās metaphoræ panis, & voci carnis, quā etiam appellauit verum cibum. Hæc enim communicantur, & ſumuntur edendo. Vſus etiam eſt verbo *biberit*, reſpiciēs ad ſanguinem: quem potum verum eſſe dixerat. Adhibuit etiam verbum *venit*: quo & alias vſus eſt. Adiecit demum verbū *credit*: quo vt proprio atque ſimplici expoſuit, quod in ſuperioribus illis figuratis latebat. Atque ita manifeſte demonſtrauit rationem conſequendæ diuinę huius ſocietatis eſſe fidem, per quam ſolam editur, bibitur, ad ipſumque peruenitur.

Fides ratio eſt cō-ſequendæ Societatis cum Chriſto.

Vti enim ipſe nobis eſt ad patrem via atque oſtium: ita nos per fidem ad eum accedimus, ipſi coniungimur & ipſe nobis: ita vt nos in ipſo & ipſe in nobis maneat, hoc eſt, habitet in cordibus noſtris.

Ephe. 3. 17

Summa ergo huc omnis redit, Chriſtum in ſuam nos adiungere ſocietatem per fidem, non alia vlla ratione aut via. Quare ſicuti fieri nequit, vt qui in Chriſtum credit, cum eo, & per eum cum Patre, ſocietatem non ineat, perinde atque eum qui ſolem intuetur ipſius luce illuſtrari eſt neceſſe: ita quiſquis in illum nō credit, vt cum eo aliquid habeat ſocietatis, tam fieri non poteſt, quam illud non poteſt, vt cæcus ſolis lucē admittat. Ex quo non minus certo quam euidenter conficitur omnes qui aliquam incredulis cum carne aut corpore Chriſti tribuunt κοινωνίαν, Chriſtianæ doctrinæ fundamenta omnino conuellere, eiuſque harmoniam atque conſenſionem non tantum labefactare, ſed etiam plane diſſoluere. Neque vero ex eo ſolum dogma hoc non tam humanum quam Satanicum eſſe dicendum videtur, quod regulam, quam fidei & veritatis pij noſtri Maiores vocarūt, infringit, ſed etiam ea ipſa ratione qua

Impij nō edūt corpus Chriſti.

ne qua defendi ab iſtis hominibus ſolet. Nō enim Theologicis ſed tyrannicis armis vel aſſeritur vel defenditur, hoc eſt, non teſtimoniis ſcripturarum, aut firmis inde ductis rationibus ſed cauillis, criminationibus, calumniis, exiliis, proſcriptionibus, igne & ferro. Hæc arma ſunt non veritatis aut pietatis, ſed mendacij & impietatis, quorum pater eſt & aſſertor is qui ab initio homicida fuit, quē imitantur qui ſunt eius, abutentes ſpecie veritatis & religionis, ad eas ipſas opprimendas, quo melius ſuis conſulant compendiis, quæ ſola ſpectant. Cęterum cum iſta non ſine dolore meditarer, ad me peruenit quæſtio à M.P. Albino, philoſophici Magiſterij, vt iſti loquuntur, candidato, in VVittebergenſi ſchola propoſita, in qua de voce *κοινωνία* ex loco Pauli, 1. Cor. 10. nuper diſſeruit primum indocte & contra quam decebat eum qui talem ambibat gradum: deinde impie, contra Apoſtoli & verba & mentem. Denique ſycophantice, iis quos ſacramentarios vocare ſolent, nō minus iniqua quā atroci calumnia grauatis. Ad hanc quęſtionem D. Crellius reſpondit, ſed ita vt lactucæ labris reſpōdeant. Ego vero breui, Deo volente, ad eam reſpōdebo paulo aliter: & quod ille palpando ac laudādo fouit auxitque malum, ſcalpendo & fricando à me curatum iri confido. Hoc cōſilium facit vt hoc tempore prætercam plurima quæ in mentem veniunt ad rem iſtam pertinentia: hoc tantum adiicio Apoſtolicam Scripturam, aliam ab ea quæ fide fit *κοινωνίαν* ſeu ſocietatem cum Ieſu non tradere. Nullam aliam nouiſſe veterem Eccleſiam, hoc eſt Apoſtolicam & catholicam. Eam autem quam iſti fingunt, ore fieri ſomniarūt *μετουσίας* auctores, vnaque & *μετουσίαν* ſuam & *κοινωνίαν* à ſe fictā in Eccleſiam non Chriſtianam, ſed Romanam inuexerunt, quarum poſteriorem deinde ab illis, tanquam per

Pſeudo theologorum artes.

Nouam cum Chriſto *κοινωνίαν* fingunt trāſſubſtantiatores & conſubſtantiatores.

manus acceptam, ij qui συνουσίαν excogitarunt, vt nouo ſuo commento conuenientem, mordicus retinent: ac pertinaciter eiſdem quibus illi armis, defendunt. Sed qui animos à præiudiciis vacuos habent, facile intelligunt hominem in terris agẽtem, neque pedibus corporis ſequi, neque manibus tangere, neque oculis cernere, neque auribus loquentem Chriſtum audire poſſe: quo fit, vt nec ore, dentibus, lingua, palato eum quiſquam poſſit vel edere vel guſtare. Hæc omnia ſicuti corde ſeu animo tantum fiunt ita per ſolam fidem perfici poſſe fatendum eſt. Vehementer ergo errant qui externo habitu, aut geſtu aut vllis corporeis actionibus aliquam cum Chriſto ſocietatem ſe inire poſſe confidit. Nunc videamus an noui iſti Ieſu ſocij rectam viam ingreſſi ſint.

CAPVT IX.

Nouitium Ieſu ſodalitium vera Chriſti fide præditum non eſſe.

Cor hominis eſt fidei ſedes.

PRopriam fidei ſedem verumque domicilium eſſe animum ſeu cor hominis nemo eſt qui non fateatur, indeque etiam confici ſolius eſſe Dei proprie ac vere de ea iudicare & pronunciare quod & ipſe agnoſco, verum tamen eſſe etiã poſſe, imo vero eſſe debere vnius hominis de alterius fide, ſicuti & de pietate tota, iudiciũ aliquod minime aut incertum aut vanum ſacræ literæ paſſim teſtificantur. Certum eſſe debet fidem Chriſti ſeu Chriſtianã eſſe eam, quę eſt in Chriſtũ, hoc eſt in ipſum vti proprium ſcopum fertur & eum vt verum obiectum apprehendit. Etſi enim vera fides

Fidei Chriſtianæ obiectum Chriſtus.

vniuerſam

vniuerſam Scripturam Propheticam & Apoſtolicam amplectitur, vt diuinam vocem, certiſſimam Dei voluntatem vere continentem: quia tamen omnes eius Scripturæ partes in Chriſtum tendũt, fides quoque ipſa in hunc in primis reſpicit. Et illa ſola fides pro vera eſt habenda, quæ eum verum cognoſcit atque apprehendit, hoc eſt, talem qualis re vera eſt, nimirum qualem pater ille cœleſtis proponit & offert in Scriptura illa, quæ eſt inſtar lucidiſſimi ſpeculi, Chriſtum, & in ipſo Deum ad viuum repreſentantis. Neque enim humanum ingenium quantumvis perſpicax natura veram ac viuam imaginem Chriſti concipere poteſt. Quî enim iſtud poſſet, cum quæ de eo nobis traduntur in Apoſtolica doctrina, ſint carni & humanæ rationi non modo paradoxa ſed etiam ſtultitia, id eſt eiuſmodi pro ſumma ducat & habeat ſtultitia? Neque abs re Chriſtus poſteaquã Petrus diſerte profeſſus fuiſſet ipſum eſſe Chriſtum viui Dei filium, qui in hunc mundum, veniſſet, mox ſubiecit: Caro & ſanguis tibi hæc nõ retexit, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Sed & Paulus clariſſime docet fidẽ ex auditione concipi ac naſci: auditione, inquã, verbi Dei. Quod ideo paulo ante hæc verba, verbum appellauit fidei. Vti enim diuinus ille ſermo non niſi fide ab homine intelligitur, ita fides nulla eſt, niſi quæ ex eo ſermone, per cœleſtem ſpiritum animo ingeneratur. Quam ob cauſam appellationibus etiam variis, ſiue titulis petitis ab iis quæ fide perceptus præſtat, ornari ſolet. Dicitur enim ſermo gratiæ, vitæ æternæ, ſalutis. Et Chriſtus illos tantũ qui in eius ſermone manent ſeu perſeuerant, pro germanis ſuis agnoſcit diſcipulis. Huc reſpexiſſe exiſtimo maiores noſtros vere pios & Apoſtolicos viros, cũ primaria capita doctrinæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis cõprehenſæ, *Regulam*

Vera fides, quæ ſit.

Verbum Dei anima fidei.

Matt. 16. 18.

Rom. 10. 8. 17.

Ioh. 8. 31.

Regula fidei & Canonica cur dicta

eſt S.Scriptura. *fidei* nominarunt:& libros quibus continetur, *libros* vocarunt *Canonicos*. Sicuti enim verbis iſtis ſignificabant in his libris comprehenſa vera, certa ac firma eſſe omnia : ita nihil eſſe extra iſtos, vel petendum vel ſequendum :ſed debere fidem iſtis finibus ac metis eſſe contentam, vti nõ minus ſcite quam vere ſcribit in ſuorũ librorum procœmio Damaſcenus auctor noſtris etiam aduerſariis minime ſuſpectus. Fides itaque Chriſtiana eſt, quæ Chriſtum qualem ſacræ literæ exprimunt, qualem Paulus viua voce ante Galatarum oculos pinxerat & crucifixerat agnoſcit, amat & exoſculatur, quæcunq; extra hos libros dicuntur vel feruntur, clauſis oculis & auribus vti vanũ Chriſti ſimulachrũ, prẹterit. Iudicium ergo de noui iſtius ſodalitij fide ẹx ipſorũ doctrina facere mihi licere arbittor, imo vero à Deo mandatum mihi eſſe exiſtimo. Quẹ autẽ doctrina ea ſit, vnde certius cognoſcere poſſum, quam ex publice editis ſcriptis, in quibus & de aliena doctrina cenſuram agunt, & ſuã aſſerunt atque defendunt? Hæc vero euidentiſſime demonſtrant, veræ in Chriſtum fidei ne ſcintillam quidẽ in illa ſchola eſſe poſſe. Occurrunt, vt verũ fatear, nonnulla in his ſcriptis præclare dicta velut floſculi quidam inter multas ſordes aſperſi, & quaſi grumuli auri inter magnam ſtercoris copiam pellucentes. Apparet hæc vel ſcriptoribus ſomniantibus, vt fit obueniſſe, vel vi veritatis eſſe extorta, vel ipſis accidiſſe quod Balaamo & Caiphẹ, vel denique eos imitari voluiſſe Satanam mendacij verũ parẹntẽ, inter cuius πανουργίας καὶ μεθοδείας hoc in primis numeratur quod nonnunquã verũ loquatur, ſed eo conſilio, vt ſe inſinuet & poſtea confidentius ſua mendacia ſpargat, ac facilius perſuadeat. Vt hoc poſterius mihi facile perſuadeam, facit quod in ipſo Auſtriacæ catecheſeos limine videam collocatam eſſe Chriſtiani definitionem,

In Schola Ieſuitarũ nulla eſt veræ fidei ſcintilla.

Satan cur nonnunquam verum loquatur.

quæ puritatem doctrinæ ſummam prę ſe fert. Eum enim Chriſtianum eſſe pronuntiat, *qui in ipſa Chriſti doctrina acquieſcit, & ab ea diuerſa dãnat atque refugit.* Subiicit poſtea fidei deſcriptionẽ, quæ magnam gerit veræ pietatis speciẽ, eamq; claudit pulcherrima Chryſoſtomi ſententia. *Fides eſt animæ lumen, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ.* Hæc qui legit in fronte aſcripta pietatis ac veritatis ſtudioſus, an nõ ingreditur ſpei plenus, & afficitur ſumma cupiditate, quæ ſequuntur omnia nõ modo legendi verũ etiam cognoſcẽdi & diſcẽdi? At qui iudicio præditus, ſpirituq; diſcretionis inſtructus eſt, ſtatim fraudẽ deprehendet, refereique pedem. Neque enim primis reſpondent aut media aut vltima: ſed res ipſa oſtendit eſſe præſentiſſima venena melle illita. Diceres eſſe meretricias illas illecebras, quas graphice depingit Solo. Prouerb. 5. & 7. quibuſque nonnulli volunt hæreticorum ad illiciendos incautorum animos compoſitas artes, exprimi. Quid quæſo eſt in ſequẽtibus libelli huius, quem ſummam doctrinæ Chriſtianæ inſcripſerunt, partibus illi frõti ſimile? imo quid nõ diſſimile? quid non corruptum & prorſus adulteratũ? non pugnans cum puritate Apoſtolicæ doctrinæ? Et ne infinita perſequar, vnum propono caput de modo expiandorum peccatorum, folio 103. Cum ſex enumerent modos, ac plures eſſe dicant, vt eſt ſuperſtitioſa ignorantia fœcunda, nulla tamen inter hos prorſus mentio fit vel ſanguinis Chriſti, vel fidei in ipſum: quibus ſolis ferenda eſt accepta peccatorum remiſſio. Hoccine eſt Chriſtianum eſſe & in Chriſti acquieſcere doctrina? Ita ſolet à ſeipſo diſſidere mẽdacium, ſeque ipſum conficere. Sed ad alia pergamus. Quid de ſacroſancta ſcriptura in genere ſentiat totum hoc ſodalitiũ manifeſtè cognoſcitur ex Colonienſi Cenſura, Theſibus aliquot, & publicis

Definitiones Ieſuiticę venena melle illita.

Catechiſmi Ieſuitici breue examen.

Quid de S. Scriptura ſentiãt Ieſuitę.

aliis ſcriptionibus. Sanctis iſtis Magiſtris ſi creditur, ſacræ literæ ſunt obſcuræ, ambiguæ, lubricæ, in quamuis partẽ flexiles, mutilæ atque imperfectæ. Id ſi ſentiũt vti ſcribũt, quod nos Chriſtiana charitas iudicare iubet, quæ erit iſtorum Doctorũ fides? Fidem certe à ſcriptura ſuam lucem accipere multo certius ac verius eſt, quam Lunã à Sole. Igitur horũ fidem obſcurã, ambiguã, lubricam, flexilẽ atque mutilam eſſe eſt neceſſe. Nam hãc illius naturam retinere, ſequi, ac referre oportet, vti prolẽ ſui parẽtis, riuum ſui fontis & ramum ſuæ radicis. Quem quæſo locũ apud hos habet Apoſtolica πεποίθησις καὶ πληροφορία πίστεως? Quid porro Paulus atque Iacobus de dubitante ac nutante fide pronuncient nõ eſt obſcurum. Vti fides veris ac certis niti debet principiis, ita Chriſtianus doctor, perſuaſus eſſe debet ſe certa atque vera dicere & docere. Nihil nunc dico de Sophiſtarum implicita atque informi fide: quæ ſomnia, vti alia omnia, hos Magiſtros probare minime eſt dubium. Tantum illud audire diſcereque cupio, an non etiam in dubium vertãt, ſint ne ipſi vti cæteri, amore an odio digni. Nõ credo ipſos in dubium vocare an filius ſit Patri charus. Omnem enim dubitationis ſcrupulum eximit illa cœleſtis vox, quę teſtificatur Patrem ſic Filium amare, ſicque complecti, vt totus in ipſo conquieſcat. Quod ſi ſe Ieſu ſocios eſſe ſerio ſentiunt atque ſtatuunt, quî dubitare poſſunt ſe quoque ab illo amari? Cui chariſſimũ eſt caput, an mẽbra nõ diligere poterit? Cui curæ eſt paſtor, an gregẽ negliget? Quos in ipſo ante iacta mũdi fundamenta elegit, an vocatos, iuſtificatos, ſanctificatos non diligeret? Eum qui iſta de re dubitat, in Chriſtũ credere quis credat? Deinde quis dicat fidẽ in Chriſtũ habere eos, quibus eſt Chriſtus ignotus? vera certe fides Chriſti, Chriſtũ excipit & cõtinet

Fides nulla apud eos qui S. Scripturam obſcuram ambiguã & imperfectã eſſe aſſerunt.

Rom. 14. 23.
Iac. 1. 6.

Fides implicita.

Matt. 17.
Luc. 9.

Aduerſus Ieſuiticum dogma de dubitatione, & fide implicita.

vti

vt ſpeculum ſibi obiectam faciem, & annulus incluſum lapillum: atque teſte Ambroſio, ſicut ſenis Simeonis vlnæ & brachia infantem complectebantur. Teſtis quoque eſt Paulus Chriſtum per fidem in piorum habitare cordibus. At in iſtorum cordibus non niſi Chriſti vmbram atque inane ſimulachrum, ſicuti in ipſorum templis, eſſe doctrina quam profitentur, meridiana luce clarius oſtẽdit. Quæ enim de peccatorum remiſſione, & iuſtificatione, (id eſt, religionis Chriſtianæ prora & puppi) de humanis viribus ac meritis boniſque operibus & ſcriptitant & dictitant, ſic Chriſtum ſuis donis quibus eſt a patre ornatus, ſpoliant, ſic etiam lacerant officium, ſic denique exinaniunt ſacrificium, ac meritum ipſius, vt quod dicamus nihil ſupereſſe videam, niſi illud Apoſtoli: Chriſtus fruſtra eſt mortuus. Profecto qui id ſentiunt, quod iſti ſcribũt, Chriſtum habere nõ poſſunt, niſi exauthoratum & ocioſum.

Ephe. 3.17

Ieſus Ieſuitarũ veri Ieſu Chriſti vmbra & inane ſimulachrũ

Gal. 2.21

Poſtremo, vt ſemel omnia cõplectar, qui videri volunt in hoc excitati ac diuinitus miſſi, vt quę in Eccleſia erant collapſa erigerent, corrupta reſtituerent, vitiata emendarent, non modo omnium bonorũ atque piorũ fallũt expectationẽ, ſed etiã quæ emẽdari cœperant, denuo cõtaminant erroréſque erroribus accumulant: atque etiam morbos quibus facta medicina erat, cum magna recuperandæ ſanitatis ſpe, vt inſanabiles reddant omnibus artibus ac viribus conántur. Qui ante hos pontificiorum errorum patrocinium ſuſceperant, pudore aliquo tenebantur: ne craſſiores, & apertę cum doctrina Chriſti pugnantes pertinaciter defenderent, neque inuiti fatebantur multa irrepſiſſe dormitantibus paſtoribus quæ emendatione egebant, id quod luculenter teſtantur orationes a-

Ieſuitarum reformatio qualis ſit.

Ieſuitarũ ſecta omnium peſſima

liquot in Tridentina ſynodo cum ipſius Pontificis tum aliquot catholicorum principum nomine palam habitæ & recitatæ: quæ etiam typis traditæ hodie in hominũ verſantur manibus. At nihil tam eſt craſſum, tam putidum, tam impurũ, tam inſulſum atque impium in Pontificia lacuna aut cloaca, quod nouis iſtis repurgatoribus & inſtauratoribus non bene oleat: omnia probant, aſſerunt, defendunt quantumlibet vel inepta vel abſurda. Id editorum ab ipſis librorum lectio certiſsime docere poteſt. Veruntamen exemplum vnum proferam ad faciendam iis fidem, quibus vel tantum non eſt otii, vt eum laborem ſubire poſsint, vel is non eſt animus, vt temporis iacturam facere velint in euoluendis iſtis ſordibus. Omnibus eſt notiſsimum Anacletum Pontificem Rom. faſcinatum opinione ſui principatus ſeu Pontificii, vti vocant, primatus, cum animaduerteret ipſum parum firmis niti fundamentis, conatum fuiſſe eius fundatorem ſeu auctorem facere Chriſtum Quam ad rem vti voluit metamorphoſi non diſsimili ei qua conuertit panem in Chriſti corpus. Nam ex petra carnem facere tentauit, hoc eſt, vocem Cephas interpretatus eſt, caput. Riſus fuit ab iis omnibus quibus non placent hæc hiſtrionica, nec ſunt adeo creduli, vt quiduis recipiant non exploratum. Cum Ant. Contius interpolator Pontificiorum Canonum, & inter aſſentatores Rom. Antichriſti non poſtremus incidiſſet in Diſtinct. 22. & locus Epiſto. Anacleti occurreret, veritus eſt, homo alioqui audax & impudens, vti eſſe ſolent Apoſtatæ, interpretationem illam probare (quam inſulſam eſſe conſcientia fateri ipſum cogebat) ſed adhibito artificio ex lubrico loco elabi eſt conatus. Principio faſſus eſt eam etymologiam

Exēplum impudentię Ieſuiticæ.

Ridicula Anacleti Metamorphoſis.

Contius, antichriſti aſſentator.

logiam a quibuſdam rideri, mox tacite eam reprehendit, adducta vera Hieronymi interpretatione. Verum contra metuens ne Deos, vti quidam dicere ſolent, offenderet, hoc eſt, malam iniret gratiam apud eos, quibus gratioſus eſſe omnibus modis ſtudet, ſtatim Anacletum oblique excuſat, & prope abſoluit, prolato non diſſimilis erroris exemplo in Optato Afro, homine alioqui & pio & docto. Intra iſtas metas ſe continuit Pontificiorum errorum defenſor acerrimus. At Turrianus inter ſocios Ieſu, magnus, & Cardinalis illius Hoſii affectator, aut certe aſſentator ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα proſilire, minime dubitauit. Anacletum non oblique excuſat, ſed vt doctum, & induſtrium, vt imitatorem Prophetarum & Apoſtolorum, atque eruditorum anteceſſorum manifeſte laudat atque defendit. Tantum valent apud hos ſanctos homines aulæ pōtificiæ fumi, & ollæ illius offæ, vt omnem facile excutiant ex conſcientia ipſorum Dei metum & ex facie omnem pellāt pudorem ac ruborem, dum atra in candida mutant. Quicunque igitur in nouis iſtis Ieſu ſociis, qui vti ſunt ſeducti, ita quam poſſunt operam dant vt alios ſeducāt, exiſtimāt aliquā ineſſe veræ in Chriſtum fidei ſcintillam ſeu micam, aut ipſorum ingenium atque mores minus perſpectos habere, aut hos ipſos parum ſinceræ fidei eſſe oportet.

Turrianus Ieſuuita impudentiſsimus.

Quorum Deus venter eſt.

CAPVT X.

Secundum, ad retinendam cum Ieſu ſocietatem, neceſſarium gradum, eſſe vitam Chriſtiano nomine dignam.

Chriſtus dupliciter nobis deſcribitur & proponitur.

CHriſtum dupliciter in ſacris literis deſcribi atque piis omnibus proponi a multis piis doctiſque earum interpretibus recte obſeruatum & nō abs re traditum eſſe legimus. Siquidem eum in primis remiſſionis peccatorum, iuſtitiæ, vitæ, ſalutiſque in ſe credentibus eſſe authorem, & largitorem eſſe docent. Atque id ſic ipſi proprium eſſe teſtificantur, vt nulla eius rei particula in alium vllum ſine graui ipſius iniuria manifeſtoque ſacrilegio transferri queat. Deinde ipſum deſcribunt vt ὑπόδειγμα καὶ τύπον, id eſt exquiſitiſſimum exemplar piæac ſanctæ vitæ ad diuinæ legis exactiſſimam regulam cōpoſitæ & formatę: quam vt voce docuit & pręſcripſit, ita factis expreſſit: & ad omnium qui ipſius diſcipuli eſſe non minus quam dici cupiunt, imitationem propoſuit: cuius rei illuſtre extat apud Iohan. teſtimonium. Fuit enim cœleſtis hic Magiſter plane diſſimilis iis quos deſcribit Paulus, qui μόρφωσιν εὐσεβείας gerunt, ſed eius abnegant δύναμιν: quales erāt & illi, quos graphice pingit, Rom. 2. Veram ergo pietatis formam, & verbo tradidit & expreſſit factis, vt intelligerent omnes qui locum in ipſius ſchola ac familia ſibi eſſe volunt, ab eis flagitari, vt eandem & ore profiteantur, & opere præſtent. Hanc enim ſub vno dilectionis nomine comprehenſam, dixit propriam eſſe ſuę profeſſionis atque diſciplinæ notam: qua germani eius diſcipuli ab adulterinis diſcernerentur. Sicuti etiam lupos ſeu Pſeudoprophetas a ſuis quoque fructibus dignoſcendos eſſe edixit. Breuiter conſtat Chriſtum velle, vt fiduciæ in ipſum coniuncta ſit obediētia: quę vniuerſi cultus quem ſibi præſtari vult, caput ac ſumma eſt. Sed & ipſam fidem nomine obedientiæ comprehendi locis aliquot indicat Apoſtolus.

1. author vitæ & ſalutis.

2. Exemplar ſanctæ vitæ.

Ioan. 13. 4

2. Tim. 3. 5

Dilectio propria Chriſtianiſmi nota.

Ioan. 13. 35

Mat. 7. 16

Tit. 1. 2

Quine-

Quinetiam factis æque atque verbis Deum negari, idem eſt teſtis, ſicuti & doctrinam ſanctæ vitæ exemplo ornari docet. Optimi itaque mentis & verborum Chriſti interpretes Apoſtoli, ſicuti, vt in ipſum iuſtitiæ ac ſalutis authorem credamus, ſeu ipſi fidamus, nunquã non docent, ita eundẽ ſanctæ vitę Magiſtrum & exquiſitũ exemplar, vt imitemur atque ſequamur, paſſim monent atque hortantur. Neq; enim ſuos, vti ait Paulus, ad immũdiciẽ ſiue turpitudinem vitæ, ſed ad ſanctificationẽ vocauit. Neque factus eſt tantum credentibus, ſicuti idem ad Corinth. ſcribit, ſapientia atque iuſtitia, ſed etiam ſanctificatio & redemptio. Nam ſicut ſua ſapientia & iuſtitia pellit innatas humanæ menti tenebras, accenditque lucem veræ cognitionis ſui & patris, atque remiſſis peccatis donat & ornat ſua iuſtitia, qua veſtiti placemus Patri: ita donat ſpiritu ſuo ſacto qui animos noſtros regenerat renouatq;, vt ſancta deſideria, & affectus cõcipiant puros, qui demũ ſancta pariãt opera. Et de iſtis ſpiritus S. in credẽtibus effectis ſtudioque ſancte viuendi paſſim diſſeritur in Apoſtolicis Epiſtolis, in primis vero in ea quę ad Romanos eſt ſcripta, cap. 6.7.8. non minus diligenter quam fuſe agitur. Id etiam ex profeſſo docent Iacobus & Iohannes in ſuis Epiſtolis. Verę itaque in Chriſtum fidei ſic cõiũctũ eſt ſanctæ ſeu nouæ vitæ deſideriũ ac ſtudiũ, vt à ſe inuicẽ ea diuellere difficilius ſit, aut æque ἀδύνατον, atque lucem à ſole, aut ab igne calorem ſecernere. Siquidẽ Chriſtus, eiuſdẽ Apoſtoli teſtimonio, dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos ab omni iniquitate redimeret, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Et ſane, ſi Philoſophi de moribus diſſerunt præceptaque tradunt non tam vt ſcientes, quã vt bonos reddant homines, quam eſſet alienum Chriſtianam Philo-

1. The. 4. 3
1. Cor. 1. v. 30
Vera fides & charitas inuicem cohęrent.
Tit. 2. 4

ſophiã non longius progredi, quam vt ſcientia ſiue cognitione pietatis & ſanctitatis mentes imbueret, nulla vitæ pie ac ſancte degendæ habita ratione? Quiſquis vera fide eſt prædirus, oportet, ſentiat in ſe Chriſtum, per ſuum ſpiritum ſic agentem, vt vere dicere poſsit illud Apoſtolicum. Viuo ego, iam non ego, ſed in me viuit Chriſtus. Vti enim corpus anima præditum huius vim & actiones recipit ac ſentit, ita qui Chriſto inſeritur, fitque ipſius membrum, non poteſt non fieri particeps ipſius quoque ſpiritus, vitæ ac ſanctitatis. Quam ob cauſam Eccleſiæ corpus ſeu ſocietatem Apoſtolica & catholica fides, ſanctorũ vocat communionem, aperte ſignificans eos ſolos ad eã pertinere ſocietatem, qui ſanctam meditãtur vitam, eoque aſpirant & contendunt, vt id ſint ad quod Paulus Theſſalonicẽſes hortabatur, nẽpe toti ſanctificati, integri ſpiritu, quique anima & corpore inculpate in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruẽntur. Qui ſecus ſunt affecti, aliterque vitam inſtituunt, & tamẽ ſe ad Ieſu ſocietatem pertinere aiunt, à ſeipſis diſſentiunt, ac vita linguam mendacii manifeſte arguit.

Gal. 2. 20

Sanctorũ cõmunio.

1. Thes. 5. 23

CAPVT XI.

In nouo Ieſu ſodalitio non apparere ſanctæ vitæ ſtudium.

Externa ſpecies fucum facit imperitis.

NOn dubito huius capitis titulum ſeu ſtatum multis prima fronte viſum iri non modo paradoxum, verumetiam perabſurdum: neque minus quam ſi grauia ſurſum & leuia deorſum ferri demonſtrare contenderem. Cum enim in nouitio iſto monachorum genere deſiderare me dico

vitæ

vitæ integritatem,& ſanctitatis ſtudium, perinde pleriſque facere videbor, atque ſi in ſole lucem, aut in niue candorem deſiderare me dicerem. Sic ſane perſtringere ſolet externa larua ac ſpecies oculos eorum qui in illa hærent: neque ea ſubducta & ſubmota penitus inſpiciunt. Ab his itaque peto,vt aliquantiſper ſuſpendere velint iudicium ſuum: omniaque ex animis ſubmouere præiudicia, & attente auditis, quas proferam, rationibus,de re ipſa pronuntient.

Principio in iſtis fratribus candorem atque ſinceritatem me merito deſiderare dico:nominatim in iis qui aduerſum nos ſcribunt: vt qui in iuſtificationis grauiſſima controuerſia, non deſinūt nos atroci illa ac rancida calumnia, de nuda ac bonis operibus vacua fide iniuſte grauare, aut potius ipſam veritatem, quo eam non ſolum ſuſpectam, ſed etiam inuiſam omnibus reddant. Nec tamen iſti neſcire non poſſunt quæ noſtra ſit mens atque ſententia: quæ millies à noſtris eſt diſerte expoſita atque perſcripta. Facile intelligunt, nos eam probare fidem, eique ſoli illum iuſtificandi tribuere effectum, quā Apoſtolus definit per dilectionem efficacem,bonorúmque operum eſſe feracem: atque ita nos minime ſeparare fructus bonos ab arbore bona, licet in eo effectu hæc ab illis diſcernatur. Cùm de ſole,igne,homine diſſeritur, an nō de ſole lucente,igne calente, & viuente homine diſſeritur,etſi iſtud diſerte nō addatur,effectis tamen ea nemo inter ſe non diſtinguit. Deſinant ergo calūniari iſti magiſtri, ſi nobis perſuadere volūt,ſe eſſe amātes veri,atque ſanctitatis ſtudioſos. Cauillari enim,nedū mentiri & calūniari,non eſt niſi pietatis atque veritatis hoſtiū. Sed iſto omiſſo ad examē reliquæ vitæ trāſeamus. Nolo hìc cōmé-

Ieſuuitæ ſunt calumniatores.

Orthodoxorū mēs & ſententia hæc eſt, Fidē verā per bona opera eſſe efficacem.

Atrocia quorundã nõnullorum Ieſuiticæ ſectæ flagitia prætermittũtur.

morando omnibus exprobrare, quæ nõ ſemel audiui,& in omnium ore, oculis ac manibus verſari intelligo, atrocia quædam facinora, à nonnullis, qui de iſto ſunt ſociorum ordine, non ita pridem patrata. Excepturi fortaſſe eſſent quorundam ſcelera vniuerſo ſodalitio fraudi eſſe non debere: ſicuti ob Iudæ perfidiam & proditionem, nemo ſanus Apoſtolicum damnat ordinẽ. Non ſum etiam ita curioſus,& in alienam vitam inquirendi adeo ſtudioſus, vt attingere cupiam, quæ intra priuatos parietes geruntur. Ea permitto primum Deo, qui aliquando eſt occulta tenebrarum illuſtraturus Apoſtolo teſte, deinde tempori veritatis parenti, vti dicitur, denique iis qui illis ſiue clauſtris ſiue luſtris gaudent, libenterque inter iſtos verſantur: qui ſi vellent, fortaſſe etiam poſſent in lucem pertrahere, quæ vt fœda factu, ita dictu, auditúque turpia eſſent: de illis tantum, quæ ſol ipſe videt,& in omnium verſantur oculis, pauca monebo. Primum, odium mundi eſſe cum vero pietatis amore coniunctum non minus eſt certum, quam ſolem in meridie lucere. Sic enim Deus & mundus aduerſis depugnant ſtudiis, vt non dubitet Iacobus pronunciare, *Amicitiam mundi eſſe inimicitiam cum Deo, omnémque qui mundi ambit amicitiam, Dei conſtitui inimicum.* Quiſquis igitur mundo non eſt aduerſarius, eique bellum non indixit idque non tam verbo quàm ipſa re demonſtrat nequaquam pro Dei amico, nedum ſocio eſt habendus. Nam & Chriſtus ſatis ſignificauit, neminem vtrique addictum eſſe, atque vtrunque colere poſſe. Et vero Paulus non aliam adfert rationem, cur Demas defeciſſet ab eo, niſi quod amplexus eſſet præſens ſeculum. Ingenium porro mundi,& quæ eius ſint ſtudia, graphice depinxit Ioannes, in quo etiam præcedentẽ Iacobi ſententiam

1.Cor.4.

Mũdum, & quæ mundi ſunt ſectãtur & quærunt.

Cap. 4. v. 3.

Matth.6.

2. Tim.4. v.10.

1. Ioan.2. 16.

tiam confirmat. *Quicquid*, inquit, *eſt in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum & faſtus vitæ non eſt ex Patre.* Iam conſiderandum, inter quos iſta vigeant ſtudia, illæque appareant notæ: Si quis ſit qui inficiari audeat illa in Romanenſiū Pontificū, Cardinalium, Epiſcoporumque aulis in primis conſpici, eum nullo conſcientiæ ſenſu tangi, nulloque pudore, affirmare nequaquam dubitauero. Quis enim, niſi inſigniter impudēs, negauerit, iſtorum ſiue palatia ſiue domos pluſquā regias, ſcholas eſſe omnis generis voluptatum? Quis ignorat ipſos vna cum ſuis ſectatoribus luxu prorſus diffluere, menſiſque vti plus quam Sybariticis aut Syracuſanis? Vetus profecto Prouerbiū illud, *Pōtificalis cœna*, in nullos vnquā æque atq; in iſtos quadrauit. Nihil de prodigioſis ſceleribus quæ clam committuntur dico: quæ fiunt palam abunde ſufficiūt, & luculēta exhibēt teſtimonia. Si vere ac merito iam olim fuit dictum: *Exeat aula, qui pius eſſe velit*, quanto quæſo verius atque iuſtius de iſtis dicetur, caueat, fugiat, deteſtetur hæc cōſortia, quiſquis cum IESV CHRISTO ſocietatem & cū Deo amicitiam inire optat? Nam qui illa cum iſtis coniungere conatur, perinde ſapit & agit, atq; ſi ignē aquæ conciliare ſtuderet. Si noui ſociales tam ſunt temperantiæ, continentiæ, frugalitatiſque Apoſtolicæ amantes, atque habitu, geſtu, verbis, ſcriptiſque profitentur, qui fit vt tantopere contendant quam proxime Pontificias culinas nidulari. Mirū eſt eos non fugitare fumum, qui literarum ſtudioſis moleſtus, & nidorem qui ieiunantibus ingratus eſſe ſolet. Qui ſerio oderunt ſcelera, quæcunque ad ea inuitant ſedulo ſubmouent, occaſioneſque omnes diligenter amputāt. Imo vix ipſa etiam nomina illorum ferunt aures. Et hanc præſertim rationem veterem peperiſſe Monachatum, plerique

Aulæ Pōtificiæ, ſcholæ voluptatum, caueæ turpitudinū.

Pōtificalis cœna.

Simplicitas Ieſuitica.

Veteres Monachi nouis, præcipue Ie-

ſuitis ex Diametro oppoſiti.

non abs re exiſtimant. Nam ſeceſſus illi à turbis, & hominum cõmerciis, eo videntur ſpectaſſe, vti antiquitatis hac de re monimenta manifeſte docét. At nouitij iſti, qui piam antiquitatem velut ſepultam excitare velle dicuntur, rationem prorſus ab illa diuerſam ineunt. Vt mundum fugiant, mundi medullam & abdomen ſectantur, vt ſordes vitent, ſe in cloacam præcipitant. Turrianus ſcribit ſe ante Iuſuitiſmi profeſſionem in ſæculo fuiſſe, atque ita conficere vult, ſe extra ſæculum nunc eſſe, imitatus credo eos qui ſe in ardentes prunas ne aduratur, coniiciunt: aut qui pluuiæ metu, ſeipſos in flumen demergunt, ne madefiant. Ad hæc qui ſunt ex animo ſtudioſi pietatis, & aliis ad virtutem præire, eoſque exemplo prouocare ſuo ſtudent, etiam ſecus de ſe ſuſpicandi cauſas vitant. Quis autem non credat, nedum ſuſpicetur, eos qui culinarium ſectantur nidorem, voluptuarios potius eſſe, quam temperantes: & quãtumuis Curios ſimulent, Bacchanalia tamen viuere? Nõ enim fruſtra eſt dictum, *Si iuxta claudum habitas, claudicare diſces*. At dicturi ſunt iſti ſuum conſilium atque ſcopum eſſe, mederi morbis Eccleſiæ, imitarique ſe velle peritos atque prudentes Medicos, qui rectiſſime iudicant, dandam eſſe in primis operam, vt morborum tollantur cauſæ? Pontifices autem & Epiſcopos fontes eſſe malorum quibus Eccleſia premitur, ac tantum nõ opprimitur ſe animaduertere: id quod etiam fatentur omnes, quare iuſtiſſimam ſe habere cauſam, hinc medendi initium facere. Recte quidẽ iſta dicuntur, ſed oportebat verbis facta reſpondere. Iſtis enim tacẽtibus imo reclamantibus, illa vane iactantur. Nam ſapientis non eſt, vt ſcite ait quidam, plus iis quę audis, quã quæ vides credere. Neque vero cõſiliorum aut voluntatum certiora ſunt teſtimonia, quam effecta.

Qui mũda omnia fœdant in mundo non habitant.

Quales medici Ieſuitæ videri velint.

Ideo

Ideo tum demum morborum cauſis factam medicinam credimus ac fatemur cum miteſcere atque minui morbos animaduertimus. Nunc vero quænam ſigna aut indicia remiſſionis iſtiuſmodi morborum nobis apparent, aut oſtendere poſſunt noui iſti Medici? Quos nam ex tam multis perditis & improbis ad meliorem frugem, aut mentem etiam ſaniorẽ adduxerunt? Errores & mala nõ modo non minuũtur, ſed etiam magis atque magis increſcũt. In iſtorum Eccleſiæ gubernatorum quibuſdam ſuperſtitio cum ignoratione cœleſtis doctrinæ maiores vires in dies acquirit, in aliis religionis veræ contemptus augetur, in pleriſque vel atheiſmus vel epicureiſmus palam regnat. Mores ſunt longe corruptiſſimi, Diſciplina omnis, etiã illa cuius Põtifices ſunt inuentores & architecti, plane concidit. Re ipſa etiam vociferante quorſum teſtes adducerem? Quis neſcit grauiſsimã illam querelam quæ apud Oſeam cap. 4. extat: *Nulla eſt veritas, & nulla miſericordia, & nulla eſt cognitio Dei in terra. Peierare & mentiri, & occidere, & furari, & adulterari inundarunt & ſanguis ſanguinem tetigit*, nunquam iuſtius vel dictam vel auditam quam hodie fuiſſe? Iſta enim fiũt impune, & viſuntur hæc vulnera, cũ paſſim, tũ apud eos quibus adſunt & aſtãt noui iſti chirurgi. Sed rurſum ipſos mihi audire videor, ſe quidem remedia adhibere, ſed experiri tãtam eſſe morborũ vim, vt nullis cedãt remediis, ſe extra omnem culpam eſſe, qui probe officiũ faciant ſuum Ego vero quodnã ſuum eſſe dicant officium audire cupio. Vbi eſt primum ſanitas vt Apoſtolico verbo vtar, doctrinæ? vbi deinde illa, quã idem Apoſtolus præcepit, in docendo, hortando, obiurgãdo tempeſtiue atque intempeſtiue, libertas, aſſiduitas, παῤῥησία & ſancta audacia? vbi feruor ſpiritus atque zelus domus Dei? vbi denique ſunt

Medicina morbo peior.

Seculi noſtri deploratiſſimus ſtatus.

An verã medicinam faciant in Dei Eccleſia.

Medicorum Spiritualium officium.

aduerſus pertinaces, & qui leuiora remedia non admittunt morbos, ignis & cauteria? Quod ſi ipſis non licet illos ob nimiam, qua prædìti ſunt, potentiam à ſuis Eccleſiis excindere, cur ipſi ſe ab illis non excindũt? hoc eſt, eos, vti Medici refractarios & deploratos ægrotos, non deſerunt? Sic olim excommunicaſſe Iudæos Paulus videtur, dum ipſis relictis ad Gentes ſe conuertit, iuxta Domini mãdatũ. Si ex effectis iudicare licet, quæ regula eſt in hoc genere cõpẽdioſiſſima) iſti circunforanei alia agitant conſilia, alioque ſpectant. Non deſiderium ac ſpes medendi malis, non veritatis aut pietatis amor, non ſanctę vitæ ſtudium, ipſos ad Epiſcoporum veſtibula & pomœria attraxit: ſed idem quod canes atq; vultures, ad ſectanda cadauera allicit. Non enim impietatem, luxum, aut ignauiam Pontificum corrigi, aut decreſcere iſtorum Doctorum ſtudio, ſed aſſentationibus foueri & confirmari, res ipſa teſtatur. Tantum abeſt vt veteri luxui atq; inſaniæ frænum iniiciant, vt calcaria currentibus addant. Vt enim pro meretricia fronte ferream induerent, ſuis effecerunt cõſiliis & ſtimulis. Quid? priſtinam tyrannidem ſic augeri & ſtabiliri experimur, vt appareat, nouos iſtos conſiliarios à Pontificibus fuiſſe auditos & exceptos haud aliter atque olim Roboamum iuuenum excepiſſe conſiliũ, vetus narrat hiſtoria. Atque vt Ezechiel in Iudaicorum Paſtorum perſona, hodiernorum ignauiã, luxum, tyrannidemque expreſſit: ita ca. 13. ſeu pſeudoprophetarum, ſui cordis conſilia populum docentium, imagine nouas iſtas vulpes ſuis depinxiſſe colorib⁹ videtur, omnia profecto inter ſe reſpõdent pulcherrime. Sed quid multis opus? Odiũ plus quam Vatinianum quod gerunt, & bellum indictum & ſuſceptum aduerſus omnes qui illam Pontificiam ἀταξίαν καὶ ἀσωτίαν diſſimulare ferreque

[Margin notes: Acto. 13. v. 46. — Conſiliũ Ieſuitarũ. — Quid Ieſuitica ſecta praſtiterit. — 1. Reg. 12. 8. — Ezech. 34. 2. — Mendacium tuẽtur: veritati bellũ indicunt & inferunt.]

que nolunt, & impium iugum excutere ſtudent, manifeſtiſſime arguit & demonſtrat, quid animi conſiliique iſti habeãt. Atq; approbent ne, an improbent illorum ingenium, mores vitæque rationem, inde certo conſtitui poteſt. Paulus Roman. 1. enumerationem ſeu catalogum grauiſſimorũ atrociſſimorumque ſcelerum iſta coronide claudit: ὀ μόνον ἀυτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι manifeſte ſignificans eos qui ſcelera adiuuant ſeu fouent, ſiue approbando, ſiue aſſentando ſiue patrocinando, iis qui illa patrant, peccare grauius, ſceleratioreſque & atrociore pœna dignos eſſe. Solomõ quoque Prou. 17. teſtis eſt: Eum qui ſontem abſoluit, & qui inſontem dãnat, eſſe ex æquo abominationi Iehouæ. At iſtos vtrunque eadem facere opera, inimicitiæ quas exercent in eos qui docent, tantam in Eccleſia tum impietatem, tum impuritatem minime ferendam eſſe, euidenter oſtẽdunt. Quis quæſo non exiſtimet Paſtores, qui canes allatrantes lupos cohibent atque verberant, cum ipſis conſpiraſſe lupis aduerſus gregem? eſſeque illos gregi, iſtis multo pernicioſiores ac proinde magis eſſe fugiendos? Vt ſemel finiam, oportet eſſe aut occultam aliquam vim, qualem eſſe aiunt in Magnete, ad ferrum ad ſe trahendum, aut ſummam ſimilitudinẽ ingeniorum, morum, conſiliorum quæ tam ſubito, tam facile, tam arcte Ieſuvvitas adiunxerit Roman. Pontificibus & Epiſcopis. Cum de vi occulta nihil conſtet, conſtet autem omnium ſapientum conſenſu, atque omnium ſæculorum experientia, veriſſimum eſſe Prouerbium illud ὁμοίωσις τῆς φιλότητος μητὴρ: quid aliud colligi conſtituique poteſt quam ſummam eſſe inter ipſos ſimilitudinem & conſpirationem in oppugnando regno Chriſti, quantumlibet magna ſit in externa ſpecie diſſimilitudo? Nam ipſos mutuas

Conſentiunt omnibus modis cũ Antichriſto, vt Chriſtum & pietatẽ omnẽ extinguant.

ſibi in eo negotio conficiendo tradere operas,æquũ eſt & notum & certum atque niuem candidam eſſe. Quare pari iure,neque iuſtiore titulo noui iſti ſociales ſibi aſciuerunt à Ieſu nomẽ,quam Romanus Pontifex Chriſti apertus hoſtis, ſe eius vocat vicarium,& Epiſcopi Apoſtolorum , à quibus δὶς διὰ πασῶν diſſident,ſucceſſores ſe eſſe iactant.

CAPVT XII.

Tertium gradum,quo ſocietas cum Ieſu confirmatur, eſſe tolerantiam crucis.

Similitudo & æqualitas ſocietatũ firmiſſima vincula.

SOcietatum firmiſſima vincula eſſe ſimilitudinem & æqualitatem omnes prudentes fatentur:id quod etiã quotidiana experientia docet & confirmat. Nullis enim rationibus aliis æquè animi conciliantur & vinciũtur,nullo etiam modo alio æque amicitia atque concordia ſocietatũ fundamenta parantur & conſeruantur. Diſſimilitudo certe & inæqualitas querelas ac rixas , quæ ſunt ſocietatum peſtes,ſeminariaque diſſidiorum & ſeditionum,facile pariunt,contra æqualitas eſt pacis atque concordiæ altrix. Sapientiſſimus itaq; Deus cum vellet Eccleſiæ , hoc eſt,Chriſti & electorum omnium ſocietatem eſſe quã coniunctiſſimam & quam firmiſſimam,voluit quoque in ea eſſe & ſimilitudinem & æqualitatem ſummam , excepta tamen quadam diuerſitate & differentia, quam quoque ad conſtituendam & conſeruãdam ſocietatem neceſſariam eſſe videmus. Vti in humano corpore diuerſitas membrorũ,ſic in Repub. & familia differentia officiorum ſeu graduum:quę ad εὐταξίαν ſic pertinet , vt omnino ſit neceſſaria. Cætera maxima æqualitas & ſimilitudo. Similitudinis

Chriſti & electorũ ſocietas.

dinis porro quam in Eccleſia,hoc eſt, inter caput & membra Deus eſſe voluit,& vt eſſet,conſtituit, meminit diſerte Paulus,de piorum differens affli-ctionibus.Quos præſciuit,inquit,eoſdẽ & prædeſtinauit,vt conformes fiant imagini filij ſui: vt is ſit primogenitus inter multos fratres. Conſilium Patris docet Apoſtolus eſſe, vt primogenitus ille filius,nempe Chriſtus,ſit typus & exemplar,ad ꝙ componantur omnes, vt eum quiſque referat atque exprimat.Iſtius cõformationis ſiue ſimilitudinis principium deſcribit auctor epiſtolæ ad Heb. docens filium Dei,verum Deum factum eſſe participem carnis & ſanguinis, quod pueri quos ipſi donarat Deus,hoc eſt, electi eorũdem eſſent participes:vt ex vno omnes eſſent fratres quibus per omnia factus eſt ſimilis peccato excepto. Finẽ vero ac plenam conformationẽ attingit Paulus Philip.3.v.21.prædicens atque promittens futurum, vt Chriſtus è cœlo rediens,trãsformet humilia ſuorum corpora, quo ea reddat glorioſo ſuo corpori conformia.Ergo nobis factus eſt ſimilis,vt nos ſibi ſimiles efficiat pro efficacitate, inquit Apoſtolus, qua poteſt omnia ſibi ſubiicere.Qua vero ratione & via efficere velit atque ſoleat in ſeipſo,hoc eſt, carne & ſanguine quæ à nobis accepit, expreſſit & demonſtrauit auctor Epiſt. ad Hebr. docet,decuiſſe principem ſalutis electorum per afflictiones conſecrari ſeu perfici. Et Chriſtus ipſe diſcipulis,ob ipſius crucem ac mortem, turbatis ſignificauit,ſe ſic affligi & mori oportuiſſe vt in ſuam gloriam introiret.Quam igitur induerat carnem, quo ſimilis fieret electis,id eſt ſuis fratribus, cruce & afflictionibus æternæ gloriæ & cœleſti domicilio aptã idoneãq; reddidit.Quod ſi hæc ipſius fuit cõditio,qui primogenit⁹,qui caput, qui dux, imo rex & auctor æternæ ſalutis ac vitæ eſt, qualẽ

Similitudo inter caput & membra Eccleſiæ.

Rom.8. 26.

Chriſtus exemplar lectorũ Dei.

Heb.2.14.

Finis.

Ratio.

Hebr.2. 10.

Luc.24. 26.

Conditio membrorum eadẽ quæ capitis eſſe debet.

eorum,qui aſciti, adoptati,inſiti ſunt,vt in partici
pationem venirent ſalutis,eſſe debere exiſtimabi-
mus? Neque vero id diſſimulauit aut obſcure ſigni
ficauit Chriſtus,cum diſcipulos colligeret & alle-
Mat.10.38 geret in ſuam familiam,contuberniũ,& ſcholã,ſed
Luc.14.26 aperte verbiſq; conceptis velut ſtipulatione qua-
dam,& addita expreſſe conditione ferẽdæ crucis,
ipſos ſibi alligatos adiunxiſſe,illi ipſi vt teſtes opti
mi,non vno ſuorum ſcriptorum loco commemo-
rant & teſtificãtur. Deinde cum verſarentur cum
ipſo,non ſemel eos præmonuit de futuris, & quæ
ipſos à ſuis maxime domeſticis manebant calami-
tatibus atque afflictionibus poſt ſuum ab ipſis di-
ſceſſum,ad quas patienter tolerãdas eos adhorta-
batur,variiſque excitabat ac confirmabat rationi-
bus, maxime vero ductis à ſua ipſius perſona, vti
grauiſſimis,& quibꝰ ipſos in primis impelli dece-
bat. Nã ſe hac quoque in parte proponit & à ſuis
omnibus haberi vult pro exẽplari,cuius rei diſer-
1. Pet.2.19 tiſſime nos commonefacit Petrus:Si,inquit,quum
& 21. benefacitis,tamẽ afflicti toleratis, hoc gratum eſt
apud Deum.Nam ad hoc vocati eſtis, quoniam &
Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquẽs vobis ex-
emplar,vt inſequeremini veſtigia ipſius. Deinde
eos qui affligũtur veritatis iuſtitięque cauſa,iubet
gaudere,vt κοινωνὺς,id eſt conſortes ac ſocios affli-
Cap. 4.13. ctionum Chriſti, qui & gloriæ ſocij quoque futuri
ſint & participes.De qua conſequutione & ſpe fu
Rom.8.17 ſe diſſerit Paulus. Nam poſtquam multis egit de
ſanctificatione, ſeu vita ſancte formanda, ductu
ſpiritus ad regulam diuinitus traditam (quod ſtu
dium iuſtificationi, quæ per fidem fit, neceſſario
coniunctum eſſe, ante docui)oſtenſurus ac firmiſ-
ſimis aliquot argumentis demonſtraturus,qua via
ad hæreditatis,hoc eſt,fœlicitatis cũ Chriſto poſ-
ſeſſionem omnibus filiis Dei ſit perueniendum,rẽ
ab hac

ab hac ſententia orditur: εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν: ſimul docens & qua conditione admiſsi ſimus in ſocietatem Chriſti, & qua via ſit contendendum ad metam, id eſt, æternam gloriam ſeu ſalutem. Id quod etiam breuiter quidem, ſed eleganter docet 2.Tim.2.11. εἰ συναπεθάνομεν, καὶ συζήσομεν. εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν. Societatis iſtæ ſunt leges, vt ſint communia omnia. Sit ſimilitudo & par conditio in laboribus & præmiis. Quam ob rem Paulus perſæpe, vti apparet, vniuerſaliter legem hanc pronunciauit. Omnes, inquit, qui volunt pie viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur. Et in aliquot Eccleſiis inculcauit, oportere per multas oppreſsiones nos ingredi in regnum Dei. Ita enim coniuncta eſt profeſsioni crucis crux, vt ab ea diuelli nequeat. De multiplici vſu crucis, & cur ſuos affligi velit, imo eos ipſe perſæpe affligat, nunc non eſt dicendi locus. Ex his quæ modo citaui, & aliis, quæ prudens prætereo, innumeris locis, aperte conficitur, ad ſocietatem Chriſti pertinere neminem, qui crucis ipſius ſit expers: quando quidem ea eſt velut nota filiorum Dei: qua qui omnium eſt chariſsimus fuit in primis inſignitus & ornatus. Imo auctor Epiſtolæ ad Hebræos pronunciare non dubitat, eos qui ſunt diſciplinæ ſeu caſtigationis expertes, ſpurios, non germanos eſſe filios. Sicuti ergo, vt hanc partem concludam, qui ſunt a patre dati Chriſto, primum per fidem ei inſiti, in ipſius veniunt ſocietatem, fiuntque participes donorum ac bonorum omnium, quæ ipſi alioqui ſunt propria: & deinde per ſanctæ vitæ ſtudium, ſocietatem continuant, iuſque filiorum Dei conſeruant: ita per crucis tolerantiam, cum omnibus teſtatum faciunt, tum ſuis ipſorum animis magis atque magis perſuadent, atque adeo

Societatis Chriſtianæ leges.

2.Tim.3.12

Act.14.22

Nemo ad ſocietatē Chriſti pertinet qui crucis ipſius eſt expers.

Heb.12.8

in ſuis obſignant conſcientiis, ſe membra eſſe Chriſti, & pertinere ad illam ſocietatem cuius ipſe eſt caput: atque inde certiſſimam concipiunt ſpem, ſe fore hæredes regni Dei cum Chriſto, qué magna cum animi alacritate ſpectant.

CAPVT XIII.

In nouo Ieſuitico ſodalitio nullum conſpici crucis Chriſti veſtigium.

De cruce Chriſti doctrina fuſius excutitur.

NOn dubito eos, quos oppugno, dicturos eſſe, quæcunque de tolerãtia crucis Chriſti modo ſunt expoſita, ſe pro veriſſimis agnoſcere, probare, amplecti: ſed tãtum abeſſe vt aduerſum ſe pugnent, vt pro ſe maxime faciant. Sic in pleriſque doctrinæ capitibus, verbis quidem conſentimus, ſed diſcrepamus plurimum ſenſibus. Quare adhibendus eſt Lydius lapis, qui genuinum ſenſum ab adulterino ſecernat. Paulo igitur pluribus excutienda eſt de cruce Chriſti doctrina: & crux iſta, ab omni alia eſt diſcernenda. Diſcernuntur autem in primis ipſis cauſis. Eſt enim non minus verum, quam celebre illud Cypriani optimi ſcriptoris dictum: *Martyrem non pœna ſed cauſa facit.* Quod a pleriſque poſtea piis ſcriptoribus fuit vſurpatum, nominatim ab Auguſtino aduerſus Donatiſtas, qui falſo nomen ac laudem Martyrum Chriſti ſibi vindicabant, quibus etiam rectiſſime obiicit Auguſtinus Chriſtum non ſimpliciter pronuntiaſſe beatos eſſe eos qui perſecutionem patiuntur, ſed adieciſſe propter me, propter nomen meum, propter iuſtitiam, veritatem, &c. Sed & Petrus clariſſime etiam ſecernit, non modo

Crux Chriſti ab aliis cauſa ipſa diſcernitur.

Martyrẽ nõ pœna ſed cauſa facit.

1. Pet. 2. 19 & 4. 15

modo inſerens cauſam veram nempe profeſſionem nominis Chriſti, ſed etiam vetans contrariam, & per antitheſim eam ſummouens. Quæ laus, ſi, quum peccantes colaphis cædimini, toleratis? Quo etiam pertinere videtur, quod Paulus ſcribit de eo qui charitate vacuus, ſuum ad incendium traderet corpus. Sed hoc in loco maxime verſatur nodus, quod aduerſarii Auguſtini locum ac patrem ſibi ſumunt, nobis vero Donatiſtarum atque ſimilium tribuunt. Atqui non vident, quantum Auguſtini doctrina & religio ab iſtorum nouitiorum differat & doctrina & religione: quique, quam diſſimilis ſit noſtra cauſa Donatiſtarum cauſæ, diiudicare non norunt, mirum ſi carbonem à niue diſcernere norunt atque poſſunt. Vbi nomen eſt Chriſti, ibi eſt Chriſti crux, vbi vero recte cognoſcitur aut potius agnoſcitur Chriſtus, ibi nomen eſſe Chriſti credendum eſt. At iſtos apparet Chriſtum ignorare, dictum & imaginarium idolum pro viuo ac vero habere & colere. Deinde ii ſoli pro iuſtitia affligi poſſunt, qui iuſtitiam ſectantur veram. Id autem ſoli faciunt illi, qui veritatem tenent, &, vt præeuntem lucem, ſequũtur. Penes quos autem ſit veritas, puritas demonſtrat doctrinæ: quæ vti eſt quaſi Eccleſiæ anima, ita lux eſt ad diſcernendas diſcutiẽdaſque tenebras, Regula, quæ recta ab obliquis ſecernere docet: Lydius etiam lapis qui germana ab adulterinis ſeparat. Porro quã doctrinam noua iſta factio, quã contra nos & profiteamur & ſequamur, partim ante eſt oſtẽſum partim paulo poſt indicabitur: neque vero id eſt ignotũ. Tantum enim differunt, quantum humana cõmenta a diuinis decretis: hoc eſt, quantum tenebræ a luce diſtant. Hactenus de diſcernendis afflictionũ cauſis, nũc agamus de crucis Chriſti vario diuerſoque genere, ne quẽ iniu-

1. Cor. 13. 13

An Ieſuui tica ſuperſtitio cum Auguſtini doctrina cõſentiat.

Qui ſint veri martyres.

ſte ex humanæ carnis ſenſu ab ea excludamus.

De crucis Chriſti vario genere.

Cyprianus verus Eccleſiæ Doctor ac paſtor, & fideliſſimus, conſtantiſſimuſque Martyr Chriſti, eruditum atque pium, de duplici martyrio, poſteritati libellum reliquit, cuius lectionem omnibus vtiliſſimam eſſe exiſtimo. Ex ea floſculos aliquot delibabo, ſed ordine, quem tenuit, mutato. Priore enim loco conſiderandum eſſe exiſtimo Martyriũ illud, quod occultum vocat: & eſt omnium temporum commune. Nam eſt etiam perſonarum omnium, quæ ad ætatem vſque in qua viget iudicium, & boni atque mali diſcrimen habetur, perueniunt. Neque locus vllus eſſe poteſt illi Martyrio, quod externum ac manifeſtum nominare licebit, neque omnium eſt aut perſonarum aut temporum, niſi prius illud præcat. *Non ſemper*, vt inquit ille, *ſæuiunt Nerones, Diocletiani, Decii ac Maximiani: nunquam tamen ceſſat Diabolus exercere Chriſti militiam profeſſos.* Nunquam ſine inimico ſunt, qui Chriſtum, pietatem, atque iuſtitiam amant. Domeſticum enim hoſtem ſecum geſtant, quocunque abeant, etiam ſanctiſſimi. Semper bellum gerendum illud quod Paulus Roma. 6. 7. & 8. graphice depingit. Aſſidua eſt pugna cuius meminit, Gal. 5. in qua non raro vulnera pii accipiunt, & nonnunquam etiam ſuccumbunt, ita vt quod non volunt, faciant. Ad hæc, quocunque veniant tuendæ atque propagandæ veritatis ſtudioſi, incidunt in mundum qui hanc audire ſine indignatione nõ poteſt. Quiſquis illam deſerere, cum eaque diuortium facere recuſat, vti recuſare omnes debẽt, qui cum Chriſto ſibi conſortium eſſe volunt, cum illo certamen ſuſcipiat, eius odium, contumelias, ac aſſultus ſemper expectet, feratque oportet. In his exercitiis facile cognoſcuntur qui ſint, vt Apoſtolicis vtar verbis, φιλόϑεοι μᾶλλον ἢ φιλήδονοι. Quarum

Duplex martyriũ.

1. Occultum.

Chriſtiani nunquã ſunt ſine inimico.

Mundus pios odio perpetuo proſequitur.

2. Tim. 3. 4.

rum autem ſint partiũ noui conſociales, quæ ipſi ſequuntur, caſtra manifeſte arguunt. Præter hoſtes iſtos carne ac ſanguine conſtantes, aſſidue obſident omnes eos qui cum Ieſu ſocietatem inierunt, ipſiſque nunquam non inſidiantur, tenebroſæ poteſtates, mundi imperia, & ſpiritales malitię: cum his eſt perpetua omnibus filiis Dei lucta. Qui ex iſtorum ſunt numero atque ordine, armis ſe inſtruunt, muniunt & defendũt quæ Apoſtolus Eph. 6. deſignat atque deſcribit. Ex his velut certis notis, qui in iſta arena ſub ſignis militant Chriſti, ipſumque vti ducem ſequuntur, dignoſcuntur. Qui ſibiipſis crucẽ accerſunt, aut arma ſuo ſibi fabricant Marte, non eſt quod crucem ſe ferre dicant Chriſti. Ea enim tantum huius eſt dicenda, quam ipſe humeris imponit, & quæ nunquam deerit iis qui pie viuere inſtituẽt. Solus etiam aſpectus ſceleratæ impiorum vitæ, piis perſæpe duram ſatis & acerbam crucem adfert: vti olim Noamo & Loto, Petro teſte 2. Epiſt. cap. 2. accidit. Breuiter pii hominis vita continuum eſt in hoc exilio certamen vt vere teſtatur, qui in hac palęſtra multum ac diu exercitus fuit, ille Iobus. Neque enim illos, qui eius caſtra ſequuntur, rude donat Chriſtus: ſed dum ſpirant non modo ſperare, ſed etiam ſuſpirare eos vult. Tum ergo demum officio ſuo, cum & vita, plene erunt defuncti. Recte quoque dicitur, piorum hominum vitam etiam eſſe perpetuam pœnitentiam: quæ ſi vera eſt, nunquam cruce Chriſti caret. At cum noui ſocii, quid vera ſit pœnitentia ſeu reſipiſcentia, neſciant (vt ex ipſorum ſcriptis eſt perſpicuum) neque qua ratione veteris hominis mortificatio atque ſepultura, & noui viuificatio fiat, intelligant, nullam habent cauſam, cur ſe crucem Ieſu Chriſti ferre dicant, ſibique locum in ipſius ſocietate vindicent.

Spirituales malitiæ piis perpetuas inſidias ſtruunt.

Sceleratorum impia vita pios mirum in modum exercet.

Vita piorum perpetuus ſub pondere peccati gemitus.

2. Apertũ, & eorum qui ſuo ſanguine Dei veritatẽ apud incredulos obſignarunt.

Præter martyrii iſtud genus, quod omnium eſt piorum,& maxime intus in animi ſolius theatro geritur,eſt illud quod neque omnium eſt temporum,neque omnium credentium , ſed eorum tantum qui in tormentis vſque ad mortem perdurarunt in profeſsione nominis Ieſu Chriſti,& Euangelicum inſtrumentum(ſic enim loquitur Cyprianus)ſuo ſanguine velut obſignarunt apud incredulos:quorum dux eſt fidei perfector Chriſtus,vti auctor Epiſt.ad Hebr.ca. 12.v.2.eum omnibus piis ad imitationem pulcherrime proponit. Sequuntur autem ipſum ſoli illi , quos ad eam rem deligit,atque vocat,hoc eſt,quos iſto honore dignatur.Nam contumelia hoc nomine affici , maximi honoris & beneficii loco ducendum eſſe,Apoſtoli ſuo exemplo docuerunt,Act.5.v 41. Docuerunt etiam & verbis,in primis autem Paulus, cuius vitam apparet continuum fuiſſe martyrium. Chriſtum enim crucifixum is & animo circuntulit, & voce expoſuit ac pinxit, & vita ſic expreſsit,vt eius etiam in ſua carne circunferret ſtigmata,non picta aut ficta,vti Franciſcanum idolum, ſed in omnibus corporis ſui partibus impreſſa :vt qui vnum hoc meditatus eſt & egit,ex quo ipſum in ſuam ſocietatẽ allegit Ieſus, vt expleret reliquias afflictionũ in ſua carne,pro corpore ipſius, id eſt, Eccleſia.Non eſt quidem pii aut prudentis viri,temere accerſere ſibi mundi odium,aut nulla oblata iuſta occaſione adire periculum , veritatis aut religionis prætextu : ſed à Deo oblatam reiicere atque refugere,eſt ignaui ac perfidi. Quare etſi externa paſsione ac tolerantia , omnes Euangelicam profeſſionem teſtatam facere,nedum ſui ſanguinis profuſione obſignare,nõ ſit neceſſe,omnes tamen qui à cœleſti patre & Ieſu Chriſto pro filiis & fratribus agnoſci, & non cum perfidis at-

Pauli vita continuũ martyriũ.

Piorum omnium cogitatio

que

que hypocritis in externas tenebras,æternumque ignem proiici volunt, ſaltem animi, vti plerique loquuntur,præparatione,vt illá obſignent, oportet: hoc eſt, oportet ſic comparatos ſeu compoſitos animos habere, vt non modo pericula adire, ſed etiam morté obire ſint parati,ſi id gloria Chriſti,eccleſiæ ſalus, veritatisque cauſa flagitet. An tales gerant animos noui iſti Ieſu ſocii,ex his quę hactenus geſſere, & etiamnum gerunt, non eſt difficile diiudicatu. Qui enim coniuratis hoſtibus Chriſti perpetuo adſunt, cum hiſque conſilia communicant, tyrannis frigidam ſuffundunt,carnificibus ſunt inſtar flabellorum,ad excitanda incendia aduerſus filiosDei, Ieſu Chriſti fratres atque membra: denique qui eo omnia ſua conferũt conſilia, vt vere Chriſtum profitentibus crucem inferant,qui eſſe poſſunt animo ad eam ferendam parato ac prompto?

Ieſuuitæ nec occulti nec aperti ſunt Chriſti martyres.

CAPVT XIIII.

Ieſuvvitas cum Nazaræis hæreticis, & inimicis crucis Chriſti,magnam habere ſimilitudinem.

EX Apoſtolica hiſtoria clare cognoſcitur, ſtatim atque Euangelica lux radios ſpargere ſuos cœpit,Satanam excitaſſe aduerſus eam varia hoſtium genera:qui etſi inter ſe eſſent diſſimilimi:in eo tamé cõſpirabãt omnes,quod Chriſtianã oderãt religioné, & Euãgelii curſũ aut prorſus prohibere,aut remorari omnib⁹ cõſiliis ac ſtudiis conabãtur.Ex genere Iudaico erãt in primis Põtifices,Phariſæi & fex tota ſacerdotalis.Erãt & ex populo pleriq; qui perſæpe a flabellis illis cõcitabãtur.Ex gentibus vero erant diuerſorũ generum

Satan hoſtis indefeſſus Euangelicæ veritatis.

Satanæ organa. Perſecutores.

atque ordinum,vt illa ferebant tempora: de quibus forte alias dicetur,nunc dicere volo de genere quodam,quod ſingulari conſilio subornarat,& peculiari artificio inſtruxerat perennis ille Chriſti & Eccleſiæ hoſtis.Hominum genus fuit vt verſutiſſimum ita peſtilentiſſimum: quod, vt occultius aduerſus eccleſiam cuniculos agebat,ita perniciosius lædebat.Ad docendi munus callide primum irrepſerat. Nam ſub propagandi Euangelii vmbra, vt apparet, ſe inſinuarat. Quia vero nomen Pauli erat in primis illuſtre, ob mirã in prædicando Euangelio dexteritatem, & fœlicem in eo propagando,ſucceſſum(quæ res ipſi etiam plurimorum odium conciliarat) eum hypocritæ iſti ſibi in primis oppugnandum eſſe iudicarunt, rati id apprime ſuis conſiliis & rationibus eſſe conducibile. Nam ad gloriam & quæſtum, quæ ſola ſpectabant,& ad quę doctrinam omnem inflectebant, compendioſiſſimam ſibi eſſe viam arbitrabantur.Induta igitur perſona Apoſtolorum, Paulum omni mendaciorum ac fraudum genere, ſuo ſummouere loco, deque ſua deturbare ſede, hoc eſt,auctoritatem ipſi detrahere conabantur:& calumniis variis eum mire exercebant.Sicuti autem hunc præ aliis impetendum inſectandumque ſuſceperant, ita hic ſibi bene de ſua vocatione conſcius iſtis non Chriſti,ſed Satanæ adminiſtris fortiter & conſtanter ſe oppoſuit: probe intelligens quid per eos moliretur iſte hoſtis.Vt ergo iſtorum impoſtorum fraudes optime intellexit, ita eas apud omnes eccleſias clariſſime detexit ipſos ſuis, quod dicitur pingens coloribus: neque id voce tantum, ſed etiam ſcripto: quo extaret apud poſteritatem memoria, cum maxima vtilitate coniuncta. Habet enim Eccleſia in illa

Hypocritæ.

Falſi doctores & hæretici à Paulo graphicè depicti.

Apoſtoli

Apoſtoli deſcriptione omnium falſorum doctorum & hęreticorum viuam picturam: quam ſi perſpectam haberent, obſeruarentque omnes qui Chriſtianum nomen profitentur, longe melius cũ pleriſque ageretur: minuſque damni ſentiret Eccleſia Chriſti. In illa autem Apoſtoli pictura, nouum hoc de quo nunc agimus, impoſtorum genus, mihi omnium maxime expreſſum eſſe videtur. Eſt enim tanta inter vtroſque ſimilitudo, vt illi iſtorũ nõ modo imago & viua effigies, ſed etiam parentes merito videri ac dici poſsint. Hoc tantum diſſimilitudinis eſſe animaduerto, quod filij ſuos patres malitia ac verſutia, multis modis vincunt. Sed id neque nouum eſt neque mirum videri debet. Nam communis vtrorumque pater Satan longo vſu & multarum rerum experientia, fit quotidie ſeipſo deterior & aſtutior. Quare mirum non eſt, ſi eius (vt dici ſolet) δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, ſint, & poſterius corui iſtius ouum, ſit priore nocentius. In hoc pulchre primum conſentiunt, quod vti illos hoſtis iſte Chriſti, vbi primum cœpiſſet Euangelium promulgari apud gentes, ſub Moſaicæ legis & religionis vmbra, callide induxerat, ita hos ſtatim atque cœpit Euangelii lux ſuos denuos radios ſpargere & velut poſtliminio redire, Ieſu titulos tectos, & ſpecie pietatis conueſtitos multiſque ad fallendum artibus inſtructos aſtute excitauit, & in Eccleſiam nõ modo inuexit, ſed etiam mox euexit. Vt autem quiuis facilius intelligere poſsit, quanta ſit inter vtrumque ordinem & ſimilitudo & conſenſio collationem omnium oculis ſubiiciendam eſſe putaui.

Ieſuitæ ſub veterũ hæreticorum perſona ad viuum repreſentati.

Satan omnium hæreticorum parẽs

Pſeudapoſtoli, quos Hieronym⁹ & alij nõnulli Nazareos appellant quod ad doctrinã attinet,

- Inimici erant crucis Chriſti, Phil.3.
- Aliud Euangelium quam quod à Paulo fuerat traditum docebant, anteque traditum inuertebant, Gal.1.
- Erant ἑτεροδιδάσκαλοι, 1.Tim.3. ἀνυπότακτοι, ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται, Tit.1.10.
- Attendentes fabulis, & mandatis hominũ auerſantium veritatem, Tit.1.14.
- Authores fabularum, & genealogiarum infinitarum, quę quęſtiones potius præbent, quam ædificationem Dei, quæ eſt per fidem, 1.Tim.1.4.
- Turbatores Eccleſiarum. Act.15.1. Gal.5.10.
- Authores diſſidiorum & ſcandalorum, Rom.16.v.17.
- Authores profanorum, de inanibus rebus, clamorum & oppoſitionum ψευδωνύμου γνώσεως, 1.Tim.6.v.20.

Svmma eſt, Pſeudapoſtolorum doctrinam eſſe aduerſariã doctrinæ Chriſti, id eſt, Apoſtolicæ, eſſe fabuloſam, vanam, inutilem, gignentem diſſenſiones & offenſiones, ſiue (vt cenſores illi Rom. loqui ſolent) ſchiſmaticam & ſcandaloſam.

In ratione tradẽdæ doctrinæ ſoliti fuere,

- Transformare ſe in Apoſtolos Chriſti, 2. Cor.11.
- μόρφωσιν εὐσεβείας oſtentare τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς abnegare, 2.Tim.3.v.5.
- εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, Galat.6.v.12.
- Gloriari in carne, Phil.3.
- τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας ἐξαπατῆσαι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων, Roma.16.v.18.
- Vt canes allatrare viros pios ac præſtantes, Phil.3 & 1.
- Vt operarij doloſi, 2.Corinth.11.v.13. Mali. Phil.3. cauponari ac fallaciter tractare ſermonem Dei, 2.Cor.2.17. & 4.2.

Svmma

SVMMA eſt, perſonatos fuiſſe, nihil egiſſe cādide, oratione vſos fuiſſe ad fallendum compoſita, artificioſe corrupiſſe quæ ſana & integra erant.

Conſiliorum & actionum ipſorum finis ac ſcopus,
- Suo ventri, non Chriſto ſeruire, illumque pro Deo colere, Rom.16.verſ.18. Philip.3.ver.18.
- Quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, quærere, Philip.2.21.
- Docere quæ non oportet, turpis lucri gratia. Tit.1.v.11. totaſque ſubuertere domos.
- Dominari imperioſe, tyrannidem exercere in Eccleſia cum ipſius contumelia, 2.Cor.11.v.20.
- Adigere alios in ſeruitutem, Galat.2.v.4.
- Perſecutionem crucis Chriſti effugere, & in aliena carne gloriari, Gal.6.v.12.& 13.

SVMMA. Referebant omnia ad ſua compendia, ſuam videlicet ambitionem & auaritiam, duas Eccleſiæ peſtes, & omnium malorum fontes. Imperandi libidine ardebant. In ſe lenes, in alios crudeles erant.

QVÆ Paulus aduerſus hoſtes non tam ſuos quā Chriſti ſcripſit, & in ſuis epiſtolis ſparſim inſeruit, ad hęc capita iſto collocata ordine referre voluí, quo facilius & oculis conſpicerétur, & animo conciperentur. Vt autem in iſtorum tum perſona tum doctrina, nobis eſt propoſita imago omnium falſorum Doctorum, & certæ notæ adulteratæ doctrinæ, ita in Paulo ipſiuſque doctrina, habemus veram ac viuam effigiem, tū verorum Miniſtrorū Chriſti, tum ſinceræ doctrinæ: coniungi enim hæc debent ſi recte iudicare volumus. Neque tam ex lingua, hoc eſt oratione cuiuſquam æſtimanda

doctrina eſt,quam ex ipſius vita & factis. De his enim ipſis impoſtoribus ſcribit Paulus. Tit.1.16. Profitẽtur ſe Deum ſcire,ſed factis negant.Eſt etiã à Cypriano ſcite ſcriptũ:Efficacius eſſe vitæ,quam linguæ teſtimonium:habereque opera ſuã linguã & ſuam facundiam etiam tacente lingua.Vt enim ſancta vita eſſe nequit, quæ non eſt ad ſacræ doctrinæ normam compoſita,ita fere fit,vt qui vitam reuiuit ab hac regula diſſentiẽtẽ,ipſam quoque recte viuendi regulam violare corrũpereque ſi poſſit,etiam velit ac conetur,vti omnis improbus bonas leges profligatas extinctaſque eſſe cupit, etſi eas nonnũquam ſua oratione laudet.Breuiter,minus eſt vitę quam linguę fallax teſtimonium:quod confirmat ſententia Chriſti, iubentis vt Pſeudoprophetas & lupos ouilla veſte tectos ab eorum fructibus dignoſcamus. Quantumvis enim ſimulent, ac principio nonnunquam etiam prudentes fallant,tamen tandem ſe prodit lupinum ingeniũ. Maxime autem ex ſcopo,in quem quiſque tendit, & in quem refert ſua conſilia ac ſtudia,certa diiudicatio peti poteſt:vti non obſcure aliquot locis ſignificat Paulus,hoc in primis notans in falſis do- 1. Timo 1. & 6. 2. Tim.2. ctoribus, defectoribus & impoſtoribus, quod à ſcopo aberrarint,atque alio deflexerint. Eſt enim in primis curę veris Doctoribus,vt ſuas tum cogitationes tum actiones accommodent doctrinę diuinitus traditæ:vt qui nihil prius habeant, nihilque melius ducant quam ſuam voluntatem diuinæ ſubiicere eique obedire. At falſis Doctoribus, familiare eſt,cœleſtem doctrinam ad ſcopum quẽ ipſi ſibi præfixerunt inflectere: ita vt ſuis eam ſeruire cogant & conſiliis & commodis,atque adeo cupiditatibus. Id Paulus ad Corinthios ſcribens acriter reprehendit maxime, 1.Epiſtol. capite 14. de iis agens qui linguarum abutebantur dono:

quem

quem Apoſtoli locum enarrans pius Epiſcopus,& optimus Pauli interpres Chryſoſtomus ait σκόπει πῶς πάλιν ἐνταῦθα πρὸς τὴν σπάρτην, τὸν λίθον ἄγει, τὴν οἰκοδομὴν πανταχοῦ ζητῶν τῆς ἐκκλησίας. Ad ædificationem itaque Eccleſiæ referenda eſſe omnia & iſtic & alibi Apoſtolus docet: quem ſcopum qui intuebuntur non facile aberrabunt: at eum qui alio reſpicit, ſubinde impingere eſt neceſſe.

Hom.35.

Pſeudapoſtolorū dogma cum Ieſuiticis erroribus collatum.

IAM vero ad qnem ordinem pertineāt noui iſti Apoſtoli, & quibus ſint ſimiliores, Paulo ne an perſonatis illis Apoſtolis, conſideremus. Quę Pauli fuerit doctrina teſtantur ipſius Epiſtolæ: quæ vero aduerſariorum ipſius, partim ex Luca, Act.15. capite partim ex Paulo ipſo, nominatim ex Epiſt. ad Galat. partim ex Hieronymo, præſertim ex comment. in Ezech. 16. & aliis aliquot veteribus certo cognoſcere licet. Summa autem eius eſt, Veteris legis obſeruantiam (ipſiſſima Hieronymi verba ſunt) Euangelicæ gratiæ aptare, & Moſem Chriſto coniungere conabantur. Sed hoc quæſo quantulum eſt, ſi conferatur cum Ieſuvviticæ doctrinę rapſodiis, quibus vix pagina vlla eſt, in qua non legatur aliqua in Chriſtum multo atrocior contumelia, quā illa fuerit? Si ob illud dogma Apoſtolus ęos etiam cum ſtomacho non dubitauit appellare crucis Chriſti inimicos qui inuerterent Euangelium, quod ipſe auctore Chriſto prædicauerat, an pro coniuratiſſimis Chriſti atque Euangelij ipſius hoſtibus, iſti habendi non ſunt ab omnibus, qui Chriſto dedere nomen, ipſum diligunt, gloriæque ipſius ſunt ſtudioſi? Quem enim quæſo habituri ſumus Chriſtum, ſi nouos iſtos audimus, & ſequi volumus Magiſtros? Quæ enim in ipſum pater contulit ornamenta, execta ereptaque ipſi ſunt prope omnia: & traducta, non in Moſem eximium Dei Prophetam, ſed in innumeros obſcuros &

ignotos ſiue ſanctos, vti iſti appellãt, ſiue Deaſtros, per impuros & improbos homines ſiue ſanctificatos ſiue Deificatos. Ipſius gratia, morte, ſacrificio & merito eius parta, per iſtorũ doctrinam de humanis meritis, & operibus non bonis, ſed partim ſuperſtitioſis, partim impiis non modo obſcurata eſt, ſed etiam extincta & ſepulta. Quid quęſo ei reliquum facit, illa malorum lerna, impietatis officina, ac ſcelerum nutrix MISSA? Quæcunque etiam iſti tradunt de purgatorio igne, mortuorum inuocatione, ſtatuarum cultu, indulgentiis, primatu Rom. Pontificis, auctoritate Eccleſiæ, & aliis eius generis: quid aliud ſunt, quam humana ſomnia & figmenta anilibus fabulis vaniora? An nõ mera ματαιολογία eſt, maxima pars eorum quæ ſub Apoſtolicarum traditionum titulo Chriſtianæ plebi, vt diuina oracula, ttaduntur & credenda obſeruandaque obtruduntur? De ceremnoiis multis agere quid attinet? Conſtat enim Iudaicas prope omnes, excepta ipſa circuncifione, quam illi Pauli, imo Chriſti & veritatis aduerſarij in primis vrgebant, excitatas & reductas eſſe in Eccleſiam quæ ſe Chriſti eſſe dicit, admixtis etiam non paucis ex Ethnica ſuperſtitione & impietate. Et cum tandé in his ſolis religionem poſitam eſſe credere cœptum fuit, ſic continuis additamentis excreuit earum aceruus vt prorſus fuerit intolerabilis: & ſua ipſius mole concidere cœperit. Attamen quaſi quæ ab anteceſſoribus inuenta inuectaque fuerant, non ſufficerent, noui iſti architecti recens in ſua fabricatas officina prioribus addere adnituntur. An id non eſt ἑτεροδιδασκαλεῖν, & in meridie tenebras offundere, atque adeo parta libertate, ſeruitutem reuocare? Coniunctas etiam eſſe cum Ieſuvvitica doctrina quæſtiones ineruditas,

rixoſas,

rixoſas,inutiles,imo pernicioſas,ſatis conſtat, vel ex eo,quod totum chaos Romanenſis Theologiæ amplectuntur:neque ſe abhorrere à ſpinoſis ſcholaſticorum nugis vllibi,quod ſciam,ſignificāt. Vnde euidenter conficitur, nouos iſtos Pſeudapoſtolos,quod ad doctrinæ naturam attinet, non diſferre à veteribus,niſi quod iſtorum quam illorum multo eſt impurior,& corruptior doctrina, atque ab Euangelica ſimplicitate atque puritate longe etiam remotior. Quod vero attinet ad ſe inſinuandi irrependique rationem & ad doctrinæ vſque arcem,id eſt,ſuggeſtum ſiue cathedram penetrandi, ſumma inter vtroſque ſimilitudo conſpicitur. Erāt illi origine Iudæi, profeſſione Chriſtiani, ſed re ipſa,ordinis,vti quidam loquuntur, neutralium, hoc eſt,qui neutram religionem ſerio amplectebantur. Vtraque tamen ad ſua compendia aſtute abutentes. Quam viam ſint ingreſſi noui hypocritæ & quo artificio aſcenderint ac peruenerint ad eum,quem nunc occupant,gradum & locum, eſt pleriſque qui adhuc ſuperſtites ſunt,nō ignotum. Larua ad pietatem artificioſe compoſita conueſtiti prodiere miſeris afflictiſque temporibus:nimirum rebus omnibus in religione confuſis atque conturbatis. Species vultus, vocis,geſtus,totiuſque corporis habitus ſic ad tempus & occaſiones omnes compoſitus & comparatus fuit,vt multorum animis iniiceretur ſpes omnia collapſa & corrupta,nouorum iſtorum doctorum fide, opera atque diligentia breui reſtitutum & conſtitutum iri. Fuit autem non minima pars Satanici artificij in eo, quod pulchre ſimularunt cum Monachis (quos ignauia & luxus in odium & contemptum apud omnes iamdudum adduxerant) nihil ſe habere commune: Cum ſacrificis,quos ob inſignem inſcitiam, vitæque turpitudinem apud omnes

Artes Pſeudapoſtolorū & Ieſuitarum conferūtur.

infames eſſe norant, nullum ſibi eſſe commerciũ, clara voce ſignificabant. At nunc re ipſa cognoſcitur, iſtos vnum hoc agere vt ex vtrorumque ſpoliis diteſcant, ipſorum plumis ſe ornent, eorũque occupent ſedes & loca. Quod conſilium dum conſidero, venit mihi in mentem, quod Ioſephus de Samaritanorum aſtu li. Antiq. Iud. 11. c. 8. narrat. *Samaritani*, inquit, *in Iudæorũ rebus afflictis, negant ſe eſſe cognatos, veritatem tunc dicendo: cum vero affulgere eis fortunam viderint, confeſtim in ſocietatem irruunt, &c.* Inde ſatis apparet, non nouum, ſed vetus eſſe ſtratagema, familiare veri Dei cultus corruptoribus, nimirũ nulla ſerio affici religione quãuis tamen è re nata ſimulare atque profiteri: & eo animum inflectere ac conuertere, quo lucri & cõmodi ſpes affulget. An non perſonati iſti Apoſtoli, vti illi veteres κενόδοξοι καὶ ἀνθρωπάρεσκοι, in primis ſtudent εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί? Quid enim aliud ſunt, quam impiorum Pontificum, ac imperitorum Principum ſuperſtitioſique vulgi paraſiti? An non hoc ipſis eſt familiare ſtudium, vt quos ſubodorãtur apud iſtos parũ gratos eſſe, ob liberã veritatis pietatiſque profeſſionem, magis reddant confictis calũniis inuiſos? In viros pios atque doctos aut abſentes, aut etiam mortuos, quorũ aſpectũ, ferre, vocemque ſuſtinere non poſſent, facundiã exercent (vt dicitur) caninam, ac mortuos etiam theonino rodũt dẽte. Hieronymus de illis quos (vt dixi) Nazareos nominat, inter cætera ſcribit *Teſtimoniũ in ſuo loco alteri ſenſui congruẽs, alteri aſſuere nitũtur.* Id quod non modo Pauli verbis conſentit ſed etiam ea quodammodo explicat: præſertim quod ex 2. Cor. dictũ fuit, ipſos verbũ Dei cauponari & corrumpere ſolitos fuiſſe. Hac parte eos ſedulo imitãtur noui iſti caupones, vel dum ad gratiam ſuis Põtificibus de Scripturis loquuntur: vel dum Principum,

pum,quos ſuis præſtigiis faſcinarunt,ſeruiunt auribus:vel dum furentis vulgi rabiem in nos, quos æque norunt atque antipodes,excitare,& accendere conantur.Tum certe demonſtrant quam vere dicant ſcripturam eſſe inſtar cerei naſi. Eam enim quo volunt inflectunt, aut potius contorquent. Nam ipſis quod volunt, ſonant Scripturarum verba,in his,quod ſuggerit affectus, vident. Quod libet,ipſis ſacroſanctum eſt. Sed vehementer falluntur,ſi nos ex ſuo iudicant ingenio. Nos didicimus ex Paulo,multo religioſius tractare ſacra oracula.Certã Spiritus ſancti in verbis agnoſcimus eſſe ſententiam,cui noſtrum iudicium,voluntatem,affectus ſubiicere aſſueuimus.

RELIQVVM eſt,vt de ſcopo quoque doctrinæ videamus. Quo ſpectet nouorum iſtorum Magiſtrorum turpis & ſeruilis κολακία crudeliſque συκοφαντία,vita & facta velut effecta quædam clare demonſtrant.Et vero plurima conſilia non niſi ex euentis cognoſci quotidie experimur. Narratur quendam ex Franciſcana familia, quæ plurimos crudeles lupos & aſtutas vulpes hactenus aluit, peruaſiſſe ad ſummi illius Pontificatus dignitatẽ ac ſedem miro artificio.Is ſibi edẽti curabat ſemper expandi piſcatorium rete, quod plerique omnes ad eximiæ ſanctitatis ſignificationem referebant, ſicque interpretabantur. Sed quid accidit?cum inſignis hypocrita,quam venabatur,prædam eſſet conſequutus, id eſt, ad ſummum illum apicem perueniſſet, tum demum deſitum eſt expandi myſticum illud rete, & quid animi conſiliique habuiſſet illa vulpes,intellectum fuit. Ita ſi quis ſit,qui vel neſciat,vel dubitet,quorſum fuerit ab iſtis conſocialibus confictus & vſurpatus,non minus in ſpeciem religioſus,quam nouus Ieſuitæ titulus,& ſumpta pietatis eruditioniſque ſpecies

Scopus doctrinę Ieſuuiticæ, ambitio & auaritia.

aut potius larua:conſideret quid à laruatis iſtis re ligioſis ſit paucis annis effectum, & ex obſcuriſsimis tenuiſsimiſque principiis adeo breui tempore quo ſit peruentum, facile intelliget, ſi iudicii ſcintillam vllã habet,ſua ne illi an quæ ſunt Chriſti quæſierint. Deinc cultus an ſui ipſorum vẽtris cura,ad hanc perſonam induẽdam ipſos adduxerit,in iſtudque induxerit theatrũ. Ex infimis ſubſelliis ad πρωτοκαθεδρίας ipſoſne euexit ambitio ſuæque an Chriſti gloriæ ſtudium? Ex puluere, & vt Propheta loquitur,ſtercore,in ampliſſimas domos,Pontificialiaque palatia,quibus cõiũcti ſunt non impares cenſus,ipſoſne traduxit deſideriũ ſalutis Eccleſiæ & cõmiſeratio ruinę ac calamitatis ipſius,an priuatorum commodorum ſtudiũ? Componantur parumper veteres ac veri Apoſtoli cum iſtis nouis, quid inter ipſos ſimile? imo quid non diſſimile? Conferantur etiam veteres monachi cum iſtis nouitiis,Quis credat hanc prolem ex illis patribus ortam eſſe? Si vero cum mediæ ætatis & recentioribus comparare libet, etſi omnes ab vno illo mendacii patre ortum ducant,tamen illi præ his ignaui, ſtupidi, ac miſeri videri poſſunt, Nam hos pauciſſimis annis maiores opes conquiſiuiſſe atque collegiſſe, altius etiam conſcendiſſe quam illos aliquot ſeculis,res ipſa teſtatur. Multis enim paraſangis poſteriores anteuerterunt priores:eueniitque quod nõ raro inter viatores vſuuenire videmus,vt qui ſerius viã ſunt ingreſſi,longo interuallo poſt ſe relinquant eos qui anteceſſerãt. Tantũ valent in conficiendis negotiis,diligentia, celeritas & induſtria:quibus iſtos præ aliis omnibus inſtruxit communis pater Satan. Atque iſta in re animaduertere licet quod inter homines perſępe fit,vt ſint inter multos liberos minimi natu,parentibus multo chariores aliis. Videntur enim cæteri,

teri, præ iis abdicati, ſiquidem illi neglecti iacent, ſoli iſti in deliciis habentur, diuitiis augētur, honoribusque ornantur In ſumma hos legitimos ac germanos Romanæ ſedis filios, alios nunc ſpurios eſſe diceres. An turpia lucra etiam iſti ſectantur ſatis teſtantur captatæ ſub pietatis prætextu hæreditates, legitimis hæredibus excluſis. Boni iſti ſocii Ieſu (Ieſu inquam qui ſe vulpibus atque auibus pauperiorem eſſe palam eſt profeſſus) munuſcula etiam oblata repudiant, ſed amplas ædes & opes auidiſſime complectuntur. Accenſi quoque necne ſint dominandi libidine, ac tyrannidē coniunctam cum Eccleſiæ contumelia affectent iſti ſancti, ii apud quos obtinuerunt & etiamnum exercent, inquiſitoria (quæ fidei vocant) iudicia, idonei teſtes eſſe poſſunt. Certe crucem Chriſti, quam multo magis, quam olim Romani milites, cōtingere horrent, piorum ceruicibus longe crudelius quam illi, Simonis Cyrenęi humeris, imponunt, & ferre cogūt. Ex his atque aliis quæ ſigillatim notare eſſet nimis longum: qui plane cæci non ſunt, facile vidēt, quāta ſit inter adulterinos iſtos ſocios Ieſu, & veteres Pauli aduerſarios in omnibus partibus ſimilitudo. Cū vero inficiari nō poſſint, hūc Apoſtolum fuiſſe Ieſu Chriſti germaniſſimum ſocium, omnes ſani iudicare poſſunt annō iſtos iuſtius *ἀντιπαύλους* & *ἀντιχρίστους* quam Ieſuvvitas aut Chriſtianos (cuius nominis eos etiam pudet) nominare debeamus.

Matth. 8. v. 20

Mat. 27. 32

CAPVT XV.

Retinendum eſſe cum antiqua pietate veterem titulum Chriſtianorum.

Querelæ ob innumeras in religione diſſenſiones.

AVdimus quotidianas multorum querelas,ob innumeras prope in religione diſſenſiones,dictitãtium vetus illud,*Videre quidem ſe quos fugiant, at quos ſequantur non videre*:atque iſtam ob cauſam omnem de religione cogitationem,nedum curam abiicere pleroſque non modo audimus,ſed etiam ſummo cum dolore cernimus. Vt nimis veram eſſe fateor illam de diſſenſionũ multitudine ac diuerſitate querelam, quæ res etiam mihi vehementer dolet,ita,quod quos ſequantur ſe videre negant, non ex vero religionis deſiderio,ſed ex odio,tædio atque nauſea proficiſci certiſſimum eſt. Nam ſi huius ſerio afficerentur ſtudio, facile viderent, quinam ſint ſequendi. Mihi certe queruli iſti ac nimis delicati, non ſecus facere videntur,acſi in meridie accenſis multis facibus multi contenderẽt,quænam,vt lucidior, eſſet ſumenda atque ſequenda, quiſpiam offenſus concertatione illa & multitudine luminum, ſeſe abderet in obſcuram ſpecum, omnemque lucem fugeret.Quaſi vero neglectis iſtis omnibus luminibus ſolem potius aſpicere, ipſiúſque lucem ſequi nõ poſſit atque etiam debeat. Nos ſonora voce ad ſe vocat Deus,quorſum ergo nos rauci hominum clamores remorantur?Nobis per ſuum filium,vt rectiſſimam viam,ac certiſſimam ianuam, ad ſe patefacit aditũ,cur nos excogitatæ ab hominibus ambages conturbant? Clara eſt vox modo attenti ſimus ac dociles, plana quoque eſt via,neminique vel obſcura vel inuia, niſi iis qui oculos aperire recuſant. Veritatis amantes ſe eſſe omnes clamitant,eamque ſe quærere iactant: at in multorum linguis hæc vox quidem fluctuat atque natat,animi vero alias cogitationes agitant,aliaque ineunt conſilia:neque cognoſcendæ veritatis maiore

Vnde in multis oriantur.

Quibus queruli iſti ſint ſimiles.

Quid ſequendum nobis in tanta opinionum varietate.

iore afficiuntur ſtudio, quam Pilatus ille, audito Ioan.19.38
Chriſti de veritate ſermone. Atque hæc eſt nõ minima diſſenſionũ cauſa vti aliquando me demonſtraturum eſſe cõfido. Si veritatẽ amamus & quærimus, cur homines potius quam Deum reſpicimus atque audimus? Cur non potius ad ipſum vſque fontem recurrimus, quam riuis addicti hæremus? Cur potius præſentibus affixi conſidemus, quàm præterita in memoriam reuocamus? Cur nõ potius a pia doctaque antiquitate & pietatis formam, & veritatis repetimus regulam, quam ad nouos impingimus ſcopulos? Vt vero aliis omnibus in præſentia omiſsis, ad nouum Satanæ præſidium redeam: Conſociales iſti nuper nati, adhuc pueri, cum omnia nouare ſtudeant, antiquitatem tamen iactare, nobiſque (ſi Deo placet) opponere non ceſſant: verbis laudant, quod factis damnant. Lingua confirmare aſſerereque conantur, quod manu demoliuntur & euertunt. Antiquæ pietatis, hoc eſt, Apoſtolicæ, doctrinam & religionis formam amamus, veneramur, reſtitutámque cupimus, & quantum poſſumus reſtituimus, attamen nouitatis ſtudium nobis exprobrare nouatores iſtos nõ pudet. Vetuſta quidem illa Moſaica inſtituta, quæ Deus vti ſanxerat ſemel, ita poſtea abrogauit ſepulta excitare in lucemque reducere velle, nos ſummam eſſe impietatem, Deumque velut ſtultitiæ damnare exiſtimamus. Iſti contra, illa non ſecus atque illi IudæoChriſtiani retinenda eſſe contendunt: quæ vero in eorum locum per ſuos Apoſtolos ſubrogauit Chriſtus, abrogant: vt duplici ratione ſe Dei atque Chriſti ipſius hoſtes eſſe demonſtrent: vt qui non modo in vetita nitantur, ſed etiam cupiant negata, hoc eſt, quod per verbum Dei non licet, conſtituant, quod vero licet, imo vero, quod eſt conſtitutum & ſtabilitum,

Ieſuuitarum viua effigies.

deſtruant atque tollant. Res itaque ipſa oſtendit, ipſos à Satana ſubornatos & ſurrogatos eſſe, non ad antiquam ſeu veram religionem reuocandam, ſed vt, quam in poſtrema iſta Eccleſiæ ætate, quaſique ſenecta, induxit confuſionem, foueant, quos ille iampridem ſparſit errores partim confirmando, partim augendo: atque iam multis modis per ſuos anteceſſores deformatam religionis veræ effigiem, magis atque magis corrumpendo, ſuperſtitionem & idololatriam ſtabiliant: idque pro præſtigiatoris huius more ſub reformationis & inſtaurationis ſpecie, ſed bene habet quod de cogendo ſubſidiario iſto milite paulo ſerius cogitauit hoſtis. Sic enim Euãgelica lux iam ſuos radios longe atque late ſparſit, vt non ſit ipſis facile eam extinguere: tam altas in multorum animis egit radices veritas, vt eam euellere ſit difficile. Dolendum tamen eſt, interea nonnullis incautis & imperitis, aut, vt diſertius cum Paulo loquar, νηπίοις
1. Cor. 14. 20. φρεσὶ καὶ ἀνοήτοις, ſic iſtorum faſcino & deliriis per-
Gal. 3. 1. ſtringi oculos, vt iſtos terræ filios, non aliter atque cœlitus demiſſos angelos excipiant, audiant, mirentur, & ſequantur. Sed ita ſunt comparata
Ioan. 3. 19. multorum ingenia, iuxta Chriſti ſententiam, vt ament tenebras præ luce, cæcos duces quam perſpicaces ſequi malint: denique crudeles lupos fidis paſtoribus anteponant, atque exitium magno redimere, quam ſalutem gratuito oblatam recipere potius velint. Mirandum ſane & ſimul miſerandum, circunforaneos iſtos ſub Apoſtolicarum traditionum vel obtrudentes abſurdiſſima & à vera veterique pietatis forma alieniſſima audiri ac recipi, & interea, velut clauſis oculis atque auribus, præteriri quæ Lucas in Apoſtolica hiſtoria, de catholicæ & veræ Apoſtolicæ Eccleſiæ incunabulis,

primáque

primáque inſtitutione & conſtitutione, pari fide tradidit, atque hiſtoriam Chriſti, hoc eſt, Euangelicam ſcripſit. Quis dubitare poteſt, niſi plane impius, vt vnum ſcriptorem Lucam, ita vnum auctorem Spiritum ſanctum vtriuſque libri eſſe? Neque dubium eſt, quin hic Spiritus Eccleſiæ Chriſti tutor & ductor voluerit tradi atque poſteritati relinqui eam formam literis conſignatam, vt illa haberet perpetuo archetypum, quem ſemper intueretur atque imitaretur. Aptiſſime ſane ſimul & veriſſime iudicauit Eraſmus, *Conuenire, vt maiore ſtudio Chriſtiani ſuæ gentis incunabula cognoſcere ſtudeant, quo poſteaquam cognitum habuerint, quibus rebus adoleuerit, iiſdem intelligant collapſam religionem inſtaurandam eſſe.* Nam quantumuis breuis ea hiſtoria ſit, nihil tamen deeſt, quod quidem ad rectam eccleſiæ conſtitutionem pertineat. Hic enim videre licet, quæ doctrina, quæ fides, quæ diſciplina & εὐταξία Apoſtolica fuerit: & quæ Chriſtiana ac catholica eſſe debeat. Et ex iſtis initiis atque fundamentis, certo cognoſcere licet, quid poſtea apte ac recte, & quid ſecus exædificatum additúmq; ſit. Ex hac regula, quiſquis præditus eſt mediocri iudicio, facile intelliget, quid in religione admitti ferrique debeat, atque non magno negotio legitima & germana à ſuppoſititiis adulteriníſque diſcerneret. Atque nominatim facilime deprehendet fucum & fraudem Satanici huius ſodalitii, tum in nomine, quod ſibi noue finxit, tũ in re, quam ſibi falſo arroget. Quid enim conuenientius quam vt qui Chriſto fidunt, quique ex ipſius ſchola ac familia ſe eſſe profitẽtur, ab ipſo cognomentum accipiant & retineant, nominentúrque Chriſtiani? Quid etiã iuſtius, quam vt qui ſe ipſius diſcipulos profitẽtur, eiuſdem teneant ac ſequan-

Hiſtoriæ Apoſtolicæ à Luca ſcriptæ vtilitas ſũma.

tur dogmata? Atque vti ſua appellatione, quam cum ipſo habent & cognationem & coniunctionem, & ſocietatem teſtificantur: ita etiam omnia hæc vita atque factis demonſtrent ac veluti obſignent? Coniungenda ergo eſt nomini res ipſi conueniẽs, ne quod vox aſſerit, vita neget, & demum, à ſocietate excluſi, in exteriores tenebras cum hypocritis omnibus pellamur. Quod ſi res, hoc eſt, Chriſtiana pietas & religio nobis eſt cordi, non eſt quod appellationis eam profitentis nos vel pudeat vel pœniteat. Ad nouos vero ſociales quod attinet, cùm idem ſit IESVS qui CHRISTVS, & Chriſtiani nominis ſe pudere non obſcure ſignificent, atque conſtet ipſos deſtitui re, quæ profeſſioni nominis coniuncta eſſe debet: non eſt quod ſe Ieſuvvitas appellent, & cum Ieſu ſocietatem ſe habere dicant: ſed ſi verum dicere volunt: hoc eſt, rem quæ ipſis eſt propria, ſuo exprimere nomine cupiunt: pro Ieſuvvitis Gezitas ſe & veriſſime & aptiſſime nuncupare poterunt.

Ieſuuitæ Gezitæ.

FIDES

FIDES IESV ET IESVITARVM,

Hoc eſt,

ANTITHETON SEV COLlatio doctrinæ Ieſu cum doctrina Ieſuitarum papiſticorum: ex S. literis, Patrum ſcriptis & Ieſuitarum farraginibus collecta.

CAPVT PRIMVM.

DE SANCTA SCRIPTVRA.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

SAcra Scriptura eſt doctrina imperfecta, mutila, manca: quæ non continet omnia quæ ad ſalutem, fidem, & mores pie viuendi pertinent. *In Ieſuitarum Cenſura Colonienſi*, *fol.* 220. *In opere Catechiſtico Caniſii, fol.* 126. 160. 161. 162.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

SAcra Scriptura, eſt doctrina perfecta & numeris omnibus abſoluta: quæ continet o-

O.j.

omnia quæ ad ſalutem, fidem, & mores pie viuendi pertinent.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

DATA eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Matth.28.

Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis. Ioan.13.14.

Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus eſt Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius, Iohan.20.

Vos ſcitis(inquit Paulus) quomodo nihil ſubtraxerim vobis vtilium: quo minus an nunciarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, teſtificans Iudæis atque Gentibus, in Deum pœnitentiam, & Fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Act.20.

Quæcunquæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Rom.15.

Tu vero permane in iis, quæ didiciſti & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris: & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſũt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis enim Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudien-

diendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. 2.Tim.2.

Meſſias cum venerit, reuelabit nobis omnia. Ioan.4.

Erunt omnes docti a Deo. Ioan.6.

Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui a Patre meo nota vobis feci. Ioan.15.

PATRES.

Tertullianus, lib. de præſcriptionibus.

Quis integræ mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos magiſtros Dominus dedit indiuiduos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in condictu: quibus obſcura quæque diſſerebat, illis dicens datum eſſe agnoſcere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claues regni cœlorũ conſecutum & ſoluendi & alligandi in cœlis & in terris poteſtatem? Latuit & Iohannem aliquid dilectiſſimum Domino, pectori eius incubantem, cui ſoli Dominus Iudam proditorem demonſtrauit, quem loco ſuo filium Marię demandauit? Quid eos ignoraſſe voluit, quibus etiam gloriam ſuam exhibuit, & Moſen & Heliam, & inſuper de cœlo Patris vocem? Dixerat plane aliquando, Multa habeo adhuc vobis loqui, ſed non poteſtis modo ea ſuſtinere: tamen adiiciens, cum venerit ille Spiritus veritatis ipſe vos deducet in omni veritate, oſtendit, illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem conſecuturos per Spiritum veritatis repromiſerat. *Idem lib. de Reſurrect. carnis.*

Clemens Alexandrinus, lib. 6. Stromatum fol. 314. absque scripto nihil dicimus.

Hæretici ex conſcientia infirmitatis nunquam ordinarie tractãt. *Item.* Aufer hæreticis quæ cũ ethnicis ſapiunt, vt de Scripturiis ſolis ſuas quæſtiones ſiſtant, & ſtare non poterunt.

Chryſoſtomus ad Titum, Homil.1.

Manifeſtauit temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi. Hæc eſt prædicatio. Omnia enim Euangelion continet, & præſentia & futura, honorem, pietatem, fidem, ſimul omnia prædicationis verbo concluſit.

Auguſtinus ſuper Ioan. Cap. 11. Tract. 49.

Nam cum Dominus IESVS multa feciſſet, non omnia ſcripta ſunt, ſicut ipſe ſanctus Euangeliſta teſtatur. Multa Dominum Chriſtum & dixiſſe & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt. Electa autem ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur. *De bono viduitatis, cap.1.*

Quid amplius te doceam, quã id quod apud Apoſtolum legimus? Sancta enim Scriptura noſtræ doctrinæ regulã figit, ne audeamus ſapere plus quã oportet. Nõ ſic ergo mihi aliud te docere, niſi verba tibi Doctoris exponere. *De Ciuitate Dei, li.11. c.2.* Hic prius per Prophetas, deinde per ſeipſum, poſtea per Apoſtolos, quãtum ſatis eſſe iudicauit, locutus, etiam Scriptura condidit, quæ Canonica nominatur, eminentiſſimæ authoritatis, cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos noſſe idonei ſumus. Lib.19. cap. 18. Ciuitas Dei credit Scripturis ſanctis, veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus. Vnde fides ipſa concepta eſt, ex qua iuſtus viuit, per quam ſine dubitatione ambulamus, quam diu peregrinamur à Domino. *In Epiſtol. Iohan. tractatu 2.*

Maxime debetis animaduertere & memoriæ veſtræ mandare, quod cõtra inſidioſos errores Deus

voluit

voluit ponere firmamentum in Scripturis : contra quas nullus audet loqui ,qui quoquomodo ſe vult videri Chriſtianum. Quum enim palpandum ſe præbuiſſet non illi ſufficit, niſi de Scripturis confirmaret cor credentium : proſpiciebat enim nos futuros. In quo nos palpemus non habemus, & quod legamus habemus. *Ad Voluſianum, Epiſtola 3.* Scio enim Excellentiam tuam, quorundam perpeti obſtinatiſſimas contradictiones, qui propterea putant: vel putari volunt, Chriſtianam doctrinam vtilitati non conuenire Reipub. quia nolunt ſtare Remp. firmitate virtutum, ſed impunitate vitiorum. *Ad Iulianum Epiſt.3.* Omnis ſanctorum librorum ſeries ad noſtram ſalutem ſcripta eſt, & hoc maxime auribus noſtris intonat,& iterum atque iterum replicat, quid ſit omni homini cauendum,vel quid ſequendum. In quib⁹ libris tua dignitas optime excreſcere ſolet, quia per illos nobis loquitur ipſe Deus & Dominus noſter,& pię voluntatis nobis demonſtrat effectum. Recognoſcamus,& recogitemus quali honore nobis illius legatio ſit accipienda. Quid ſi a rege legatio,aut in diluculo ad nos veniret, nunquid non mox aliis curis poſthabitis,prompta voluntate,& cum omni deuotione literas acciperemus,& legentes implere ſatageremus? Et ecce de cœlo cœlorum Rex regum & Dominus dominātium imo & redēptor noſter per Prophetas & Apoſtolos dignatus eſt nobis dirigere literas ſuas, non vt aliquod ſeruitiū ſibi neceſſariū nobis demandet,ſed quæ ad ſalutē & gloriā nobis prodeſſe poſſint,innoteſcat. *De Doctrina Chriſtiana, li.2.c.9.* In his quæ aperte poſita ſunt in Scriptura inueniuntur illa omnia,quæ continet fidem, moreſque viuendi, ſpem ſcilicet & charitatem *(Contra li-*

teras Petiliani, lib.3.cap.6. Si quis, ſiue de Chriſto, ſiue de eius Eccleſia, ſiue de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamque noſtram: non dicam, ſi nos, ſed (quod Paulus adiecit) ſi Angelus de cœlo vobis annuntiauerit præter quam quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepiſtis, Anathema ſit. *Epiſtola 2. ad Voluſia.*

Hìc (in S. Scriptura) Philoſophia: quoniã omnes omniũ naturarum cauſæ in Deo creatore ſunt. Hìc Ethica: quoniam bona vita & honeſta non aliunde formatur, quã cum ea, quæ diligenda ſunt: & quẽadmodũ diligenda ſunt, diligũtur: hoc eſt, Deus & proximus. Hic Logica: quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non niſi Deus eſt. Hic etiam laudabilis Reipublicæ ſalus: neque enim optime cuſtoditur Ciuitas, niſi fundamento & vinculo fidei firmæque concordiæ: quum bonum commune diligitur, ſummum atque veriſſimum Deus eſt. *De Doctrina Chriſtiana.* Titubat fides, ſi diuinarum Scripturarum vacillat authoritas. Porro fide titubante, etiam ipſa charitas languefcit. *Libro 2. De Bapt. contra Donatiſt. cap. 6.*

Non afferamus ſtateras doloſas vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro, dicentes, hoc graue eſt, hoc leue eſt, ſed afferamus diuinam ſtateram de Scripturis ſanctis tanquam de theſauris dominicis: & in illa quid ſit grauius appendamus: imo non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.

Hiero. ſuper Eſa. in proœm.

Si iuxta Apoſtolum Paulum Chriſtus Dei virtus eſt, & Dei ſapientia: Qui neſcit Scripturas neſcit Dei virtutem eiuſque ſapientiam. Ignorantia Scripturarum, ignorantia Chriſti eſt.

Hilarius lib. 12. de Trinitate.

Dei

Dei ſermo,& veræ,ſapientiæ doctrina, quæ loquitur,& perfecta,& abſoluta ſunt.

Athanaſius contra Gentes.

Sufficiunt ſanctæ ac diuinitus inſpiratę Scripturæ ad omnem inſtructionem veritatis.

Lactantius lib.2.cap.9.

Dixit,ſola ſancta Scriptura opus nobis eſſe, atque in ea demum expreſſiſſe quæcunque ad ſalutem neceſſaria ſunt homini.

Baſilius Epiſt.1.

Potiſſima ad recti inuentionem via eſt meditatio diuinarum Scripturarum. In illis namque & agendorum præcepta inueniuntur,& vita beatorũ virorum clare depicta,inſtar animatarum quarundam imaginum,quæ ſecundum Deum eſt conuerſationis,ad bonorum operum imitationem tradita proponitur.Et quidem quacunque re indigere ſe quiſque ſenſerit,ſi illas verſauerit, quaſi ex communi quadam rerum medicarum officina,commodum infirmitati ſuæ pharmacum inueniet.

Cyrillus lib.12.in Ioan.

Non omnia quæ Dominus fecit conſcripta ſunt: ſed quę ſcribentes tam ad mores,quàm ad dogmata putarunt ſufficere: vt recta fide & operibus ac veritate rutilantes ad regnum cœlorum perueniamus per Ieſum Chriſtum.

Epiphanius lib.2.tomo 2.

In ſacra ſcriptura nihil eſt obliquum,neque tortuoſum,ſed omnia mirabiliter ad noſtram ſalutem ſcripta ſunt.

Damaſcenus de Fide orthodoxa. Lib.1.cap.3.

Nihil neſciens(Deus)&,quodcũque cõducibile eſt prouidens,quodcunq; conducit nobis agnoſcere,ipſe reuelauit nobis. Quorum autem põdus ferre non valemus,illa ſilentio occuluit. Hæc igitur nos ipſi amemus,in hiſque immoremur,neque

limites ab æterna voluntate definitos tranſcendẽtes, neque diuinam vlla ex parte traditionem tranſgredientes.

Carolus Magnus.lib.3.cap.23.

In ſacris literis nihil vitioſum, nihil inconueniens, nihil impurum, nihil falſum:niſi forte id, quod peruerſos quoſque dixiſſe vel feciſſe ſancta Scriptura commemorat,penitus inuenitur. *Item.* Sanctæ Scripturæ ſemper ſuadent honeſta & ſalubria,ſemper inſtant humanæ ſaluti, ſemper hortãtur ad cœleſtia dona, ſemper puras & fixas regulas tenent.

Irenæus lib.2.cap.46.

Teſtatur,ſanctas Scripturas omnia quæ de Chriſto tenenda ſunt,abunde cõplecti. Et ob id ſermones Chriſti eſſe.Lib.3. ca.1. Sola vera ac viuifica fides illa eſt, quam ab Apoſtolis Eccleſia percepit, & diſtribuit filiis ſuis. Etenim Dominus omnium dedit Apoſtolis ſuis poteſtatẽ Euangelij,per quos & veritatem, hoc eſt Dei Filij doctrinam cognouimus, quibus & dixit Dominus. Qui vos audit, me audit,& qui vos contemnit,me contemnit, & eum qui miſit me.Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis cognouimus, quam per eos per quos Euangelium peruenit ad nos. Quod quidam tunc prçconizauerunt,poſtea vero per Dei voluntatem, in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.

II.

IESVITÆ.

SED defectus ille ſanctæ ſcripturæ ſarciendus eſt aſſumento traditionum. Hæc illi ibidem, fo. 220.In opere catechiſtico Caniſij,fo.162.

II.

II.

IESVS.

Perfecta eſt S. Scriptura, omnia ad ſalutem neceſſaria continens, nec vllo ſarcienda eſt traditionum aſſumento.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

NON facietis ſinguli quod vobis rectum videtur: ſed quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam nec minues. Deut.12.

Nõ addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodite mãdata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis. Deut.4.

Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe, ne addas quicquã verbis eius, ne arguaris, inueniariſque mendax. Prou.30.

Ait Ieſus ad Phariſæos & Scribas: Quare & vos mandatum Dei tranſgredimini propter traditionem veſtram? Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditiones hominũ. Et ſtatim inquit: Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Eſaias, dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me: In vanum autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Matth. 15. Mar.7.

Si vos mãſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Iohan.8.

Oues ſequuntur Ieſum Paſtorem, quia ſciũt vocem eius: alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerũt vocem alienorum. Iohan.10.

Licet vos, aut Angelus de cœlo euãgelizet vo-

bis,præterquā quod euangelizauimus vobis,Anathema ſit. Sicut prædiximus & nunc iterum dico: ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis,Anathema ſit. Gal.1.

Mali homines & ſeductores proficiūt in peius: errantes & in errorem mittentes. Tu vero permane in iis,quæ didiciſti & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris:& quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutē per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. 2.Tim.3.

Omnis qui credit & non permanet in doctrina Chriſti,Deum non habet. 2.Iohan.

Si quis loquitur, vt ſermonem Dei loquatur. 1.Pet.4.

State & tenete inſtitutiones,quas didiciſtis,ſiue per ſermonē,ſiue per epiſtolā noſtram. 2.Theſſ.2.

Doctrinis variis & peregrinis ne circūferamini. Hebr.3.

Paulus perambulabat Syriam & Ciliciam, cōfirmās Eccleſias,præcipiēs cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum. Act.15.

Si quis appoſuerit ad hæc,apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri huius,aufferet Deus partem eius de libro vitę. Apoc.22.

Obſecro vos fratres,vt cōſideretis eos,qui diſſidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didiciſtis,faciunt,& declinetis ab illis. Nam qui eiuſmodi ſunt,Domino Ieſu Chriſto non ſeruiūt, ſed ſuo ventri, & per aſſentationem & blandiloquentiam decipiunt corda ſimplicium. Rom.16,

Non poteſt ſolui ſcriptura.Ioan.10.

Amen dico vobis,ſi quis ſermonem meum ſeruauerit,mortem non videbit in æternum.Iohan.8

Si quis audierit verba mea,& non crediderit, ego non iudico eum,ſed ſermo quē locutus ſum, ille

ille iudicabit eum in extremo die. Ioan.12.

Arreptis, Nadab & Abiu filij Aaron, thuribulis, impoſuerunt ignem, & incenſum deſuper offerẽtes, coram Domino ignem alienũ, quod eis præceptũ nõ erat, egreſſuſq; ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui ſunt corã Domino, dixitque Moſes ad Aaron: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus, ſanctificabor in iis qui appropinquãt mihi. Deut.10.

In hoc ſcietis, quod Dominus miſerit me, vt facerem vniuerſa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerit. Num.16.

Cuſtodite igitur & facite ea quæ præcepit Dominus vobis, Non declinabis neque ad dextrã, neque ad ſiniſtram, ſed per viam, quã præcepit Dominus Deus veſter ambulabitis, vt viuatis, & bene ſit vobis. Deut.5.&.6.

Si difficile & ambiguũ apud te iudiciũ eſſe perſpexeris, inter ſanguinẽ & ſanguinẽ, cauſã & cauſam, leprã & non lepram, & iudicũ intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicẽ, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui iudicabunt tibi iudicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legẽ eius, ſequeriſque ſententiam eorũ, neque declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Deut.17.

Et cum dixerint ad vos, quærite a pithonibus, & a diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis. Nunquid non populus à Deo ſuo requiret, viſionem pro viuis a mortuis? Ad legem magis, & ad teſtimonium: quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Iſa.8.

Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quã

mandaui vobis,vt bene ſit vobis. Ierem.7.

Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Epheſ.4.

Docete omnes gentes,baptiſantes eos,in nomine Patris,& Filii,&c.docẽtes eos ſeruare omnia, quæcunque præcepi vobis. Matth.28.

Memores ſitis eorum verborũ, quæ ſancti Prophetæ prædixerunt atque mandati Domini ſeruatoris, quod à nobis Apoſtolis accepiſtis. 2.Pet.3.

Fundamentum aliud non poteſt poni, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. 1.Cor.3.

Hic eſt filius meus dilectus,ipſũ audite. Matth. 3.Mar.9.Luc.9.

Oues meæ vocem meam audiũt,& ego cognoſco eas,& ſequuntur me, & ego vitam æternã do eis. Ioan.10.

Vos amici mei eſtis,ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Ioan.15.

Scrutamini ſcripturas &c. & illæ ſunt quæ teſtantur de me. Ioan.5.

Siquis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert,ne recipiatis eum in domum,nec Aue ei dixeritis. 2.Iohan.

PATRES.

*Hieronymus ad Titum cap.*1.

Sine autoritate Scripturarum,garrulitas nõ habet fidem. *Et ad Galatas.* Spiritus S. doctrina eſt, quæ Canonicis libris prodita eſt: contra quam ſi quid ſtatuant Concilia nephas duco. *Idem in* 23.*cap.Matth.* Quod de ſcripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Auguſtinus

Auguſtinus contra Maximum, lib. 3. cap. 14.

Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium. Nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed vtriuſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. *In Pſalmum 57.* Auferantur de medio chartæ noſtræ: procedat in medium codex Dei. Audi Chriſtum dicentem: audi veritatem loquentem. *De peccatorum meritis, lib. 2. cap. 36.* Vbi de re obſcuriſſima diſputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in alteram partem declinando. *De vnitate Eccleſiæ, cap. 3.* Non audiamus hæc dico, Hæc dico, hæc dicis, ſed, Hæc dicit dominus. Sunt certe libri dominici quorum autoritati vtrique conſentimus, vtrique credimus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. *Item.* Auferantur de medio quæ aduerſus nos inuicem, non ex diuinis canonicis libris, ſed aliũde recitamus. Quærat fortaſſe aliquis, Cur vis iſta auferre de medio? Quia nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis Eccleſiam ſanctam demonſtrari. *Item.* Quicquid attulerint, & vndecunque recitauerint, audiamus potius, ſi oues eius ſumus, vocem paſtoris noſtri. Ergo in ſcripturis Sanctis Canonicis Eccleſiam requiramus. *Et cap. 6.* Legite hoc nobis de Lege, de Prophetis, de Pſalmis, de Euangelio: de Apoſtolicis literis legite & credamus. *Et cap. 10.* Nec Catholicis Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicuti forte falluntur, vt contra Canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiant. *Et cap. 12.* Qui

aliud Euangelizat, anathema ſit: aut legat mihi hoc in Scripturis ſanctis, & non ſit anathema. *Et cap.*16. Eccleſiam ſuã ſi poſſunt: demonſtrent: non in ſermonibus & rumoribus Afrorum, non in Conciliis epiſcoporum ſuorum, non in literis quorumlibet diſputatorum, non in ſignis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra iſta, verbo domini præparati & cauti redditi ſumus: ſed in præſcripto Legis, in prophetarũ prædictis, in pſalmorum cantibus, in ipſius paſtoris vocibus, in Euangeliſtarum prædicationibus & laboribus: hoc eſt in omnibus canonicis ſanctorum librorum autoritatibus. *Item.* Non dicat, Ideo verum eſt quia illa & illa mirabilia fecit vel iſte vel ille, aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille vel illa tale viſum vel vigilans vidit, vel dormiens ſomniauit. Remoueantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium Spirituum. Nam nec nos propterea dicimus credi nobis oportere, quod in Eccleſia Chriſti ſumus, quod ipſum quam tenemus commendarunt innumerabiles noſtræ communionis Epiſcopi, aut quia noſtrorum Collegarum Conciliis prædicata eſt, aut quia per totum orbem in locis ſanctis, quæ frequentat noſtra communio, tanta mirabilia vel exauditionum vel ſanitatum fiunt, &c. Item. Ipſe Dominus Ieſus, cum poſt reſurrectionem diſcipulorum oculis videndum, manibúſque tangendum corpus ſuum offerret, ne quid tamen fallaciæ ſe pati arbitrarentur, eos teſtimoniis Legis, Prophetarum & Pſalmorum confirmandos eſſe iudicauit, &c. Item. Hæ ſunt cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Et cap. 20. Exigite ab iſtis, vt oſtendant aliqua manifeſta de Canonicis libris

libris teſtimonia. Mementote quod Domini dictũ ſit, Habent Moſen & Prophetas, audiant illos.

Baſilius in ſermone de fidei confeſſione.

Si fidelis eſt Dominus in omnibus ſermonibus ſuis, & fidelia omnia mandata eius: manifeſta eſt elapſio à fide & ſuperbiæ crimen, aut reprobare quid ex his quæ ſcripta ſunt, aut ſuperinducere quid ex non ſcriptis, cum Chriſtus dixerit, Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non ſequentur, ſed fugient, quia non nouerunt vocem eius. *Idem in moralibus, ſumma* 72. *cap.*1. Pronunciat quod oporteat auditores eruditos in Scripturis probare ea quæ à Doctoribus dicuntur: & quæ quidem conſona ſunt Scripturis ſuſcipere, quæ vero aliena reiicere. Et ad illam regulam accommodat ſententiam Pauli, Galat.1. Si Angelus è cœlo euangelizauerit vobis præter id quod prædicauimus vobis, Anathema ſit. *Ibidem ſumma* 80.*cap.*22. Quid eſt propriũ credentis? Nihil audere, aut inſuper addere. Si enim omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, fides autem ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei: omne quod eſt extra Scripturam diuinitus inſpiratam, quia non ex fide eſt, peccatum eſt. *Et Epiſtola* 80. Non putamus iuſtum eſſe obtinentem apud ipſos conſuetudinem, legem, ac regulam facere rectæ doctrinæ. Igitur ſcriptura diuinitus inſpirata arbiter à nobis conſtituatur, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis ſermonibus concordantia, his omnino etiam veritatis ſuffragium accedit.

Origenes in Ieremiam.

Neceſſe nobis eſt ſcripturas ſanctas in teſtimonium vocare: ſenſus quippe noſtri & enarrationes ſine his teſtibus non habent fidem. *Idem in Matth. homil.25.* Ad teſtimonium omnium verborum quæ in doctrina proferimus, debemus ſenſum ſcripturæ proferre, quaſi confirmantem quem exponimus ſenſum. Sicut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum, non eſt ſanctificatum: ſic omnis ſenſus, qui fuerit extra diuinam ſcripturam, quanuis admirabilis videatur quibuſdam, non eſt ſanctus, quia non continetur à ſenſu ſcripturæ. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam noſtros proprios intellectus aſſumere, niſi quis oſtéderit eos ſanctos eſſe, ex eo quod in ſcripturis cõtinetur diuinis quaſi in templis quibuſdam Dei. *Idem in 3. cap. Epiſtolæ ad Romanos.* Paulus doctoribus Eccleſiæ præbet exemplum, vt ea quæ loquuntur ad populum, non propriis præſumpta ſententiis, ſed diuinis munita teſtimoniis proferant. Si enim tantus ac tantus Apoſtolus auctoritatem dictorum ſuorum ſufficere poſſe nõ credit, niſi doceat in Lege & Prophetis ſcriptæ eſſe quæ dicit: quanto magis nos minimi hoc obſeruare debemus, vt non noſtras, cum docemus, ſed ſancti Spiritus proferamus ſententias.

Chryſoſtomus in Pſal.95.

Si quid dicitur abſque ſcriptura, auditorumcogitatio claudicat. Verũ vbi è ſcriptura diuinæ vocis prodit teſtimonium, & loquentis ſermoné & audientis animum confirmat. *In 22. cap. Matth.* Quicquid quęritur ad ſalutem, totum iam impletum eſt

tum eſt in ſcripturis. *Et in 24.ca.homil.*49. Cũ videritis hæreſim impiam,quæ eſt exercitus Antichriſti,ſtantem in locis Eccleſiæ ſanctis: tũc qui in Iudæa ſunt conferant ſe ad mõtes:hoc eſt,qui ſunt in Chriſtianitate,conferant ſe ad ſcripturas. Vera enim Iudæa, Chriſtianitas eſt:montes autem ſunt ſcripturæ Prophetarum & Apoſtolorũ. Quare autem in hoc tempore omnes Chriſtiani conferre ſe ad ſcripturas debẽt? Quia in hoc tempore, ex quo obtinuit hæreſis Eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, neque aliud refugium poteſt eſt Chriſtianorum fidei veritatem cognoſcere volentium niſi ſcripturæ diuinę.Antea enim multis modis oſtẽdebatur quæ eſſet Eccleſia Chriſti,& quę Gentilitas.Nunc autem nullo modo cognoſcitur volentibus cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per ſcripturas. Quare? quia hæreſis omnia ſimiliter habet. Volens ergo cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti,vnde cognoſcat in tanta cõfuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per ſcripturas? Sciens ergo Dominus tantam confuſionem rerum in nouiſſimis diebus eſſe futuram, ideo mandat, vt Chriſtiani qui ſunt in Chriſtianitate volẽtes firmitatem accipere fidei,ad nullam rem fugiãt niſi ad ſcripturas.Alioqui,ſi ad alia reſpexerint, ſcandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ ſit vera Eccleſia & per hoc incident in abominationem deſolationis quæ ſtat in locis Eccleſiæ ſanctis. *In.2. ad Corin. homil.*13. Non multorũ opiniones habeamus,ſed res ipſas inquiram⁹.Abſurdũ enim eſt,de pecuniis non credere aliis, ſed ipſas numerare & ſupputare:de rebus autem multo amplioribus aliorũ ſententiam ſimpliciter ſequi:præſertim quum habea-

mus omnium exactiſſimam trutinam, gnomonem & regulam, diuinarum legum aſſertionem. Ideo oro vos omnes, vt relinquatis, quod huic vel illi videatur, & de his ſcripturis omnia inquirite.

Theodoretus lib.1.hiſtoriæ Eccle.cap.7.

Conſtantinus Magnus Imperator in Nicena Synodo Epiſcopos alloquens intulit ſermonẽ de cõcordia: indignum dicens, hoſtibus Eccleſiæ domitis, iam ipſos ſe mutuo impetere, & riſum præbere inimicis, prẹſertim in diſputationibus rerum diuinarum, in quibus doctrinam Spiritus ſancti haberent ἀνάγραπτον., i. in ſcripta, quaſi in acta ſeu acta relatam. Euangelici enim, inquit, & Apoſtolici libri, & antiquorum Prophetarum Oracula, plane inſtruunt nos quid de rebus diuinis ſentiendum ſit. Proinde hoſtili poſita diſcordia, ex dictis diuinitus inſpiratis, ſumamus quæſtionum explicationes.

Athanaſius contra Gentes.

Sufficiunt ſanctæ ac diuinitus inſpiratæ ſcripturæ ad omnem inſtructionem veritatis.

Hilarius lib.3.de Trinitate.

Bene habet, vt iis tantum quæ ſcripta ſunt, contentus ſis. Et lib.7. Non relictus eſt hominum eloquiis de Dei rebus alius præterquam Dei ſermo.

Olympiodorus in Eccleſiaſten, Cap. 8.

Cum ille præceptorum legem tulerit, qui eſt omnium Rex & Dominus, auctoritatem habẽs, neque propterea liceat cuiquam intercedere ac reluctari: ne quæſo vt peruicax contrariam tu legem præceptis feras, rationem curioſius perſcrutando: quare hoc potius quam illud præceperit obſeruãdum. Qui enim ſic locutus fuerit, malignitatis crimine non carebit. Tu vero ſtans in timore ac fide, cura vt quæ præcepta tibi ſunt exequaris.

Damaſcenus de fide Orthodoxa lib.1.cap.1.

Cuncta

Cuncta quæ tradita ſunt vobis & per legem, & Prophetas & Apoſtolos & Euangeliſtas ſuſcipimus, cognoſcimus, veneramur, nihil vltra illa perquirentes. Nam bonus cum ſit Deus, omnis boni largitor eſt: non inuidiæ, aut perturbationi cuipiã obnoxius. Procul enim a diuina natura (quæ & impaſſibilis & ſola bona eſt) faceſcit inuidia.

Tertullianus lib. de præſcriptionibus Hæret.

Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum IESVM, neque inquiſitione poſt Euangelium. *Aduerſus Hermogenem.* Adoro Scripturæ plenitudinem. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum timeat væ illud adiicientibus aut detrahentibus deſtinatum.

III.
IESVITÆ.

SACRA Scriptura in illis, quæ cõtinet & proponit, eſt veluti naſus cæreus non præbens certam aliquam & immotam ſentẽtiam, ſed quæ in quamuis interpretationem flecti poteſt.

In Ieſuitarum cenſura Colonienſi fol. 117. In opere catechiſtico Caniſij fol. 44.

III.
IESVS

SACRA Scriptura eſt firma & immota regula fidei & morum, quæ à nullo quantumuis impio labefactari poteſt.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,
EVANGELISTÆ.

Ivsti ſunt omnes ſermones mei : non eſt in eis prauum quid,neque peruerſum : recti ſunt intelligentibus ſcientiam.Prou.8.

Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperātibus in ſe. Ne addas quicquam verbis illius, ne te redarguat,inueniariſque mendax. Prou.30.

Eloquia Domini,eloquia caſta : argentum igne examinatum,probatum terræ,purgatum ſeptuplū. Pſal.12.Pſal.18.

Lex Domini immaculata ,mandata Domini recta.Pſal.19.Pſal.33.

Viuus eſt ſermo Dei , & efficax & penetrantior quouis gladio,vtrinque incidente , ac pertingens vſque ad diuiſionem animæ,ſimul ac ſpiritus compagumque & medullarum.Hebr.4.

Animalis homo non percipit ea,quæ ſunt Spiritus Dei:Spiritualis autem iudicat omnia ,& ipſe à nemine iudicatur. Nos ſenſum Chriſti habemus. 1. Cor.2.

Si etiam opertum eſt Euangelium noſtrum in iis qui pereunt eſt opertum : in quibus deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium , vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti : qui eſt imago Dei.2.Cor.4.

Habemus firmiorem Propheticum ſermoné,cui bene facitis attendentés,quaſi Lucernæ lucenti in caliginoſo loco,donec dies illuceſcat , & lucifer oriatur in cordibus veſtris:hoc primum intelligétes : quod omnis Prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirata locuti ſūt ſancti Dei homines.2.Pet.1.

PATRES.

Auguſtinus in Pſalm. 118.

Lucer-

Lucerna pedibus meis verbum tuum,& lumen ſemitis meis. Quid eſt hoc verbum, quod ita lumē dicitur,vt lucerna ſit, niſi verbum intelligamus, quod factum eſt ad Prophetas,vel quod prędicatū eſt per Apoſtolos? Non verbum Chriſtus, ſed verbum Chriſti,de quo ſcriptum eſt: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Nam & verbū Propheticum lucernæ cōparans Apoſtolus Petrus Habemus (inquit) certiorem Propheticum ſermonem cui benefacitis intendentes velut Lucernę lucenti in obſcuro loco. Quod itaque hîc ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis: verbum eſt, quod Scripturis ſanctis omnibus continetur. *Lib.1. de Peccatorum meritis & remiſſione, c.22.* Cedamus igitur & conſentiamus autoritate ſanctæ Scripturę, quæ neſcit fallere, nec falli. *De verbis Domini ſecundum Matth. ſermone* 20. Fratres mei, obſecro vos, attendite Scripturas ſanctas, ſi aliquid fefellerunt, ſi aliquid dixerunt, & aliter accidit quam dixerunt, Neceſſe eſt, vt vſque in finem ſic fiat, quemadmodum dixerunt. *Ad Voluſianum, Epiſt.1.*

Hortor vt valeo, vt literarum vere certeque ſanctarum ſtudio te curam non pigeat impendere. Syncera enim & ſolida res eſt, nec fucatis eloquiis ambit ad animum nec vllo linguæ tectorio inane aliquid ac pendilum increpitat. Multum mouet, non verborum, ſed rerum auidum, & multum terret factura ſecurum. *Ad Hieronymum, Epiſt.8.*

Mihi enim videtur exitioſiſſime credi aliquod in libris ſanctis eſſe mendacium, id eſt, eos homines, per quos nobis illa ſcriptura miniſtrata eſt atque conſcripta, aliquid in libris ſuis fuiſſe mentitos. *Ad eundem, Epiſtol. 19.*

Ego enim fateor charitati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hũc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Ac ſi in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mẽdoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem: quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerũt. Nec te mi frater aliquid aliud exiſtimo: prorſus inquam, non, te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis dubitare nephariũ eſt. *Ad Vincentium Donatiſtam Epiſt.* 48. Noli frater contra diuina tam multa, tam clara, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex epiſcoporum ſcriptis, ſiue noſtrorum, ſiue Hilarij ſiue antequam pars Donati ſepararetur ipſius vnitatis, ſicut Cypriani & Agrippini. Primo quia hoc genus literarum ab autoritate Canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tanquam ita ex eis teſtimonium proferatur, vt contra ſentire non liceat, ſicubi forte aliter ſapuerint, quam veritas poſtulat. In eo quippe numero ſumus, vt non dedignemur, etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere: Et ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis reuelauit. Veruntamen in id quod peruenimus, in eo ambulemus, in illa via ſcilicet, quæ eſt Chriſtus. De qua via ita Pſalmus loquitur, Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum. *Contra Donatiſtas*

ſtas de Baptiſmo,cap 3. Quis autem neſciat ſanctam Scripturam Canonicam,tam veteris quã noui Teſtamenti certis ſuis terminis contineri,eamque omnibus poſteris epiſcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit: vtrum verum vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit. Vide præterea, quæ idem Doctor ſcripſit.libro 2.de doctrina Chriſtiana,ca.6.& li.3.cap.26.27.& 28.& lib.3.de peccato,meritis & remiſſ.cap.4.& epiſt.48.& li. de vnitate Eccleſiæ cap.16.& lib.11.de Ciuit.Dei,cap.3.

Greg.in Moral.

Omnem ſcientiam atque doctrinam ſacra Scriptura tranſcendit:vt taceam, quod vera prædicat, quod ad cœleſtem patriam inuitat, quod à terrenis deſideriis cor legentis reuocat, quod dictis obſcurioribus fortes exercet, & paruulis humili ſermone blãditur.Nec igitur clauſa eſt,vt paueſci debeat,nec ſic patet,vt vileſcat:ſed vſu faſtidium tollit,& tanto plus diligitur, quanto amplius meditatur.

Ioannes Maxentius lib.Dial.lib.2.cap.15.

Non eſt ſcriptura diuina ſibi ipſi contraria apud eos qui eam pie intelligunt:ſed illis videtur contraria, qui hæretico decepti ſpiritu, non poſſunt, quæ vera ſunt ſapere.

Hilarius lib.2.de Trinitate.

Quid eſt quod reliquum ſit aut obſcurum? in verbo Dei plena ſunt omnia & perfecta, vt à pleno & perfecto.

Athanaſius in diſputatione habita in Concilio Niceno.

Abſit vt obloquatur homo diuinis & à Deo in-

ſpiratis ſcripturis, quaſi non omnia inter ſe conſonent.

Epiphanius contra Noetianos, hæreſi 57. lib. 2. Tim. 1.

Quam myſtice, quam mirabiliter omnia enarrat diuina Scriptura! *Contra Ariomanitas, hæreſi 69. lib. 2. tomo. 2.* Omnia ſunt clara & lucida, & nihil contrarium, neque mortis complexus ſpeciē habens in diuina Scriptura. Item, Num quod contraria ſibiipſi ſit Scriptura, quæ omnia ſemper vera dicit? abſit. *Contra Audianos, hæreſi 70. lib. 3. tom. 1.* Quęcunque Deus dicit ea vera ſunt etiam ſi fugerint noſtram intelligentiam in paucis ſane dictis. Num quid oppoſitum in diuina Scriptura ſibiipſi? Abſit. Nihil diſcors eſt in diuina Scriptura, neq; oppoſita dictio aduerſus dictionē reperietur. *Cōtra Anomæos, hæreſi 76. li. 3. tom. 1.* Omnia clara ſunt in diuina Scriptura his qui ratiocinatione ſermonem diuinum adire volunt, & non diabolicam operationem in ſeipſis conceperunt, ac ſeipſos in barathrum mortis coniicere conantur.

Lactantius lib. 6. cap. 21.

Num Deus & mentis, & vocis, & linguæ artifex, diſerte loqui non poteſt? Imo vero ſumma prouidentia carere fuco voluit ea quę diuina ſunt, vt omnes intelligerent quę ipſe omnibus loquebatur.

Chryſoſtomus homilia 12, in Geneſin.

Scriptura ſeipſam exponit, & auditorem errare non ſinit. *In Pſal. 95.* Neque oportet quicquam ſine teſtibus dicere, ſolaque animi cogitatione. Nā ſi quid dicitur abſque Scriptura, cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæſitans, & interdum friuolum ſermonem auerſans, interdum vt probabilem recipiens. Verum vbi è Scriptura diuinę vocis prodiit teſtimonium, & loquentis ſermonem & audientis animum confirmat.

Ambro-

Ambroſius lib.2.de paradiſo,cap.3.

In ſcripturis diuinis non facile reprehendimus aliquid, quod intelligere non poſſumus. Sunt enim plurima,quæ non noſtro ingenio metienda ſunt,ſed ex altitudine diſpoſitionis & verbi ſunt æſtimanda.

IIII.

IESVITÆ.

*Qui ſaluam volunt eſſe religionem,omnino debent Laicis interdicere in vniuerſum lectione ſacrarum literarum.*Hæc illi in Articu.1.Cenſ. Colonienſi.

IIII.

IESVS.

QVI ſartam tectam volunt religionẽ & Eccleſiam Dei, omnino debent piis omnibus quicunque ij ſint,lectionem ſacrarum literarum ſedulò commendare.

Teſtes PROPHETÆ, APOSTOLI EVANGELISTÆ.

Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui bene facitis(vos etiam ô Laici) attendentes, quaſi Lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. 2.Petr.1.

Nobiliores (Laicorum) qui erant Theſſalonicæ ſuſceperunt verbum cum omni auiditate,quotidie ſcrutantes ſcripturas, an hæc ita ſe haberent. Act.17.

Verbum Chriſti habitet in vobis, (Laicis Coloſſenſibus) abundanter in omni ſapientia, docentes & commonentes voſmetipſos in Pſalmis, Hymnis, & canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Coloſſ. 3.

Væ vobis Legis peritis, qui tuliſtis clauē ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. Luc. 11.

Et ait Diues: Rogo ergo te Pater, vt mittas eum Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres (Laicos) vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: habent Moſen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit, non Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi, ſi Moſen & Prophetas non audiūt (fratres tui Laici) neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Lu. 16.

Ecce, vir Æthiops, Eunuchus, potens Candaces Reginæ Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas eius: venerat adorare in Hieruſalem, & reuertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legenſque Eſaiam Prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo, accede & adiunge te ad currum iſtum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Eſaiam Prophetam: & dixit, Putas ne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtēderit mihi. Rogauitque Philippū, vt aſcēderet & ſederet ſecum. Locus autem ſcripturę quē legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut Agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuū, in humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius? Reſpondens autem Eunuchus Philippo dixit. Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc, de ſe an de alio aliquo?

Ape-

Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens à ſcriptura iſta Euangelizauit illi Ieſum: & dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, ſi credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum, &c. Act. 8.

Beatus vir, cuius in lege Domini volũtas, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Pſal. 1.

Leges verba legis huius coram omni Iſrael, audientibus eis, & in vnum omnĩ populo congregato tam viris quam mulierib⁹, paruulis & aduenis, qui ſunt intra portas tuas: vt audiẽtes diſcãt & timeant Dominũ Deum veſtrum, & cuſtodiant, impleantque omnes ſermones legis huius. Deut. 31

Non recedat volumẽ legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctib⁹, vt cuſtodias & facias omnia quę ſcripta ſunt in eo. Tũc diriges viam & intelliges eam. Nõ declines à verbis legis huius ad dexteram vel ſiniſtram, vt intelligas cũcta quæ agis. Ioſue. 1.

Scio quod pręcepturus ſit Abraham filiis ſuis & domi ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiãt viam Domini. Geneſ. 18.

Dixit Ioſue ad Moſen, Domine mi Moſes, prohibe eos qui prophetãt. At ille, quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritũ ſuum? Quæ ego teſtificor vobis hodie, vt mandetis ea filiis veſtris cuſtodire & facere & implere vniuerſa, quæ ſcripta ſunt in volumine Legis huius. Num. 11.

Origenes in Exodum homil. 12.

Quid eſt cõuerti? Si omnibus quæ ſunt mũdi & carnis terga vertamus, & ſtudio, artib⁹, mẽte, ſolli-

citudine, verbo Dei operã demus, & in Lege eius die ac nocte meditemur, omiſſis omnib⁹ Deo vacemus, exerceamur in teſtimoniis ei⁹: hoc eſt eſſe conuerſum ad Dominum. Tu ergo ſi volueris filium tuum ſcire literas quas liberales vocant, ſcire Grammaticam, vel Rhetoricam diſciplinam, nunquid non ab omnibus eum vacuum & liberũ reddis? Nunquid non omiſſis cæteris huic vni ſtudio dare operam facis? Pædagogos, magiſtros, libros, impẽſas, nihil prorſus deeſſe facis, quoad vſque perfectũ propoſiti ſtudij opus reportet. Quis noſtrũ ita ſe ad diuinæ Legis ſtudia cõuertit? Quis noſtrum ita operã dedit? Quis tanto ſtudio ac labore diuina quærit ſtudia quanto quæſiuit humana? Et quid conquerimur, ſi quod non didicimus, ignoramus? aliqui veſtrûm vt recitari audierint quæ leguntur ſtatim diſcedunt. Nulla ex his quæ dicta ſunt inquiſitio adinuicem, nulla collatio, nuſquam memoria mandati illius quo te diuina Lex commonet: Interroga patres tuos & dicent tibi: ſeniores tuos & annuntiabunt tibi. Alii nec hoc ipſum quidem patienter expectant vſque quo lectiones in Eccleſia recitentur, Alii vero, nec ſi recitantur ſciũt: ſed in remotioribus Dominicæ domus locis, ſecularibus fabulis occupantur. De quibus ego audeo dicere quod cum legitur Moſes iam non velamen ſuper cor eorum, ſed paries quidã & murus eſt poſitus. Si enim ille qui adeſt, qui audit & intentus eſt, & quæ audit retractat & diſcutit, & quæ aſſequi non poteſt percontatur & diſcit, vix poteſt ad libertatem ſcientiæ peruenire: ille qui abſcondit aures ſuas ne audiat, & terga in faciem legentis obuertit, quomodo dicẽdus eſt habere velamen ſuperpoſitũ cordi, ad quẽ ne ipſum quidẽ velamen literæ quo ſenſus velatur, qui eſt

ſonus

ſonus vocis, acceſſit? *In Leuiticum homil.4.* Ego ſi poſſem die ac nocte in Lege Domini meditari,& omnes ſcripturas memoria retinere,memoriale ſacrificii mei Domino obtuliſſem. Certe ſi non omnia poſſumus, ſaltem ea quæ nunc docentur in Eccleſia, vel quæ recitantur, memoriæ commendemus. *Homil.9.* Chriſtus pro illis exorat tantum qui ſunt ſors Domini,qui eum pro foribus expectant,qui non recedunt à templo,ieiuniis & orationibus vacantes. An tu putas qui vix diebus feſtis ad Eccleſiam venis,nec intentus es ad audienda verba diuina, nec das operam ad implenda mandata, quod poſſit ſors Domini venire ſuper te? Optamus tamen vt vel his auditis operam detis,non ſolum in Eccleſia audire verba Dei,ſed & in domibus veſtris exerceri& meditari inLege Domini die ac nocte:ibi enim Chriſtus eſt, & vbique adeſt quærentibus ſe. Propterea nanque mandatur in Lege vt meditemur eũ cum imus in via,& cum ſedemus in domo,& iacemus in cubili,& cum exurgimus. Hoc vere eſt pro foribus expectare pontificem morantem intra ſancta ſanctorum & effici in ſorte Domini. *In eadem homilia non multo poſt, acerbe in illos inuehitur qui ſcripturas quum legi audiũt,nequaquam, vti par eſt, aduertunt.Tandémque cohortatus ad domandã carnem,& excitandum ſpiritum,iſta de auditione & lectione verbi Dei ſubiicit.* Si ad Eccleſiam frequenter venias,aurem autem literis diuinis admoueas, explanationem mãdatorum cœleſtiũ capias, ſicut cibis & deliciis caro, ita ſpiritus verbis diuinis conualeſcet, ac ſenſibus: & robuſtior effectus carnem ſibi parere coget ac ſuis legibus obſequi.Nutrimenta igitur ſpiritus ſunt diuina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualeſcit, his victor efficitur. Quod quia

non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis. *In 12. cap. epiſtolæ ad Romanos* Statuit Origenes non renouari ſenſus noſtros niſi per exercitia ſapientiæ, & meditationem verbi Dei, & intelligentiam eius ſpiritualem. Et quantum quis quotidie ex ſcripturarum proficit lectione, quantóque altius intellectus incedit, tanto ſemper magis ac magis renouari. *Mox addit* Neſcio an poſſit renouari ſenſus qui piger eſt erga ſcripturas diuinas & intelligentiæ ſpiritualis exercitia, quibus poſſit non ſolum intelligere quæ ſcripta ſunt, verum etiam applicare & manifeſtare diligẽtius.

Euſebius Emiſſenus homil. in Dominic. 4. ab Epiphaniæ ferus.

Hanc conſuetudinem Chriſtiani habere debent vt quotidie ad Eccleſiam veniant, quotidie legant ipſi, vel ſi hoc non valent, alios legentes audiant.

Chryſoſtomus in Geneſin, homil. 29.

Obſecro vt ſubinde huc veniatis, & diuinę ſcripturæ lectionem diligenter auſcultetis: nec ſolum quum huc venitis, ſed & domi Biblia in manus ſumite, & vtilitatem in illis poſitam magno ſtudio ſuſcipite. Inde enim multum lucri naſcitur. Primum enim lectione lingua reformatur: deinde anima pennas aſſumit & eleuatur, iubareque ſolis iuſtitiæ illuſtratur: perque tempus illud ab immundarum cogitationũ illecebris liberatur, multa quiete ac trãquillitate fruens. Inſuper quod ad augẽdas vires corpori, ſenſibilis ille cibus facit, id animæ lectio præſtat. Spirituale enim alimentum eſt, & fortem reddit animam, & conſtantiorem, & magis

magis philoſophicam: non permittens vt ab abſurdis cogitationibus capiatur, ſed leuem & alatam faciens in cœlum ipſum, vt dicitur, transfert. Tantum igitur lucrum, oro ne per negligentiam amittamus, ſed & domi vacemus diuinarum ſcripturarum lectioni, & hîc præſentes non in nugis & inutilibus colloquiis tempus decoquamus: ſed propter quod conuenimus, attendamus quæ legantur, vt maiori inde fructu perſpecto diſcedere liceat. *Et haud multo poſt addit,* Nos ſtudiis ſacris ita debere inuigilare, vt habeamus quæ nō ſolum nobis ſufficiant, ſed & quæ ſuppeditare poſſimus aliis, & vxorem, inquit, corrigendo, & famulos, & vicinum, & amicum, & etiam inimicum. Tales enim ſunt ſpirituales doctrinæ, vt cõmunes omnibus proponantur, nullaque ſit in eis diuerſitas, niſi quando quis magis intentam affert mentem, & feruentiori deſiderio alium tranſcendit. *Idem in Euangelium Iohannis, homil.13.* Pudeat nos & erubeſcamus: quinque virorum mulier, & Samaritana, tantam adhibet in diſcendo diligentiam, vt neque diei tempore, neque aliis occupationibus à Ieſu doctrina abduceretur: nos vero non modo nihil ad diuinarum rerum eruditionem inquirimus, ſed in omnibus ſecure & eodem modo afficimur, propterea omnia negligimus. Quis noſtrum, quæſo, repetita domo, aliquid Chriſtiano dignum opus aggreditur? Quis ſcripturarum ſenſus perſcrutatur? Nemo ſane. ſed alueolos & talos frequenter inuenimus, libros quam rariſſimos: quos ſi qui habent, ac ſi non haberent, clauſos in Scriniis ſeruant, vel omne ſtudium in membranarum tenuitate & in literarũ characteribus quam pulcherrimis conſumunt: non vt legant, non vt vſum inde aliquẽ conſequantur, ſed vt diuitias, vt ambitionẽ oſtentent in his ſtudiis. Tãta eſt inanis

gloria. Nullum ambitioſum audio qui librum intelligat, ſed aureas tātum literas admiratur. Quid quæſo hoc lucri? Non propterea nobis ſcripturæ datæ ſunt, vt in libris duntaxat habeamus, ſed cordi inſculpamus. Itaque hæc librorum poſſeſſio Iudaicæ ambitionis eſt, quibus in literis præcepta data ſunt: nobis non ita, ſed in tabulis cordis carneis. Non autem libros comparari prohibeo: ſed admoneo, & maiorem in modum rogo, vt eos comparemus: ita tamen vt & literas & ſenſus frequenter animo repetamus, & hoc pacto mundus animus efficiatur. *In Epiſtolam ad Coloſſ. homil.9.* Audite, quotquot adeſtis Laici, & vxoribus præeſtis ac liberis, quomodo & vobis potiſſimum præcipiat Scripturas legere, idque non ſimpliciter neque obiter, ſed magna diligentia. Quemadmodum enim diues pecuniarum damnum & noxam ferre poteſt: ita & diues dogmatum philoſophicorum non ſolum paupertatem, ſed & quaſuis calamitates facile feret, illo etiam facilius. *Item.* Neque moreris alium doctorem. Habes oracula Dei. Nemo te docebit quemadmodum illa. Alius tibi multa ſæpe ſiue per vanam gloriam, ſiue per inuidentiam inuidebit. Audite obſecro ſeculares omnes. Comparate vobis Biblia, animæ pharmaca: ſi nihil aliud vultis, vel nouum Teſtamentum acquirite, Apoſtolorum acta, Euangelia, continuos ac ſedulos doctores. *Rurſus ibidem ad patres familias.* Vos oportebat duntaxat à nobis inſtitui, vxores vero & liberos à vobis. At omnia nobis obeunda relinquitis: quapropter & multam ſuſtinemus moleſtiam. Docete, inquit Apoſtolus & admonete vos inuicem pſalmis & hymnis & cantionibus ſpiritualibus. Vbi & Chryſoſtomus ſubiicit, parentum eſſe officium, docere pueros

ſuos

ſuos pſalmos & cantiones ſpirituales.

Hieronymus in 2.cap.Epiſt.ad Titum.

Exerceatur ſenſus, & mens quotidie diuina lectione paſcatur, & quæſtiones noſtræ ſtultæ non erunt. *Idem* autor totus eſt in exhortãdis quam plurimis, etiam virginibus & viduis ad quotidianam ſacrarum Scripturarum lectionem, vt liquet ex eius Epiſtolis ad Demetriadem, Lætam, Saluinam, Furiam, Geruntiam, Celantiam, Euſtochium &c. Lucubrationes etiam aliquot, quibus enarrat pleroſque libros ſacros, Paulæ, Euſtochio & Marcellæ dedicat, cuius facti ſui rationem reddit in præfatione ad Sophoniam Prophetam. *In prooemio lib.3.commentariorum in Epiſt.ad Epheſ. tum ſtatim in ipſa enarratione: ad hæc in cap.10. Eccleſiaſtæ ait,* debere omnes quotidiana Scripturarũ lectione veram comparare ſapientiam, atque indeſinenter in lege Domini meditari. *In expoſit.1. cap.Epiſt. ad Titum,* illos increpat qui rerum diuinarum ſtudioſos quaſi inutiles contemnunt.

Auguſtinus ad Voluſianum, Epiſt.3.

Modus ipſe dicẽdi quo ſacra Scriptura contexitur, quanuis omnibus acceſſibilis, tamen pauciſſimis penetrabilis: ea quæ aperta ſunt, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorũ atq; doctorum. Ea vero quæ in myſteriis occultat, nec ipſe eloquio ſuperbo erigit, quo non audeat accedere mẽs tardiuſcula & in erudita, quaſi pauper ad diuitem: ſed inuitat omnes humili ſermone, quos nõ ſolum manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate: hoc in promptis quod in recõditis habens. Sed ne aperta faſtidirentur eadẽ rurſus operta deſiderantur: deſiderata quodammodo renouantur, renouata ſuauiter intimantur, His

ſalubriter & praua corriguntur,& parua nutriũtur & magna delectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus,qui vel errando neſcit eã eſſe ſaluberrimam,vel odit ægrotando medicinam.

V.

IESVITÆ.

Lectio S. Scripturæ non tantum non eſt vtilis ſed multis modis pernicioſa Eccleſiæ. In cenſura Colonienſi fol.21. Et in opere Catechiſtico Caniſij,fol.301.

V.

IESVS.

Lectio S. Scripturæ vtilis & prorſus neceſſaria eſt omnibus Eccleſiæ Dei membris.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI EVANGELISTÆ.

Qui contemnit verbum,male habebit.Prou.13.

Væ vobis Legis peritis,qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis ; & eos qui introibant prohibuiſtis. Luc.11.

Tunc non confundar, cum reſpexero ad omnia mandata tua. In quo mundam faciet adoleſcentior viam ſuam ? In cuſtodiendo ſermones tuos. Pſal.119.

Iuſti ſunt omnes ſermones mei, nõ eſt in eis prauum quid,neque peruerſum,recti ſunt intelligentibus & æqui inuenientibus,ſcientiam. Prou.8.

Cum prophetia defecerit,diſſipabitur populus. Prou.29.

Non enim me pudet Euangelij Chriſti , potentia

tentia ſi quidem eſt Dei ad ſalutem omni credenti. Rom.1.

Amen, Amen, dico vobis, ſiquis ſermonem meũ ſeruauerit, mortem nõ videbit in æternum, Iohan.8. Matth.5. Luc.16.

Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? Iohan.5.

Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. Matt.22.

Mali homines & ſeductores proficiunt in peius, errãtes & in errorem mittẽtes. Tu vero permane in iis, quæ didiciſti & credita ſunt tibi: ſciẽs a quo didiceris: & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidẽ, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. 2. Tim.3.

Dum venio attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij. Hæc meditare, in his eſto: vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende enim tibi & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. 1. Tim.4.

Moyſes à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne ſabbathum legitur. Act.15.

Omnis qui credit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deũ nõ habet. Qui permanet in doctrina Chriſti, hic & Patrem & Filiũ habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ adfert, nolite re-

cipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. 2.Ioan.

Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Rom.15.

Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ huius: qui ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt. Apocal.1.

Chriſtus reuincit Diabolum per ſcripturas. Matth.4.

Per ſcripturas defendit Chriſtus diſcipulos contra Phariſæos. Matth.12.15.

Non eſt autem ſcriptum propter illum tantum, imputatum fuiſſe illi, ſed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus. Rom.4.

Propter nos hoc ſcriptum eſt. 1.Cor.9.

Scripta ſunt hæc propter admonitionem noſtri, in quos termini ætatum inciderunt. 1.Cor.10.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis. Pſal.119.

Quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit & dat ſemẽ ſerenti & panem comedenti: ſic erit verbum meũ, quod egreditur de ore meo, non reuertitur à me vacuum, ſed faciet, quæcunque voluit, & proſperabitur in iis, ad quæ miſi illud. Iſai.55.

Ecce dies venient, dicit Dominus, & mittam famẽ in terris, nõ famem panis neque ſitim æquę, ſed audiendi verbum Dominĩ. Amos.8.

Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Luc.11.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Ioan.8.

Dabo eos in vexationem, vniuerſis gẽtibus terræ in maledictionẽ, & in ſtuporem, & in ſibilum, & opprobrium cunctis gentibus ad quas ego eieci, eo quod nõ audierint verba mea, dicit Dominus,

quæ

quę miſi ad eos per ſeruos meos Prophetas, de nocte conſurgens, & mittens, & non audiſtis vos. Ierem. 29.

Noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulā recedentes, & aures ſuas aggrauauerunt ne audirent, & cor poſuerunt in adamantem, ne audirent legē & verba quæ miſit Dominus exercituum in ſpiritu ſuo ſancto, per manum Prophetarum piorum: & factum eſt ſicut locutus ſum, & non audierunt: ſic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum. Zach. 7.

Quicunque non receperit vos, neque ſermones veſtros exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij, quam illi ciuitati. Matth. 10.

Abiecerunt legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemauerunt: ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum. Iſai. 5.

PATRES.

Auguſtinus lib. 2. *cap.* 28.

Populi confluunt ad Eccleſias caſta celebritate, honeſta vtriuſque ſexus diſcretione, vbi audiunt quam bene hîc ad tempus credere & viuere debeant, vt poſt hanc vitam beate ſemper viuere poſſint. Vbi ſancta Scriptura iuſtitiæque doctrina, de ſuperiore loco in conſpectu omnium perſonāte, & qui faciunt, audiant ad premium: & qui non faciunt, audiāt ad iudiciū. *Epiſt.* 166. In ſcripturis didicimus Chriſtū, in Scripturis didicimus Eccleſiam. Has Scripturas communiter habemus: quare non in eis & Chriſtum & Eccleſiam communiter retinemus. *In ſermone de ſtudio ſapien-*

tia & meditatione Legis Dei. Adhuc bonũ habemus ſolatium diuinarum lectionis Scripturarũ: quia ſacrarum lectio Scripturarum diuinę eſt pręcognitio non parua beatitudinis. In his enim quaſi in quodam ſpeculo, homo ſe ipſum conſiderare poteſt, qualis ſit, vel quo tendat. Lectio aſſidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia ſuperna cor inſtigat legentes. Qui vult cũ deo ſemper eſſe frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus ipſi cum Deo loquimur: cum vero legimus Deus nobiſcum loquitur. Geminum cõfert donum lectio ſacrarum Scripturarũ, ſiue quia intellectum mentis erudit: ſeu quia à mundi vanitatibus abſtractum hominem ad amorem dei perducit. Labor honeſtus eſt lectionis, & multum ad emũdationem animi proficit. Sicut enim ex carnalibus eſcis alitur caro: ita ex diuinis eloquiis interior homo nutritur & paſcitur, ſicut Pſalmiſta ait: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel & fauum ori meo. Sed ille beatiſſimus eſt qui diuinas Scripturas vertit in opera.

Ambroſius ſermone 35.

Negligit famem corporis qui pabula lectionis intendit, nec vẽtris curam habere poterit, qui alimentũ verbi cœleſtis acquirit. Ipſa eſt enim refectio quæ ſaginat animam, quæ impinguat viſcera, cum de diuinis Scripturis cibum eloquij perennis accipimus. Ipſa eſt eſca quæ vitã æternam tribuit, & inſidias à nobis diabolicæ tentationis excludit. Quod autem ſacrarum literarum lectio vita ſit, Dominus teſtatur dicens, Verba quę ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

Chryſoſtomus in Euangelium Ioan. Homil. 13.

Si in quacunque domo vbi Euangelium eſt illuc diabolus ingredi non audet: quanto minus animã

ei aſſi-

ei aſſiduis lectionibus familiarem, neque dæmon, neque peccatum attinget? Sanctifica igitur animã, ſanctifica corpus. hoc continget, ſi euangeliũ ſemper & animo habueris & lingua. Quod ſi linguæ obſcœnitas animam coinquinat, ſi dæmones vocat: perſpicuum eſt Spirituali lectione eam ſanctificari, & gratiam Spiritus ſancti affatim infundi. Diuini cantus ſunt Scripturæ: hinc nobis & animæ noſtræ affectibus remedium petamus: cuius vtilitatem ſi intueremur, incredibili ei attentione vacaremus. Hæc ego frequenter dico: an non perquam abſurdum eſt, vt fori homines aurigarum & ſaltatorum nomina, genera, ciuitates, actiones, mores, nec non equorum virtutem, & quid ſinguli poſſint, memoriter teneant: qui autem huc ſe conferunt, omnium penitus ignari diſcedant, imo & librorum ſacrorum numerum ignorent? *Homil. 3. de Lazaro.* Semper hortor & hortari non deſinam, vt non hic tantum attendatis iis quæ dicuntur, verum etiam quum domi fueritis, aſſidue diuinarum Scripturarum lectioni vacetis. Quod quidem & iis qui priuatim mecum ingreſſi ſunt non deſtiti inculcare. Ne quis enim mihi dixerit, ſunt frigida illa verba, multa inſunt quæ contemni debeant. Ego forenſibus cauſis affixus ſum, publica gero negotia, artificium exerceo, vxorem alo & liberos, familiæ curam gero, mundanus homo ſum, non eſt meum legere Scripturas, ſed eorum qui vale dixerunt mundo, qui montiũ vertices occuparunt, qui vitã eiuſmodi continenter agunt. Quid ais homo? Nõ eſt tui negotij Scripturas euoluere, quoniã innumeris curis diſtraheris? Imo tuũ magis eſt quã illorũ. Neque enim illi proinde Scripturarũ egent præſidio atq; vos in mediis negotiorũ vndis iactati. Nã qui in deſerto fixere tuguriola, ſunt à foro forenſibuſq; negotiis liberi, neque cũ

quoquam habent commercium, ſed in illa quieta trãquillitate cum omni ſecuritate philoſophãtur, ac veluti in portu ſedentes, rebus vehementer tutis fruuntur. Nos contra velut in medio mari fluctuãtes, innumeriſque, velimus, nolimus peccatis obſtricti, ſemper opus habemus perpetuo iugique Scripturarum ſolatio. Illi ſedent procul à cõflictu, eoque nec accipiũt multa vulnera. Tibi vero, quia perpetuo ſtas in acie, quia frequentes accipis plagas, idcirco magis opus eſt remediis vt quem & vxor prouocat, & filius contriſtat, atque ad iram commouet, & inſidiatur hoſtis, & inuidet amicus, & vicinus inſectatur, & cõmilito ſupplantat, frequenter & iudex minatur, & paupertas eſt moleſta, & domeſticorum amiſſio luctum affert, & proſperitas inflat, & aduerſitas contrahit. Breuiter varia curarum, perturbationis, mœroris, iactantiæ, tumoris, tum occaſio, tum neceſſitas, nos vndique circumuallat, innumeraque ex omni parte tela volitant: vnde neceſſe eſt indeſinẽter à Scripturis armaturam petere. Agnoſce quod in medio laqueorum incedis quodque in pinnaculis ciuitatis ambulas. *Et mox.* Neque nunc fieri poteſt, nõ poteſt, inquam, fieri, vt quiſquam ſalutẽ aſſequatur, ni perpetuo verſetur in lectione ſpirituali. Immo præclare, reuera preclare, inquam, nobiſcum agitur, etiam ſi perpetuo huius medicamenti participes, aliquando ſalutem conſequi poſſumus. Quod ſi quotidie vulneremur, medelam vero nullam adipiſcamur, quæ fuerit ſpes ſalutis? Quemadmodum artifices omnia incommoda ſuſtinẽt potius quam vt ex inſtrumentis artificum quippiam vendere velint: hoc ſane animo nos quoque præditos eſſe oportet. Sicut enim illis artis inſtrumenta ſunt, malleus, incus, forceps, ſic & nobis artis inſtrumẽta ſunt Apoſtolorum ac Prophetarum libri, omniſque

que Scriptura diuinitus inſpirata & vtilis. Et quemadmodum illi per illa inſtrumenta quicquid faciendum ſuſceperint perficiunt: ita ſane & nos per hos fabricamus animam noſtram, deprauatamque corrigimus, & inueteratam renouamus. *Item.* Ne negligamus nobis parare libros, ne circa vitalia vulnus accipiamus. Nec aurum defodiamus, ſed nobis ipſis recondamus Theſauros librorum ſpiritualium. Aurum quidem cum maxime creſcit, tum maximè inſidiatur poſſidentibus: Libri vero repoſiti multam afferent habentibus vtilitatem. Quemadmodum enim arma regalia repoſita, etiã ſi nemo fuerit qui poſsideat, tamen his qui habitant in ædibus, vbi repoſita ſunt, multam præbent cuſtodiam ac tutamen, dum neque latrones, neque parietum perfoſſores, neque alius quiſpiam ſceleratorum audet eam aggredi domum. Sic vbicũque fuerunt libri ſpirituales, illius expellitur omnis vis diabolica multaque inhabitantibus accedit conſolatio. Quandoquidem etiam per ſe librorum aſpectus, ſegniores nos reddit ad peccandum. Siue enim quippiam auſi fuerimus eorum quæ prohibita ſunt, noſque ipſos reddiderimus pollutos, reuerſi domum, cõſpectiſque libris acrius nos condemnat conſcientia, reddimurque cunctatiores ad eadem repetenda. Rurſus, ſi in ſanctimonia perſtiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioreſque. Nam ſimulatque attigit aliquis Euangelium, mox compoſuit ſuam ipſius mentem, & à rebus mundanis abduxit, idque ex ipſo ſolo aſpectu. Quod ſi acceſſerit diligens lectio, nõ aliter quam in ſacris adytis rebus diuinis vacans anima, ſic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipſa per illas Scripturas alloquente. Quid igitur, inquiunt, ſi non intelligamus ea quæ continentur libris? Maxime quidem, etiam ſi

non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia. Quanquã fieri non poteſt vt omnia ex æquo ignores, propterea ſiquidem Spiritus gratia diſpenſauit, quo Publicani, Piſcatores, tabernaculorum opifices, Paſtores, & Apoſtoli, idiotæ, illiterati, PER HOS LIBROS ſalui fierent: ne quis idiotarum ad hãc confugere poſſit excuſationem, vt omnibus facilia conſpectu eſſent ea quæ dicuntur: vt & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctiſſimus, exaudita lectione aliquid lucri vtilitatiſque reportaret. *Iterum.* Cui nõ ſunt manifeſta, quęcunque in Euãgelio ſcripta ſunt? Quis audiens beatos eſſe mites, beatos miſericordes, beatos mũdo corde, cæteraq; huiuſmodi, deſiderabit præceptorẽ, vt aliquid eorũ diſcat quæ dicuntur? Quinetiam ſigna, miracula, hiſtoriæ, nonne cunctis nota manifeſtaq; ſunt? Prætextus iſte eſt & cauſatio, pigritięque velamentũ. Non intelligis quæ inſunt: quomodo poſſis aliquando intelligere, quæ ne leuiter quidem inſpicere velis: Sume librum in manus, lege hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt memoria tenens, ea quæ obſcura ſunt parumque manifeſta, frequenter percurre. Quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad doctorem, communica cum his ea quæ ſcripta ſunt, declara vehemens ſtudium. Et ſi viderit te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, non deſpiciet tuam vigilãtiam ac ſollicitudinem. Verum etiam ſi nullus homo te docuerit quod quæris, ipſe ſine dubio reſerabit. Memento Eunuchi reginæ Æthiopum, &c. *Et mox.* Ne neglexerimus noſtram ſalutẽ dilecti. hæc omnia ſcripta ſunt ad correctionem noſtri, in quos fines ſeculorum inciderunt.

Magna aduerſus peccatum munitio eſt Scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio: magna ſalutis perditio nihil ſcire ex diuinis legibus. Ea res & HÆRESES peperit, ea vitam corruptam inuexit, hoc ſurſum deorſum miſcuit omnia. Nam fieri non poteſt, non poteſt, inquam fieri, vt quis ſine fructu diſcedat, qui aſſidue attenteque Scripturarum lectione fruetur.

Cyrillus de recta fide ad Reginas.

Neceſſarium nobis eſt diuinas ſequi literas, & in nullo ab eorum præſcripto diſcedere. *Cōtra Iulianum lib.7.* Multa damnoſa in libris græcarum diſciplinarum inuenientes, tunc adhuc magis ſacros & diuinos ſermones admiramur. De ſcriptura loquor diuinitus inſpirata Quid enim vtile non inuenitur apud illam? Omnibus aliis Scripturis clarior eſt, in illa diuinæ contemplationis ſermones vere fulgurantes videntur, &c. honeſtæ vitæ nobis modos inducit, legibuſque diuinis & ſacris inſtruit ad iuſtitiam, omniſque æquitatis euidentem nobis vitam conſtituit.

*Hieron. ſuper Pſ.*147.

Pinguiſſimus ſermo diuinus eſt, omnes in ſe habens delitias: quicquid volueris ex ſermone diuino naſcitur, ſicut tradūt Iudęi: quoniā māna quando comedebant, ſecundum voluntatem vniuſcuiuſque ſic ſapiebat in ore. *Ad Demetr. virgin.* Diuinas ſcripturas ſæpius lege, imo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur, in ſcripturis diuinis, per quas ſolas potes plane Dei intelligere voluntatem: prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, ſuaderi nonnulla,

prohibentur mala, pręcipiuntur bona, conceduntur media, ſuadentur perfecta.

Gregor. in moralibus.

Omnem ſcientiam atque doctrinam ſacra Scriptura tranſcendit: vt taceam, quod vera prædicat, quod ad cœleſtem Patriam inuitat, quod à terrenis deſideriis cor legentis reuocat, quod dictis obſcurioribus fortes exercet, & paruulis humili ſermone blanditur. Nec igitur clauſa eſt, vt paueſci debeat, nec ſi patet, vt vileſcat: ſed vſu faſtidium tollit, & tanto plus diligitur quanto amplius meditatur.

Chryſoſt. ſuper Matth. 22.

In ſcripturis enim ignorans inuenit quid diſcat, contumax quid timeat, laborans pręmia, puſillanimis mediocris iuſtitiæ cibos, qui etſi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem magni animi eſt, inuenit ibi ſpirituales eſcas, quæ perducant eum prope ad angelorum naturam: qui vero eſt vulneratus à Diabolo, inuenit ibi cibos medicinales & ſalutem per pœnitentiam.

Iſidorus de ſummo bono. lib. 3.

Geminum confert donũ lectio ſanctarum ſcripturarum, ſiue quia mentis intellectum erudit, ſeu quod a mundi vanitatis abſtractum hominum ad amorem Dei perducit.

Hugo de arca Noe.

Sacra ſcriptura eſt liber vitæ, cuius origo æterna cuius incorporalis eſſentia, cuius cognitio vita, cuius ſcriptura indelebilis, cuius inſpectus deſiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius ſcientia dulcis, cuius profunditas inſcrutabilis, cuius verba innumerabilia, & vnum tantum verbũ omnia.

Idem

Idem Lib. de anima. Nihil in hac vita dulcius ſentitur, nihil auidius ſumitur, nihil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nihil ſic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat & adiuuat ad omne opus, & ad omnem laborem, ſicut ſtudium ſacræ ſcripturæ.

Ambroſius Epiſt. 44. ad Cõſtantium Sacerdotem.

Mare eſt Scriptura diuina, in quod plurima introierũt flumina. Sunt & fluuii dulces atque perſpicui: ſunt & fontes niuei, qui ſaliunt in vitam æternam: ſunt & ſermones boni, ſicut faui mellis: & gratæ ſententiæ, quę animos audientium ſpirituali quodam potu irrigent.

Epiphanius in Anchorato.

Scripturæ vita ſunt noſtra.

Fauſtinus in lib. de fide contra Arrianos.

Scripturæ diuinæ, ob hoc editæ ſunt, vt ſecundum illarum ſenſum noſtram fidem dirigamus.

Clemens in Strom. lib. 6.

Ait ex S. Scriptura manare omnes fontes ſapientiæ, & veritatis ſcopum: nec vtilem ſolum, verum etiam neceſſariam eſſe eius lectionem.

Beda lib. 2. in Marcum cap. 7.

Scripturarum myſteriis humilium ſolent corda refici. Et lib. 1. in Lucam, cap. 24. Si quis non veſcitur verbo Dei, iſte non viuit. Idem lib. 1. in Cãtica cantic. Huius ergo lacte doctrinæ vitam æternam cõferente, prædicta vbera dilectæ Eccleſiæ Chriſti Domini noſtri manantia, de cuius pectore lacteo

vitam æternam, quã Adam perdiderat, per cando rem doctrinæ in Apoſtolis infuſæ, quaſi per vbera in credentibus ſuſcipit Eccleſia: & ſuis poſteris, quaſi ex lacte butyrum effectum, per interpretationem ſermonis quotidie porrigi. Quibus alimentis Apoſtolica doctrina cũ inuenerit magiſtrum, declaratur intra ſe contineri indiuiduam Trinitatem. Quibus alimentis niſi indeſinenter vſa fuerit anima, non poterit viuere in æternum.

Albinus in 3. cap. Eccleſ.

Letari debemus in lectione ſanctarum ſcripturarum, vbi paſcamur & potemur de ligno vitæ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.

Carolus magnus, in opere contra Synodum Græcam de imaginibus, lib. 2. cap. 30.

Non ait Paulus Apoſtolus, Quæcunque picta ſunt ad noſtram doctrinã picta ſunt, ſed ait, quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus ad Deum. Nec ait, Omnis pictura, ſed omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, &c. *Item.* Apoſtoli nõ imagines, ſed epiſtolas ad diuerſas mundi partes deſtinaſſe leguntur: nec per picturas genus humanum ab idolorum cultibus ad veræ fidei puritatem reuocauere, ſed per Scripturas: quibus etiam redemptor ſenſum aperuit, non vt intelligerent picturas, ſed vt intelligerent Scripturas. *Item.* Non picturæ ſed Scripturæ ad noſtræ fidei eruditionem ſunt conceſſæ. In illis inueniuntur arma, quibus cõtra aduerſa cõfligatur, quibus vitia corrigantur, quibus virtutes erigantur. In illis inueniuntur inſtrumenta & fructus iuſtitiæ. in illis inuenitur medela calamitatum & vitiorum, norma

omnium

omnium vitę partium,& cuiuſcunque vocationis hominum. Et vt cuncta breuiter complectar, in illis & animæ perpetuus cibus,& præſentis vitæ doctrina & ſapientia, & vitæ perpetuæ documenta continentur. Eſt enim theſaurus nullo bono carens, omnibus bonis redundans: ad quem quiſquis deuotus accedit, quicquid fideliter quærit, feliciter ſe adquiſiſſe gaudet. Eſt plane diuina ſcriptura verax, eſt fixa, eſt caſta, eſt cœleſtis magiſterii inſtrumentum, & æterna prædicatio puriſſimo nitens eloquio. Eſt lux mortalium, dicente Propheta, Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis: eſt viuax & mori neſciens, dicente Apoſtolo, Viuus eſt Dei ſermo & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus: eſt tenebrarum diſcuſſio, Salomone adteſtante, qui ait, Lucerna eſt mandatum Legis, &c. *Item.* Tu qui fidei tuæ puritatem in imaginibus conſeruare te dicis, ſupplex eis adſtare memento cum thymiamatibus: nos pręcepta Domini ſolerti indagatione perquiramus in diuinæ Legis codicibus. Tu luminaribus perluſtra picturas: nos frequentemus diuinas ſcripturas. Tu fucatorum venerator eſto colorum: nos veneratores & capaces ſimus ſenſuum arcanorum. Tu depictis demulcere tabulis: nos diuinis mulceamur alloquiis. Tu figuris rerũ inſta, in quibus nec viſus, nec auditus, nec guſtus, nec odoratus, nec tactus eſt: nos inſtemus diuinæ Legi quæ eſt inreprehenſibilis, in qua teſtimoniũ Domini, iuſtitiæ ſiue præcepta, timor ſiue iudicia eius inueniuntur, &c.

DE PECCATO

CAP. SECVNDVM.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

Peccatum eſt non quicquid legi Dei repugnat. In Cenſura Colon. fol. 44.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Peccatum e quicquid legi Dei repugnat.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Quiſquis committit peccatum, legem tranſgreditur: Nã peccatũ eſt Legis tranſgreſſio. 1. Ioan. 3.

Per legem cognitio peccati. Rom. 3.

Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: ita mors in omnes homines pertranſit quia omnes peccauerunt. Ro. 5. 6.

Vir Dei, comedens contra præceptum panem in loco vetito ipſi, deuoratur à Leone. 1. Reg. 13.

Saul tranſgrediens præceptum expellitur de regno. 2. Sam. 15.

Ionas abſorptus eſt à piſce, quia contra præceptum fugerat à facie Domini. Ion. 1. 2.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit, ſed

ſed peccatum non cognoui, niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam,niſi Lex diceret. Non concupiſces. Occaſione autem arrepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem cõcupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum:(Lex) peccatum reuixit. *Et ſtatim*: Scimus enim quod Lex ſpiritualis eſt: Ego autem carnalis ſum, vęnundatus ſub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quia bona eſt. Nunc autem iam nõ ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatũ. Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum. Rom. 7.

Anima quæ peccauerit per ignorantiã, feceritq; vnũ ex his, quæ Domini Lege prohibẽtur. Leuit. 5.

Ipſi vero orabunt pro peccatis ſuis eo quod abiecerint iudicia mea & leges meas deſpexerint, Leuit. 26.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad filios Iſraël, vir ſiue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebũtur peccatum ſuum. Num. 5.

Quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum, propter hoc maledictio vorabit terram. Iſa. 24.

Si perſonam accipitis, peccatum operamini, redarguti à Lege vt tranſgreſſores. Iac. 2.

Audi terra,ecce ego adducam mala ſuper popu lum iſtum,fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & Legem meam proiecerunt. Iere.6. Dixit Dominus:Quia dereliquerunt Legē meam quam dedi eis,& nō audierunt vocem meā, & non ambulauerunt in ea: & abierunt poſt prauitatem cordis ſui & poſt Baalim,&c.Ierem.9.

His teſtimoniis confirmatur definitio peccati, quod ſit Legis tranſgreſſio,&c.

Innumera alia ſunt; Hier. 44. Ezech.22.Deut.9. Oſeæ.8. Amos.2. Sophon.3.Zach.7.&c. quæ omnia euidentiſſime demonſtrant peccatum id eſſe, quic quid Legi Dei repugnat.

PATRES.

Auguſtinus lib.contra Fauſtum Manich.22. cap.27.tom.6.& citatur a Petro Lombardo, lib.2. Diſtin.35.

Poſt hæc videndum eſt,inquit Lombardus,quid ſit peccatum. Peccatum eſt, vt ait Auguſtinus,omne dictum vel factum, vel concupitum,quod fit contra Legem Dei.

OEcumenius in Epiſt.1.Ioan.cap.3.

Sciendum autem eſt pecca tum,id eſt, ἁμαρτίαν, eſſe delapſum a bono:iniquitatem vero(id eſt,ἀνομίαν) Legis poſitæ violationē, quaſi illegalitatem dixeris:atque originem vtriuſque horum eſſe, cū a bono excidimus,vel poſitam legem violamus:in idem vtrunque conuertere: quippe cum & qui peccat, naturali fine & ſcopo fruſtretur, quod eſt ex ratione vitam traducere: & qui inique ſe gerit, contra legem in natura datam incontinenter viuendo faciat.

Theodoretus definit

Peccatum, cuiuſdam Legis tranſgreſſionem ſpontaneam ſignificare.

Cyrillus

Cyrillus lib.9.cap.4.in Iohan.

Peccatum a contemptu mandatorum originem trahit,

Anshelmus lib.1.cur Deus homo,cap.11.

Si Angelus & homo ſemper redderet Deo,quod debet, nunquam peccaret. Non eſt itaque aliud peccare,quam Deo non reddere debitum.

Rupertus lib.1.in Leuit.cap.32.

Peccatum eſt quippiam, quod Domini Lege prohibetur, feciſſe:delictum vero quidlibet eorũ, quæ iubentur,neglexiſſe.

II.

IESVITÆ.

Hoc proprie vocatur peccatum, quod libera voluntate & à ſciente committitur.

Item, peccatum tam eſt voluntarium, vt ſi voluntas non foret, peccatum non eſſet. In cenſura folio 44.& 46.

II.

IESVS.

Peccatum eſt ἀνομία, hoc eſt, quod Legi diuinæ non eſt conforme, ſed ei repugnat, ſiue ſit defectus, ſiue deprauatio in natura rationali, ſiue actio repugnans Legi Dei.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Anima,quæ peccauerit per ignorantiã,feceritq; vnum ex his,quæ Domini Lege prohibẽtur & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuã, afferet arie-

tem immaculatum de gregibus, ſacerdoti, iuxta menſuram æſtimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit: & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino. Leuit. 5.

Quod ſi per ignorantiam præterieritis quicquã horum, quæ locutus eſt Dominus, offeretis vitulũ de armento. Quod ſi anima vna neſciens peccauerit, offeret capram aniculam. Num. 15.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Pſal. 19.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis meis concepit me mater mea. Pſal. 51.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Pſal. 25.

Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. Luc. 23.

Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri: Deus autem, qui prænuntiauit per os omnium Prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit. Pœnitemini igitur & cõuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Act. 3.

Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, vænundatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod volo illud facio: conſentio legi, quia bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud: ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod volo malum hoc ago. Si autem quod volo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum, Rom. 7.

Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Rõ. 3.

Concluſit enim Deus omnes in incredulitate, vt

omnium

omnium miſereatur. Rom. 11.

Quemadmodum per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac propter peccatum mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Rom. 5.

Sicut per vnius delictum propagatum eſt malũ in omnes homines ad condemnationem. Ita per vnius iuſtificationẽ propagetur bonum in omnes homines ad iuſtificationem vitę. Quemadmodum enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſumus multi: ita per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi. Rom. 5.

PATRES.

Greg. in hom. & ponitur de pœnit. lib. 2.

Peccatũ tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut ſtudio perpetratur. Et grauius eſt quidem infirmitate, quam ignorantia; ſed multo grauius ſtudio, quam infirmitate peccatur.

Bern. de diuerſis generibus peccati, in quibuſdam ſententiis.

Quartum peccatum commiſit Adam, qui conſenſit. Adam enim (ſicut ait Apoſtolus) non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in pręuaricatione fuit, Illa per ignorantiam: iſte peccauit per infirmitatem.

Baſilius in ſermone in principium prouerbiorum.

Peccatorum aliqua inuoluntaria ſunt, aliqua vero ex mente praua proueniunt.

Theodulus in cap. 7. ad Rom.

Fere enim præter voluntatem meam ad malum accipior, vt adeo totum peccatũ ſit ex dæmonibus

ſuggerentibus.Iſti enim ſimulac exiguum loci occupauerunt,totum ſubuertunt.

Rupertus lib.12.Com.in Apocal.cap.22.

Tribus modis peccatur,ignorantia,infirmitate, & ſuperbia.

OEcumenius in Epiſt.ad Rom.cap.7.

Non, inquit,noui,quomodo decipiar ac rapiar ad peccatum:furtim,inquam,rapior, vt propemodum me lateat,quid nã patiar. *Et ſtatim ex Photio.* Poſtquam venditus fuerit homo, & factus ſub peccatum, ignorat quidnam operetur,cõſuetudine turpitudinis in eum abſolute dominante,& ne videre aut cognoſcere quidem permittente,quod illud idem quod agit,malum ſit. Ea propter etiam quod odiſſet, ſiquidem non venditus;ſed liber eſſet, & quod profecto nulla ratione probaret hoc venditus iam eligit & perpetrat.Quod ſi liber eſſem & non venditus, & iuxta naturæ inſtinctum nullo modo eligerem, quæ nunc opere patro, teſtimonium perhibeo legi,quod bona ſit. Ea namque mihi vitanda decernit,quæ ipſe quoque, ſi in libertate eſſem naturali, iudicaſſem cum fugienda,tum odio proſequenda.Nunc vero,inquit,venditus, ac ſub peccato prolapſus, quaſi ab illo per autoritatem & dominationem preſſus,ſeruiens illi,ita malum operor:quod nequaquam operarer,ſi in libertate eſſem. Propterea modo quodam non ego ſum, qui illud operor: verum is, qui peccati dominio premitur & tenetur. *Et mox.* Ait itaque. Non habitat in me bonum: non eſt certum & determinatum, neque neceſſitate vlla ſitum in me, hoc nempe, vt bona perſeqtar,ita vt etiam me vi quadam ad mala pertrahat. Id enim eſt habitatio, perpetua manſio,ac veluti conſeſſio ac reſidentia,

Et ſta-

Et ſtatim, Voluntas quidem eſt mihi, non autem facio ob celerem peccati corruptionem ac raptũ. Corripit enim me & ita furatur, vt non ea peragã, quæ à me laudantur, ſed quæ potius vituperantur. *Et ſubiungit ex Paulo.* Oſtendit tantam eſſe peccati deceptionem ac fraudem, eiuſque perſuaſionem, quod, inquit, ſtudium mihi eſt faciendi bonũ & nihil agendi malum: nihilominus me concupiſcentia inuadit, captiuum me ducens, ac perſuadens, vt quæ mihi placuerunt poſthabeam, conatuſque meos bonos intermittã, & quæ ipſius ſunt perpetrem. Fere enim præter voluntatem meam ad malum rapior, vt totum peccatum ex dæmonibus ſuggerentibus ſit. *Et paulo poſt.* Difficilem eſſe peractu legem relinquitur, quãdoquidem volens etiã facere bonum, nõ poſſum: inuenio ipſam haud facile poſſe ſeruari. Nam volenti mihi facere bonum, malum eſt magis in procinctu: vel, quia & legi, & voluntati meæ malum reſiſtit. Patrocinari itaque bonis, lex inuenitur.

Baſilius in Regulis contractis, quæſtione 81.

Differt peccatum religioſi hominis & contemptoris. Nam religioſus, cum ſit timens Dei, ac certet & luctetur pro beneplacito Dei obtinendo, caſu fit & fere contra animi ſententiam, vt impingat & labatur. Contemptor vero ille, nullam habens nec ſui ipſius, nec Dei rationem, nec quicquam diſcernens inter peccatum & recte factum, ſicut indicat ipſum nomen adiaphoros primariis ac magnis malis laborat: aut contemptu Dei, vel quod non credit eſſe Deum. Nam iſta duo cauſam dant animæ ad peccatum.

Greg. in Pſal. pœnitentiales.

Tribus modis admittitur peccatum. Aut ignorãtia incurritur, aut infirmitate committitur, aut ſtu-

dio perpetratur.

Macarius, homilia 27.

Quando quidam ſunt, qui peccato vitioque laborant ex propoſito: quidam autem pręter propoſitum. Quid vero ſibi volunt iſta? Ex propoſito vitioſi ſunt hi, qui ſuam ipſorum voluntatem vitio tradiderunt, delectantur cum illo, amicitiamque contrahunt. Huiuſmodi cum Satana pacem habẽt, nec in cogitationibus bellum gerunt cum Diabolo. Qui vero præter propoſitum, hi habent quidem apud ſe peccatum, ex aduerſo pugnans in membris eorum, ſecundum Apoſtolum. eſtque nebuloſa vis atque caligo præter votum, non tamen conſentiunt in cogitationibus, nec condelectantur, aut obtemperant, ſed contradicunt, faciuntque, & ipſi ſibi ſuccenſent.

III.
IESVITÆ.

POST ſuſceptum Baptiſmum peccatum in renatis nullum remanet, ſiue quod apertum ſit, ſiue etiam quod tegatur, vel operiatur. Hęc illi in Cenſ. Col. fol. 40. & 194.

III.
IESVS

POST ſuſceptum Baptiſmum peccatum in renatis remanet: Sed non imputatur propter Chriſtum.

Teſtes
PROPHETÆ, APOSTOLI,
EVANGELISTÆ.

BEATI quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata. Beatus vir cui nõ imputauit Dominus peccatũ, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Pſ. 31.

Si

Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt. Pſ.130

Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Pſal.143.

Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius. Rom.6.

Baptizati, mortificate membra veſtra ſuper terram. Coloſſ.3.

Peccatum non cognoui, niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret. Non concupiſces: Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem cōcupiſcentiam. Rom.4. 7.

Si dixerimus, quoniam peccatum nō habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus; quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis. 1. Ioan. 1.

Non eſt enim homo, qui non peccet. 1. Reg. 8.

Nō eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccle.7.

Quis dicet: purum eſt cor meum, mundus ſum à peccato? Prou.20.

Cum oratis (vos ſancti Apoſtoli, & cæteri fideles) dicite: Pater, ſanctificetur Nomē tuum. &c. Et dimitte nobis peccata noſtra: ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Luc.11.

Nullus apud te per ſe eſt innocens. Exod. 34.

Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam. Iſai.53.

Huc pertinent exempla Ionæ detrectantis mādatum Domini, vt Niniuitis concionaretur: Item indigne ferentis, quod Deus pœnitentibus miſe-

ricordiam exhibeat. Similiter & Zebedei filiorum de primatu diſceptantium. Matth. 20. Mar. 10. Item, Petrus negat Chriſtum. Ioan. 18. 3. Reg. 11. Salomon Idololatra. Et: Dauid adulter & homicida. Moſes & Aaron circa aquam contradictionis non fidunt Domino. Num. 20. Noha inebriatur & nudatur. Geneſ. 9. Loth concumbit cum filiabus inebriatus. Geneſ. 19. Iudas & filij eius, Simon cum Leui occidunt Emor in Sichem & Sichemitas. Geneſ. 31 Patriarchæ machinantur in necem Ioſeph. Geneſ. 37.

PATRES.

Auguſtinus ad Innocentium Papam Epiſtola 95.

Omnes tunc ſacerdotes neceſſe habebāt ex lege Dei primitus pro peccatis ſuis offerre ſacrificium: deinde pro populo: ſicut nunc per orationis ſacrificium conuincimur non eſſe ſine peccato, quoniam iuſſi ſumus dicere, dimitte nobis debita noſtra. *Idem ibidem.* Nobis ſufficit, quod nullus in Eccleſia Dei fidelium reperitur in quolibet perfectus ea excellentia atque iuſtitia, qui ſibi audeat dicere non neceſſariam precationem orationis dominicæ, dimitte nobis debita noſtra, & dicat ſe non habere peccatum, ne ſeipſum decipiat, & veritas in eo non ſit, quamuis iam ſine querela viuat. *Idem ad Hieronymum Epiſtola* 29. Itaque & non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens, & tamen iuſtus ex fide viuit, & induti ſunt ſancti iuſtitia, alius magis, alius minus; nemo hic viuit ſine peccato, & hoc alius magis, alius minus: optimus autem eſt qui minimum. *Idem ibidem.* Et vt generaliter breuiterque complecta-

plectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad recte viuendum attinet. Virtus eſt charitas, qua id, quod diligendum eſt, diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla eſt, pleniſſima vero, quæ iam non poſſit augeri, quam diu hic viuit homo, eſt in nemine: quandiu autem augeri poteſt, profecto illud quominus eſt, quam debet, ex vitio eſt, ex quo vitio non eſt iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet, ex quo vitio non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens. Propter quod vitium ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere, Dimitte nobis debita noſtra, cum iā omnia in baptiſmo, dicta, facta, cogitata, dimiſſa ſunt.

Hieronymus lib.2. aduerſus Pelagianos, Pſalm.32.

Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu dimiſiſti impietatem cordis mei. Pro hac (impietate) orabit ad te omnis ſanctus &c. Si ſanctus eſt, quomodo orat pro iniquitate? Si iniquitatem habet, quomodo ſanctus appellatur? Iuxta illum videlicet modum, qui & in alio loco ſcribitur, Septies in die cadit iuſtus, & reſurget. *Et ibidem paulo infra.* Certo iuſtus eſt, qui in die iudicii vix ſaluatur. Saluatur autem facile, ſi nihil in ſe haberet maculæ: ergo iuſtus eſt in eo, quod floret multis virtutibus, & vix ſaluatur in eo, quod in quibuſdam Dei indiget miſericordia.

Auguſt. contra duas Epiſt. Pelag. lib.3. cap.3.

Baptiſmus igitur abluit quidẽ peccata omnia, prorſus omnia, factorum, dictorum, ſiue originalia, ſiue addita, quæ ignoranter, ſiue quæ ſcienter admiſſa ſunt: ſed non aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonem luctatur. Conſentit autem, quãdo ſicut homo in aliquo delicto præoccupatur. *Idem de vera & falſa pœnit. cap.* 4. Qui Petrum lachrymãtem ſuſcepit: Remiſſionem non negauit Baptizatis. Iam enim audierat: Tibi dabo claues regni cœlorum: qui licet poſtea Dominũ negauerit, & à ſe amicos Chriſti excommunicauerit, per pœnitentiam & amaros fletus veniam recuperauit. *Ibidem cap.* 5. Scimus autem & primos Patres: & in omni tẽpore Eccleſiam Dei ſemper vſque in ſeptuagies ſepties, quod eſt ſemper, peccata dimittere. Quam poteſtatem iſti (Hæretici quidam) ab Eccleſia Dei conantur auferre. Oportet enim ſic Eccleſiam credere, quæ confitetur ſe ſæpe peccare. Negant enim veritatem in ſe eſſe, qui ſe abſque peccato audẽt iactare. In multis enim offendimus omnes, nec infans vnius diei abſque peccato ſuper terrã eſſe poteſt. Quapropter eliminandus eſt iſte error ab Eccleſia, quæ nunquam negat pœnitentibus indulgentiam. Non enim inquirit, quid Apoſtolus ſenſerit, qui dixit, nihil mihi cõſcius ſum, ſed in hoc nõ iuſtificatus ſum. Scimus enim & iuſtis peccata ſolere contingere. Non ſe confirmabat abſque peccato, qui ſe nouit indiſſolubili vinculo charitatis Chriſto coniunctum. Niſi enim ſciret ſæpe iuſtos ad veniam venire: quomodo dubitaret ſe peccare, qui ſe ſciebat ſpiritũ Dei habere, & intẽtione mũdiſsima ei ſeruire? Cur enim Dominus Petri pedes lauiſſet, & Eccleſiam hoc idem docuiſſet, niſi quia quotidiana eſt offenſio, oportet, vt ſit quotidiana etiam

na etiam remiſſio? Cur docuiſſet ipſe Dominus orantes dicere: Dimitte debita noſtra, niſi ipſe miſericors perſeueraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere? Nullus itaque tantum vnquam poſſet peccare, quod pœnitens velit deſperare. *Idem de fide ad Petrum.* Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, etiam iuſtos atque ſanctos homines, exceptis his, qui Baptizati paruuli ſunt, ſine peccato hîc neminem viuere poſſe. *Idem in Pſal.* 38. Nemo ſe dicat perfectum hîc, decipit ſe, fallit ſe, ſeducit ſe, non poteſt hic habere perfectionem. Multa quidem tranſiliui, ſed ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt. Multa tranſiliui, ſed adhuc tundo pectus, & dico: Dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Idem ad Seleucianum Epiſt.* 108. Agunt etiam homines pœnitentiam, ſi poſt Baptiſmum ita peccauerint, vt excommunicari & poſtea reconciliari, mereantur: ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui proprie pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia locutus eſt Apoſtolus Paulus, vbi ait: ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui antea peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, ſuper immundicia & luxuria & fornicatione, quam egerunt. Neque enim ſcribebat iſta, niſi eis, qui iam baptizati fuerant. Habemus etiam in actibus Apoſtolorum, Simonē iam baptizatum, cum pecunia vellet emere, vt ei per impoſitionem manus eius, daretur Spiritus ſanctus, admonitum à Petro, vt de hoc graui peccato ageret pœnitentiam. Eſt enim pœnitentia bonorum atque humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita

noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Neque enim à nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in Baptiſmo, ſed illa vtique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parua, tamen crebra ſubrepunt, quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, ſicut vnum aliquod grande peccatum. *Idem de Nupt. & concup. ad Valer. lib. 1. cap. 25.* Reſpondetur, dimitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas noſtra. *Et de Baptiſmo paruulorum & legitur de conſecrat. diſt. 4. cap. per Baptiſmum.* Per Baptiſmum id agitur, vt caro peccati euacuetur, non autem ſic euacuetur, vt in carne concupiſcentia innata non ſit, ſed ne obſit.

Ioannes Caſſianus collatione 22. cap. 13.

Cæterum iuſtos & ſanctos non eſſe immunes à culpa, manifeſte ſcriptura pronuntiat. Et tamen cum dicatur ſepties cadere, nihilominus pronuntiatur iuſtus, nec iuſtitiæ eius præiudicat lapſus fragilitatis humanæ. Quia multum intereſt inter ſancti & peccatoris hominis lapſum. Aliud eſt enim admittere mortale peccatum, & aliud eſt cogitatione, quæ peccato non caret, præueniri vel ignorantiæ, vel obliuionis errore.

Methodius in ſermone de Reſurrectione.

Viuente adhuc corpore, antequam moriatur, neceſſe eſt ſimul viuere peccatum, intus in nobis radices ſuas abſcondens, etiam forinſecus per caſtiga-

caſtigationum & admonitionum ſectiones fuerit refrænatum. Alioqui poſt illuminationem non contingeret nos iniuſta facere, vtpote peccato penitus ſynceriter à nobis ablato. Nunc vero etiã poſtquam credimus & ad aquam purificationis deuenimus, ſæpe in peccatis reprehendimur. Nemo enim ſic ſeipſum a peccato alienũ eſſe iactet, vt neque omnino in animo de iniquitate cogitet. Quare conſtat, contrahi quidem ac ſopiri per fidem nunc peccatum, vt ne fructus noxios producat: non tamen radicitus tolli.

Cyprianus ſermone de tentatione Chriſti.

Fuerunt & ante Chriſtum viri inſignes, & Prophetæ & Sacerdotes, ſed in peccatis concepti & nati, nec originali nec perſonali caruerunt delicto: & inuenta eſt in omnibus vel ignorantia, vel inſufficientia, in quibus erronei peccarunt, & eguerũt miſericordia Dei, per quam reſtituti Deo, gratias egerunt, & ad plenitudinem iuſtitiæ multum ſibi deeſſe confeſſi ſunt: & ſperantes in Deo nullam ſibi ſoliditatem attribuere præſumpſerũt.

Origenes hom. 21. in Ioſuam.

Renatis nullis, ait, etiamſi ad ſummum factum veniant, tantum puritatis in corde euenit, vt nunquam aduerſæ cogitationis contagione maculentur. *Item Homilia 10. in Numeros.* Sanctos, ait, nõ eſſe ſine peccato. Sic *Caſſiodorus* in cap. 4. Canticorũ. Item in Pſa. 118. Et *Gregor.* in 14. ca. Iob. li. 11. c. 4. & in Ezech. li. 2. ho. 20. Omnis anima, ait, quæ etſi malum opus non agit, polluta tamen cogitatione ſordeſcit. Et lib. 5. in 13. cap. 1. Regum: Innu-

merabilia ſunt (peccata ait) quæ cogitando, loquendo, viuendo, guſtando, & audiendo, & operando committimus. Item in 7. cap. Iob. lib. 8. cap. 9. Et in lib. 2. in cap. 2. 1. Regum: Sine peccato, ait, electi etiam viri eſſe non poſſunt. Item lib. 5. in cap. 14. 1. Regum ſimilia docet. Cæſarius Homi. 35 Nullus ſine peccato eſſe poteſt. *Beda* lib. 2. in Prouerbia Salomon. cap. 26. Et in 129. Pſal. Nec Sanctus, ait, quiſquam in carne cõſtitutus, peccata ad integrum cauere poteſt. Idem in Pſal. 118. in Samuelem lib. 2. cap. 2. *Albinus* in 2. Pſa. pœnitentialem.

Macarius Homilia 15.

Quod ſi perſeueres dicere, per aduentum Chriſti damnatum eſſe peccatum, nec poſt Baptiſmum vitium habere, vbi paſcatur, aut colloquatur in corde: ignoras, quod ab aduentu Domini ad hoc vſque tempus baptizati ſunt, & nihilominus interdum praua cogitauerunt. Nonne ex illorum numero quidam conuerſi ſunt ad vanam gloriam, ſtuprum, aut ingluuiem? porro an omnes ſeculares qui verſantur in Eccleſia, puro & irreprehenſibili corde ſunt? An non reperimus poſt Baptiſmum multa committi peccata, ac pleroſque delinquere? Poſt Baptiſmum igitur pabulum habet prædo, & ingredi poteſt, & agere quod libuerit. *Et ſtatim.* Poteſt ne labi vir, habens donum gratiæ? Reſponſio. Vtique labitur, ſi negligat. Nam hoſtes nunquam quieſcunt, nec mouere bellum dubitant. *Et Homil.* 8. Quod ſi quiſpiam requieſcit in gratia, & pertingit ad Myſteria & reuelationes, ad multam denique dulcedinem gratiæ: nihilominus intus adhuc habet peccatum.

Auguſtinus contra Iulianum, variis in locis.

Libro

Libro 2.ex Ambroſio Auguſtinus vocat vitia noſtra quæ legi mentis ex lege peccati reſiſtunt. Illorum reatus quidem in Baptiſmo periit, infirmitas vero manſit. Ibidem Ambroſius dicit, quandam delectationem eſſe mandato diuino aduerſam, & de illa Paulum loqui cum inquit, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis m eæ. Hilarius vocat corpora noſtra omnium vitiorum materiam: Mala quæ in nobis ſunt, malitiá per conditionem originis. Et vbi expreſſe de renatis qui concupiſcentiæ repugnant loquitur, inquit, Memores illa ipſa corpora noſtra omnium vitiorum eſſe materiam; per quæ polluti & ſordidi nihil in nobis mundum, nihil innocẽs obtinemus. Et *Cyprianus* apud eũdem Auguſtinum malis motibus de origine venientibus fortiter reſiſtens, inquit, Ne quiſquam ſibi de puro a que immaculato pectore blandiatur vt innocentia ſua fretus, medicinam non putet adhibendam eſſe vulneribus, cum ſcriptum ſit, Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis? Si autem nemo ſine peccatis eſſe poteſt, quiſquis ſe inculpatum eſſe dixerit, aut ſuperbus aut ſtultus eſt, &c. Auguſtinus etiam hanc *Hilarij* ſententiam citat, nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos eſſe non poſſe, niſi per ablutionem cœleſtis miſericordiæ emundationem conſequamur, poſt demutationem reſurrectionis terreni corporis noſtri e ffecta glorioſiore natura. *Item*, Ipſis apoſtolis, verbo licet iam fidei emundatis atque ſanctificatis, non deeſſe tamen malitiam per conditionem communis nobis originis, docuit, dicens, Si vos cum mali ſitis, &c. *Eodem lib.*2. Lex peccati repugnans legi mentis, quæ in tanti quoque Apoſtoli membris erat, remittitur in baptiſmate, non finitur. *Lib.*5.*cap*.3.

Quia Auguſtinus antea diſputauerat, concupiſcētiam in renatis non eſſe vere peccatum, ſed pœnam peccati, Iulianus hæreticus hoc arripuit & dixit, Non ergo vituperanda, ſed potius laudanda eſt illa inobedientia carnis, ſi pœna peccati eſt. Reſpondet Auguſtinus quædam ſimul eſſe & peccata & pœnas peccatorum: quod illuſtrat hoc exemplo: Sicut cæcitas cordis peccatum eſt quoniam in Deum non creditur, & pœna peccati qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur: & cauſa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Eandem dicit etiam eſſe rationem concupiſcentiæ carnis. Quid vero, inquit, illa eſt concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus? Pœna eſt peccati quia reddita eſt meritis inobedientis. Eſt & cauſa peccati defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.
Lib.1. de peccatorum meritis & remiſſione, Cap.3.
Per Baptiſmum Chriſti hoc agitur vt caro peccati euacuetur. Non autem ſic euacuatur, vt in carne concupiſcentia innata non ſit: ſed ne obſit mortuo quæ inerat viuo. Nam nec gradibus hoc præſtatur in Baptiſmo, niſi forte miraculo ineffabili: vt lux peccati repugnans legi mentis penitus extinguatur & non ſit. *Tractatu 41. in Ioannem.* Liberati ſunt renati à peccato, quia carent criminibus & querela. Sed illa eſt inchoata non perfecta libertas: nondum eſt tota, nondum pura libertas: quia video aliam legem in membris, &c. *Item,* Quicquid à nobis peccatum eſt antea, deletum eſt in Baptiſmo. Sed nunquid quia deleta eſt tota iniquitas, nulla remanſit infirmitas? Certe ſi non remanſiſſet ſine peccato hîc viueremus. Si ergo carne ſeruis Legi peccati, fac quod ait Apoſtolus, non regnet peccatum in mortali corpore noſtro. Non ait, non ſit: ſed, non regnet. Quandiu viuas pecca-

tum

tum neceſſe eſt eſſe in mẽbris tuis. Saltem illi regnum auferatur: non fiat quod iubet. *Et ibidem tractans de diſcrimine peccati regnantis & non regnantis, inquit:* Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam iuſtificat & laudat. Nulla laudat, ſed odit omnia: ſicut medicus odit ægritudinem, & id agit curando vt ægritudo pellatur. Sic Deus gratia ſua hoc agit in nobis, vt peccatum conſumatur. Sed quomodo conſumitur? Minuitur in vita proficientium, in vita conſumatur perfectorũ.

Et vt breuibus comprehendã reliquorum patrũ teſtimonia, quibus confirmatur, quod in renatis poſt Baptiſmum peccata remaneant? Legantur *Baſilius* in Regulis contractis, quæſtione 81. *Aymo* ſuper 3.cap.Ionæ. & in libro 1.in Apocal.cap.1. *Rabanus* lib.1.in Ierem. Et lib.9.in Eccle.cap.2. *Angelomus* in 7.cap.lib.3.Regum. *Remigius* in 18.Pſal. & in 84. Item in 98. Vbi ait: Nullus eſt ita ſanctus, vt omnino careat peccato. *Ansbertus* libro 6.capit.5. in Leuitic. Et libro 10.cap.1. *Anshelmus* in Euangel.enarratione. *Rupertus* lib.11.commen.in Ioan. ca.13. *Bernhardus* in ſermone de Trãſitu S.Malach.

IIII.
IESVITÆ.

Concupiſcentia, quæ reliqua eſt in renatis licet repugnet legi Dei, tamen non eſt proprie vere, in ſe, vel ex ſe, & ſua natura peccatum. Sic Ieſuitæ in Cenſura Col.fol.38.39.&c. In opere catechiſtico Caniſij, fo. 184.& 738.

IIII.
IESVS

Peccatum eſt id, quod repugnat legi Dei. At

concupiſcentia repugnat legi. Ergo vere peccatum eſt.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Peccatum non cognoui,niſi per Legem. Nam concupiſcentiam neſciebam,niſi Lex diceret?non concupiſces. Occaſione autem accepta,peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Rom.7.

Et ſtatim. Scio enim quia nō habitat in me,hoc eſt,in carne mea,bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum,non inuenio. Non enim quod volo bonum,hoc facio:ſed quod nolo malū, hoc ago. Si autem quod nolo,illud facio:iam non ego operor illud,ſed quod habitat in me,peccatū. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantē legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,quæ eſt in membris meis. Rom.5.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matt.5.

Et alij ſunt,qui in ſpinis ſeminantur:hi ſunt,qui verbū audiunt & erumnæ ſeculi,& deceptio diuitiarum,& circa reliquum cōcupiſcentiæ introeūtes ſuffocāt verbum,& ſine fructu efficitur.Mar.4.

Spiritu ambulate,& deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem.Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur:vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Gal.5.

Qui autem ſunt Chriſti,carnem ſuam crucifixerunt

runt cum vitijs & concupiſcentiis. *Ibidem.*

Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis. Col.3.

Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat. Vnuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem. Iacob.1.

Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex cõcupiſcẽtiis veſtris, quæ militant in mẽbris veſtris? Iac.4.

Chariſſimi, obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinete vos à carnalibus concupiſcentiis, quæ militant aduerſus animam. 1.Petr.2.

Si quis diligit mundum: non eſt charitas in eo patris. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quę non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt: & mundus tranſit, & concupiſcentia eius. 1.Ioan.2.

Sapientia carnis inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt, Rom.8.

Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis: viuetis. *Item ibidem* Affectus carnis mors eſt. Rom,8.

Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. 1.Cor.15.

Senſus & cógitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Geneſ.8.

Vidit autem Deus, quod multa malitia hominũ eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore. Geneſ.9.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 1.Ioan.1.

Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Prou.20.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Pſal.51.

Item, Decimum præceptum prohibet concupiſcentiam: ergo eſt vere peccatum.

Huc pertinet antitheton 1. huius cap. de peccati definitione, quod confirmatur multis teſtimoniis: hoc eſſe proprie, vere in ſe, ex ſe & ſua natura peccatum: quod legi Dei repugnat: conſtat autem teſtimoniis concupiſcentiæ repugnare legi: Ergo peccatum eſt.

PATRES.

Auguſtinus,
Contra Iulianum, lib. 4. cap. 3.

Non negamus adiutorium Dei tantum valere, vt hodie nullas malas cõcupiſcentias habere poſſimus, contra quas vel inuictiſſime dimicemus. Et tamen non fieri nec tu negas: cur autem non fiat, quis cognouit ſenſum Domini? Non tamen parũ ſcio cum ſcio, quæcunque illa cauſa ſit, quod nec iuſti Dei ſit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Eſt igitur aliquid in eius alto abditoque conſilio, cur quandiu viuimus in hac carne mortali eſt in nobis contra quod mens dimicet noſtra: eſt etiam propter quod dicamus, Dimitte nobis debita noſtra. *Et paulo infra.* Ideo factum eſt in loco infirmitatis hui⁹, ne ſuperbè viuerem⁹, & ſub quotidiana peccatorum remiſſione viuamus. Sed ſiue iſta cauſa ſit, ſiue alia quæ multo amplius me latet, tamen

tamen quod dubitare non poſſum, quantumlibet proficiamus ſub hoc onere corruptibilis corporis, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, &c. Propter quod & ſancta Eccleſia, etiam in talibus ſuis membris, vbi maculã criminis & rugam non habet falſitatis, licet contradicente ſuperbia veſtra non deſunt Deo dicere, dimitte nobis debita noſtra. *Et lib. 2.* Hilarius referente Auguſtino dicit, nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos eſſe non poſſe, niſi per ablutionem cœleſtis miſericordiæ emundationem conſequamur: poſt demutationem reſurrectionis, terreni corporis noſtri effecta glorioſiore natura. *Quibus verbis Auguſtinus addit hanc explicationem.* Vides quod Hilarius nec in hac vita mundationem noſtram neget, & tamen humanam perfectionem ſperet, id eſt perfectioris mũdationis in vltima reſurrectione naturam. *Ibidem* etiam Hilarius explicat, quomodo in renatis per totam vitam fiat purgatio peccati, colluctantium aduerſus nos paſſionum concertatione: conuertente ſcilicet diuina miſericordia malitiã diaboli ad purgationem noſtram. Cum enim per infirmitatẽ animi ſurrepentia incentiua reprimuntur, emũdamur à peccato per huius victoriæ gloriam. *Tandem cõcludit.* Conſcij igitur illa ipſa corpora noſtra omniũ vitiorũ eſſe materiã, per quæ polluti & ſordidi nihil in nobis mundũ, nihil innocens obtinemus: gaudeamus nobis eſſe hoſtem, in cuius concertatione bello quodam dimicemus.

In lib. de perfectione Iuſtitiæ.

Ingredi ſine macula nõ abſurde etiam ille dicitur, nõ qui iam perfectus eſt: ſed qui ad ipſam perfectionẽ irreprehẽſibiliter currit, carens criminibus dãnabilibus, atque peccata venialia nõ negligens mundare eleemoſynis. Ingreſſum quippe hoc

iter noſtrum, quo tendimus ad perfectionem mũda mundat oratio, vbi veraciter dicitur, dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus. Vt dum reprehenditur quod non imputatur, ſine macula noſter ad perfectionem habeatur curſus: in qua perfectione, cum ad eam peruenerimus, iam non ſit omnino quod ignoſcendo mundetur. *De bono perſeuerantiæ lib.2.cap.5.* Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem iuſtum in hac vita nullum habere omnino peccatum: & in talibus hominibus eſſe iam in præſenti tempore, Eccleſiam non habentẽ maculam neque rugam: tanquam ſponſa Chriſti non ſit, quæ per vniuerſam terram quod ab eo didicit, dicit, Dimitte nobis debita noſtra. *Lib.4.ad Bonifacium.cap.7.* Dicunt Pelagiani, baptiſmo perfecte homines innouari: atque ad hoc Apoſtoli adhibent teſtimonium, ad Epheſ.5. Sed ſi dixerint ſe non habere peccatum, reſpondet eis Ioannes, quod ſeipſos decipiant & veritas in eis non ſit. Si autem confiteantur peccata ſua, cum ſe velint eſſe corporis Chriſti membra quomodo erit illud corpus, id eſt, Eccleſia in iſto adhuc tempore perfecta, ſicut ipſi ſapiunt, ſine macula & ruga, cuius membra non mendaciter confitentur ſe habere peccata? Quapropter & in Baptiſmate cuncta dimittuntur peccata: & per ipſum lauacrum aquæ in verbo exhibetur Chriſto Eccleſia ſine macula & ruga. Quia niſi eſſet baptiſata, infructuoſè diceret dimitte nobis peccata noſtra: donec perducatur ad gloriam, vbi ei perfectius nulla inſit macula & ruga. *lib.6.contra Iulianum, cap.5.* Ad illam perfectionem quæ ſperatur, eodem baptiſmate quod hîc percipitur. *Et lib.2.* Sanat vitiatum, à reatu ſtatim, ab infirmitate paulatim. *Tractatu 41.in Ioannem.* Poſt regenerationem baptiſmi precemur medicum, ſaucij portemur in ſtabulum curandi.

Lib.

Libr. ſecundo de meritis peccatorum, cap. 27. Tractans quæſtionem, quomodo peccatum quod parenti remiſſum eſt, filio niſi renaſcatur, obſit, reſpondet, Quia renouati parentes, non ex primitiis nouitatis, ſed ex reliquiis vetuſtatis carnaliter generant. *Et addit.* Illud præcipue, propter quæſtiones quæ hac de re motæ ſunt, vel moueri adhuc poſſunt, attendere & meminiſſe debemus: tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remiſſionem baptiſmo fieri, hominis vero ipſius qualitatem non totam continuo commutari, ſed ſpirituales primitias in bene proficientibus, de die in diem, nouitate creſcente, commutare in ſe quod carnaliter vetus eſt: donec totum ita renouetur, vt animalis etiam infirmitas corporis ad firmitatem ſpiritalem incorruptionemque perueniat. *Lib.* 2. *contra Fauſtum Manich. cap.* 27. Peccatum eſt, Omne dictum vel factum, vel concupitum, quod fit contra legem Dei. *Super Pſal.* 5. Nõ regnet peccatum in veſtro mortali corpore: non dicit, non ſit, ſed non regnet. Ineſt peccatum, cum delectaris, regnat cum conſenſeris.

Hieronymus lib. 1. *ſuper Amos.*

Primum peccatum eſt, cogitaſſe, quæ mala ſũt. Secundum, cogitationibus acquieuiſſe peruerſis. Tertium, quod eſt deterius, opere cõpleſſe. Quartum, poſt peccatum nõ facere pœnitentiam, & in ſuo complacere ſibi delicto.

Iſidorus lib. 2. *cap.* 19. *de ſummo Bono.*

Quatuor modis peccatum perpetratur in corde: quatuor conſummatur in opere: in corde namque ſuggeſtione, delectatione, conſenſu & de-

fenſionis audacia perpetratur. Fit enim ſuggeſtio per Diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum, defenſionis audacia per elationem. Quatuor modis peccatum conſummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur. Poſtmodum etiam ante oculos hominum ſine confuſione reatus aperitur: deinde & in conſuetudinem ducitur. Ad extremum quoque vel falſæ ſpei ſeductionibus, vel obſtinatione miſeræ deſperationis enutritur. *Idem ibidem cap.23.* Iſtis fomitibus, quaſi quibuſdam gradibus coaleſcit omne peccatum. Cogitatio namque praua delectationem parit: delectatio conſenſionem, conſenſio actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſsitatem, neceſsitas mortem: ſicque in his vinculis homo implicatus quadam catena vitiorum tenetur adſtrictus.

Gregor. lib. 11. Moral.

Peccata cogitationis eò ad intelligendum ſunt difficilia, quo inuiſibiliter perpetrantur: & tanto latius cogitationes defluunt, quanto ſe eſſe ſecurius æſtimant, quia foris à reprehenſoribus non videntur.

Iſidorus 2. de ſummo Bono.

Concupiſcentia carnis, eſt motus animæ in affectu ſordidæ cogitationis.

Bern. de libero arbitrio, & ponitur de pœnit. di. 1.

Si cui non contingat facultas concumbendi cum vxore aliena, planum tamen ſit, aliquo modo cupere, & ſi poteſtas detur, eſſe futurum: nõ minus eſt reus, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.

Idem

Idem ibidem. Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris: intus in corde feciſti: furti reus teneris, & ſi nihil tuliſti.

Greg. in moral.

Nos geſtamus laqueum noſtrum nobiſcum: circumferimus inimicum, carnem noſtram, loquor de peccato natam, in peccato nutritam, corruptā nimis ipſa origine ſed multo amplius praua conſuetudine vitiatam. Hinc eſt quod tam acriter aduerſus ſpiritum concupiſcit, quod aſſidue murmurat, & impatiens eſt diſciplinæ, quod illicite ſuggerit, quod nec rationi obtemperat, nec vllo timore inhibetur.

Bernhardus de concupiſcentia, in ſententiis quibuſdam.

Maximum plane, ait, delictum concupiſcentia: quæ interiorem & exteriorem hominem occupat vniuerſum. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in me ſanitas, totum inficit concupiſcentia: Lex peccati in omnibus membris inuenitur. Vndique per feneſtras mors intrare contendit: & intus fomes totius nequitiæ periculoſius ſæuit: crudelius malignatur. Quid enim in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inueniri? Mētem deſideriis afficit: membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium: oculorum petulantia: inde olfaciendi voluptas: inde in faucibus tam inordinata delectatio: inde in vniuerſo corpore molliciei ſenſus, & libido pernicioſa tangendi. Inde intus in anima ebrietas illa deſideriorum: & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, inuidiæ, cōtumeliæ, & omnium denique vitiorum affectibus accēſa vehemēter. Huic ergo tā multifa-

riæ peſti per ſingula quæque reſiſtere multiplex tribulatio. Vnde enim tribulatio niſi dum reſiſtitur?contaminationi concupiſcentiæ repugnatur? Quot enim corpus illecebras : quot oblectamenta mundus videtur habere: tot patitur tribulationes.&c.

Haymo ſuper 7.cap.ad Rom.

Nullum peccatum perficitur ſine concupiſcentia vt qui facit homicidium, concupiſcit illum occidere.

Rabanus lib.2.in Hieremiam.

Vbi ſunt,qui dicunt,in cogitationibus non eſſe peccatum,cum omnia vitia iuxta Euangelicam veritatem de corde procedant?

Remigius in 50.Pſal.

Et in peccatis concepit me mater mea,id eſt,in concupiſcentia carnali : quæ carnalis delectatio, ex peccato primi parentis in carne noſtra viget.

Lombardus lib.2.diſt.42.

Modi autem peccatorum,varias in ſcriptura habent diſtinctiones:in qua dicitur peccatum duobus modis committi,ſcilicet: cupiditate & timore. *Idem diſt.30.* Ex his datur intelligi,quid ſit originale peccatum,ſcilicet vitium concupiſcentiæ, quod in omnes concupiſcentialiter natos, per Adam intrauit,eoſque vitiauit. *Idem ibidem.* Nomine autem concupiſcentiæ,non actum concupiſcendi,ſed vitium primum ſignificauit, cum eam dixit Legem carnis.

Oecumenius in Epiſtolam Pauli ad Rom. cap.7.ſuper hac verba:

Sed

Sed peccatum non noui, niſi per Legem. Nam concupiſcentiam non nouiſſem, niſi Lex dixiſſet, non concupiſces. At nunc, inquit, etiam, quas non noueram concupiſcentias, ex lege didici, & quas didici perpetraui.

Iterum Bernhardus ſermone 6. de aduentu Domini.

Dico vobis, genus illud peccati, quod totiens conturbat nos, (concupiſcentias loquor & deſideria mala) reprimi quidem debet & poteſt per gratiam Dei, vt non regnet in nobis.

Gregorius in 11. *cap. Iob. lib.* 10. *cap.* 11.

Omne peccatum, aut ſola cogitatione committitur, aut cogitatione ſimul & opere perpetratur. *Idem lib. 6. in 15. cap. 1. lib. Regum.* Viua quidem peccata ſunt, quæ aut in mente adhuc per concupiſcentiam regnant, aut quæ per conuerſionem contempta, ſed per pœnitentiam adhuc non ſunt deleta.

Anshelmus in 7. cap. ad Rom.

Concupiſcentia, peccati nomine appellatur: quoniam ex illa oriuntur omnia peccata. Quicquid enim eſt peccatorum, in dictis, in factis, in cogitationibus non oriuntur, niſi ex mala cupiditate, non oriuntur, niſi ex illicita delectatione.

DE LEGE
CAP. TERTIVM.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITAE.

Falſum eſt, peccatum eſſe; quicquid legi Dei repugnat. 46. in Cenſura.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Veriſſimum eſt, peccatum quicquid Legi Dei repugnat.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Anima quæ peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex his, quæ Domini Lege prohibentur. Leuit. 5

Ipſi vero orabūt pro peccatis ſuis, eo qđ abiecerint iudicia mea, & leges meas deſpexerint. Leu. 26

Tranſgreſsi mandatum Domini. Num. 5.

Non cuſtodiuit, quæ mandauit ei Dominus. 3. Reg. 11.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum. Pſal. 85

Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata. Beatus homo, cui non imputat

putat Dominus iniquitatem. Pſal.32.

Ecce in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis cõcepit me matet mea. Pſal.51.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatẽ. Pſal.5.

Omnis qui facit peccatum, etiam facit contra legem, peccatũ eſt quiddam contra legẽ. 1. Ioan.3.

Per legem agnitio peccati. Rom.3.

Omnis iniuſtitia ſeu iniquitas, peccatum eſt. Iohan.5.

Lex iram operatur. Siquidem vbi non eſt Lex, ibi nec Tranſgreſſio. Rom.4.

Cæterum lex obiter ſubiit, vt abundaret delictum. Rom.5.

Lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem. Nam & concupiſcentiam non nouiſſem, niſi lex dixiſſet: Non concupiſces. Rom.7.

Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones addita fuit, donec veniret ſemen. Gal.3.

Vide item in Prophetis, vbi ſubinde repetitur, quod populus Iſrael faciendo contra legem Dei peccarit.

Cætera teſtimonia tam ſcripturæ, quam patrum habes ſupra in capite 2. de Peccato, Antitheto primo.

II.

IESVITÆ.

Primi motus concupiſcentiæ ſunt citra noxam peccati: In cenſura fol.54.89.

II.

IESVS.

Primi motus concupiſcentiæ reos reddunt homines coram Deo.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. Deut.6.

Non concupiſces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, &c. Deut.5

Et auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Deut.5.

Ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Rom.8.

Diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in tota anima tua. Deut.10.

Qui enim diligit proximum, Legem impleuit: Nam non occides, non furaberis, &c. Rom.13.

Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua, hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile huic: Diligas proximũ tuum, ſicut teipſum. Matth.22. Mar.12.

Audiſtis, quod dictum ſit antiquis, Nõ occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit conſilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth.5.

Et ſtatim inquit de ſexto præcepto: Audiſtis quod dictum eſt antiquis, non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam adulterium cõmiſit cum ea in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizet te, erue eum & proiice abs te:

expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizet te, abſcinde eam, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

Et de octauo præcepto ait: Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: nõ peierabis, reddes autẽ Domino iuramenra tua. Ego autem dico vobis, nõ iurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis: neque per caput tuum iurabis, quia non potes vnum capillum album facere ant nigrum: Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt, non, non: quod autem his abundantius eſt, e malo eſt, Mat. 5.

Dico vobis, quod de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. *Matth. 12.*

Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, & blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ inquinant hominem, Matth. 15.

Qui oderit fratrem ſuum, homicida eſt. 1. Ioan. 3.

Non concupiſces domũ proximi tui, nec deſiderabis vxorem, nõ ſeruum, non ancillam, nõ bouẽ, non aſinũ, nec omnia, quæ illius ſunt. Exo. 20. Ro. 7.

Moſes accepit ſermonem viuum, vt daret nobis, cui noluerunt obedire patres noſtri, ſed repulerunt, & auerſi ſunt corde ſuo. Duri ceruice, & incircuncisi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Act. 7.

Ne accommodetis vos priſtinis concupiſcentiis, quibus dum adhuc ignoraretis Chriſtum, agebamini. 1. Petr. 2.

Abſtinete a carnalibus concupiſcentiis, quæ militant aduerſus animam.1.Pet.2.

Qui patiebatur in carne, deſtitit a peccato, in hoc,vt iam non cõcupiſcentiis hominum, ſed voluntati Dei,quod ſupereſt in carne tempus, viuat: ſat enim eſt nobis, quod ante acto tempore volũtatem gentium patrauerimus, cum verſaremur in laſciuiis & concupiſcentiis.1.Petr.4.

Omne quod eſt in mundo,velut concupiſcẽtia carnis,& concupiſcentia oculorum,& faſtus vitę, non eſt ex Patre,ſed ex mundo eſt.1.Ioan.2.

Si condemnet nos cor noſtrum,maior eſt Deus corde noſtro.1.Ioañ.3.

Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Gal.5.

Et ibidem: Cum eſſemus in carne affectus peccatorum,&c. vigebant in membris noſtris ad fructificandum morti.

Et nos verſabamur aliquando in concupiſcentiis carnis noſtræ,facientes,quæ carni ac menti libebant. Epheſ.2.

Qui ſunt Chriſti,carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis.Gal.5.

Mortificate membra veſtra terreſtria, ſtuprum, immunditiam,&c.Coloſ.3.

Vnuſquiſque tentatur, dum a propria concupiſcentia abſtrahitur & ineſcatur. Deinde concupiſcentia, poſteaquam concepit, parit peccatum, peccatum vero perfectum progignit mortem.Iac.1.

Vnde bella & lites in vobis? nõne hinc?nimirũ, ex voluptatibus veſtris, quæ militant in membris veſtris?Iacob.4.

Plura lege in capite ſecundo de PECCATO: antithe

titheto quarto, de Concupiſcentia. Item: in antitheto quarto ſequenti. Vbi habes, & Scripturæ, & Patrum teſtimonia vberrima, quibus cõfirmatur, quod motus primi concupiſcentiæ ſint peccata.

III.

IESVITÆ.

Sunt alia multa peccata, quæ quidem voce Legis non arguuntur: & tamen ſunt multo grauiora, & damnabiliora peccata, quam illa, quæ Legi Dei repugnant, qualia ſunt, quæ committuntur, quas Eccleſiæ præcepta vocant, traditiones Pontificias & humanas. Cenſ. Colon. fol. 309.

III.

IESVS

Omnia peccata voce Legis diuinæ arguuntur: nec vlla ſunt grauiora & damnabiliora peccata iis quæ Legi Dei repugnant: Conſcientiis Leges non imponit Eccleſia: ſed vnici legiſlatoris Dei mandata proponit & conſeruat.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

In capite primo de S. ſcriptura, antitheto ſecundo. Et cap. 13. de Traditionibus. Et ca. 19. de Eccleſia, antitheto ſecundo.

IIII.

IESVITÆ.

Legi plene & abunde a nobis ſatiſſit, ſi quãtum in nobis eſt, præſtiterimus. In Cenſ. Col. fol. 194.

Et renati in hac vita poſſunt ſuis operibus legis perfectionem conſequi. Cenſ. fol. 48. Et in opere catechiſtico Caniſij, fol. 770.

IIII.

IESVS

RENATI in hac vita non poſſunt ſuis operibus legis perfectionem conſequi: ſed iuſti ſunt coram Deo ſola fide in Chriſtum, qui factus eſt illis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Nonne Moſes dedit vobis legem, & tamen nemo ex vobis factis præſtat legem. Ioan. 7.

Nunc ergo quid tentatis Deum, vt imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti, credimus nos ſaluos futuros quemadmodum & illi. Act. 15.

Iſrael qui ſectabatur legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Rom. 10.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deut. 5.

Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Matth. 5. Gal. 5.

Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem, non ſeruum, non ancillam, non bouem. &c. Exod. 20.

Legi Dei caro non ſubditur: nec poteſt quidem. Rom. 8.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis,

dicite: Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc. 17.

Barnabas & Paulus inquiunt: Per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, à quibus non potuiſtis, per legem Moſis iuſtificari, per hunc omnis qui credit, iuſticatur. Act. 13.

Et Paulus Rom. 1. 2. 3. probat, neque Gentes, neque Iudæos, Legi integram præſtare obedientiam. Ideoque vtroſque peccato obnoxios eſſe concludit. Vbi etiam hoc addit, vt omne os obduretur & obnoxius fiat totus mundus Deo, propterea, quod ex operibus legis (hoc eſt, ob eam, quam nos legi præſtare poſſumus obedientiam) non iuſtificabitur omnis caro in conſpectu eius. Per legem enim cognitio peccati.

Et Rom. 9. 10. Docet, Iudęos ignaros iuſtitiæ Dei, propriam iuſtitiam ex operibus legis conſtituere voluiſſe, & ſic non iuſtificari, ſed potius damnari, propterea quod legem neque ipſi impleuerint, neque impletionem Chriſti pro ipſis præſtitam, fide amplexi ſint.

Non iuſtificatur, ait, ex operibus legis vlla caro. Gal. 2.

Quotquot ex operibus legis ſunt, execrationi ſunt obnoxij. Scriptū eſt enim, Execrabilis omnis, qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea. Gal. 3.

Et *ſtatim* ait: Legem non potuiſſe viuificare, ideoque ex ea non eſſe iuſtitiam.

Nam qui circumciduntur, ne ipſi quidem legem ſeruant. Gal. 6.

1. Petr. 3. Chriſtus peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo. 1. Ioan. 1. & 2. Romano. 5. Galat. 4. & alibi paſſim.

Ex plenitudine eius (non dicit ex noſtra) omnes (non alibi tantum) accepimus, gratiā pro gratia.

Ioan.1.

Etenim quod lex præſtare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio miſſo ſuo ſpecie carnis,peccato obnoxiæ præſtitit, & de peccato condemnauit peccatum per carnem,vt iuſtificatio legis impleretur in nobis,qui non ſecundum carnem verſamur, ſed ſecundum ſpiritum legis. Rom.8.

Perfectio Legis Chriſtus ad iuſtificationem omni credenti.Rom.10.

Chriſtus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio Gal.3.

Chriſtus nobis factus eſt otioſus, quicunque per legẽ iuſtificamini,à gratia excidiſtis. Nos enim Spiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus Gal.5.

Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitia & ſanctificatio & redemptio.1.Cor.1.

Rom. 7. Paulus demonſtrat ſuo exemplo quod renati non impleant legem Dei. Inquit enim ſic: Scimus quod Lex ſpiritualis eſt,at ego carnalis sũ, venditus ſub peccatum: quod enim ago non probo:Non enim quod volo,hoc facio,ſed quod odi, hoc ago.Si vero quod non volo,hoc facio,conſentio legi,quod bona ſit. Nunc autem iam non ego perpetro illud,ſed inhabitans in me peccatum.Noui enim quod non habitet in me,hoc eſt, in carne mea bonum Nam velle adeſt mihi: at vt faciã bonum,non reperio Non enim quod volo, facio bonum:ſed quod non volo malum,hoc ago.Porro, ſi quod non volo,ego hoc facio:non iam ego perpetro illud,ſed inhabitans in me peccatum. Reperio igitur per legem,volenti mihi facere bonũ, quod mihi malum adiunctum ſit. Delectat enim me lex Dei,ſecundum internum hominem:ſed video aliã legem in membris meis,rebellantem legi mentis meæ,& captiuum reddẽtem me legi peccati, quæ

eſt in membris meis. Miſer ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio, Gratias ago Deo per Chriſtum Dominum noſtrum. Itaque idē ego mente quidem ſeruio legi Dei. Carne vero legi peccati. Rom. 7.

Nullus rei mihi conſcius ſum, ſed non per hoc iuſtificatus ſum. 1. Cor. 4.

Reſpondet Chriſtus Paulo: ſufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea per infirmitatem perficitur, 2. Cor. 12.

Suam iuſtitiam, quam ex lege habet, hoc eſt, omnia ſua bona opera, habet pro reiectamentis, ſolius iuſtitiæ Chriſti innitens fide: quod non faceret, ſi ſuam obedientiam pro perfectiſſima legis impletione agnoſceret. Phil. 3.

Petr. 1. Epiſt. 2. Iubet abſtinere à carnalibus concupiſcentiis militantibus aduerſus animam.

Et idem. 2 Epiſt. 2. Monet eos, qui ab inquinamētis mundi refugerunt per cognitionem Domini & veritatem agnouerunt poſſe à via veritatis auerti, ita vt poſtrema fiant peiora primis.

Ioan. 1. Epiſt. 1. docet: Iuſtificatos etiam fateri debere, quod ſint peccatores.

Si Abraham iuſtificatus eſt ex operibus, habet quod glorietur, at non apud Deum. Rom. 4.

Statuimus, Fide iuſtificari hominem, abſque operibus legis. Rom. 3.

Non ex operibus iuſtitiæ, quæ faciebamus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos fecit. Tit. 3.

Quæ lex dicit, his dicit, qui in lege ſunt, vt omne os obduretur, & obnoxius fiat totus mundus Deo, propterea, quod non iuſtificatur ex operibus legis omnis caro in conſpectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Rom. 3.

Lex iram operatur. Rom. 4.

Qui eſt ad dextram Dei, & intercedit pro nobis. Rom.8.

Vnus eſt Deus, & vnus conciliator Dei & hominum, homo IESVS CHRISTVS.1.Tim.2.

Hic cum idem maneat in æternum, perpetuum habet ſacerdotium: vnde & ſaluos facere ad plenum poteſt, qui per ipſum adeũt Deum ſemper viuens ad hoc, vt interpellet pro illis. Heb.4.7.

Reliqua teſtimonia habes in præcedenti Antitheto ſexto & quarto. Et in capite 8. de bonis operibus. Et in c.2. de peccato, antitheto 3. de peccato poſt Baptiſmum. Ex antitheto 4. de cõcupiſcentia.

PATRES.

Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone.

Si lex ait, potuiſſet lumen præbere gentibus ipſam recipientibus, quid opus fuiſſet nouo Teſtamento, quod Deus ſe miſſurum promiſit?

Iræneus lib.3. cap.20.

Spiritualis cum lex eſſet, manifeſtauit tantummodo peccatum, non autem interemit.

Macarius, hom.8. circa finem.

Sed quis vnquam perfectum illum gradum aſſecutus eſt, ac guſtauit & expertus eſt ſeculũ illud. Nondum enim quempiam vidi perfectum hominẽ Chriſtianum aut liberum. Quod ſi quiſpiam requieſcit in gratia. & pertingit ad myſteria & reuelationes, ad multam denique dulcedinem gratiæ, nihilominus intus adhuc habet peccatum. Sed qui eiuſmodi ſunt, propter immẽſam gratiam & lumẽ, quod ſunt adepti, liberos & perfectos ſe putant eſſe. Qui quidẽ licet vim gratiæ obtineant, tamẽ falluntur, tãquam non experti. Ego vero nullum adhuc vidi immunem. Siquidem & ego aliquatenus interdum ad gradum illum pertigi, diſcẽdoq; cogno-

cognoui,quod nullus homo eſt perfectus. *Idem Homil.*38. Prolixe oſtendit perfectionis perſuaſionem ſtolidam eſſe,cum nullus Chriſtianus ſit, in quem cupiditas peccatum non cadat. *Et homilia* 24. Quæcunque ait,videtur anima, per ſe agere,elaborare atque exequi ſolis viribus ſuis freta, exiſtimãs,ſe poſſe opus perfectum edere à ſe ipſa, non cooperante ſpiritu,procul aberrat. Neque enim eſt apta locis cœleſtibus, nec pertinet ad regnum:quæ a ſe,& per ſe ſolum ſine Spiritu ſancto exiſtimat,perfectam puritatem,efficere.

Nilus in Gnomis.

Quanto magis in lege proficies, tanto plus ad perfectionem tibi deeſſe intelliges.

Auguſtinus de peccatorum meritis, lib. 2.cap. 7.

Si quæratur, vtrum in hac vita aliquis ſit ſine peccato,eſſe non credo: magis enim credo Scripturæ, vbi Sanctorum vox eſt,ſi dixerimus quia peccatum non habemus,nos ipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt. *Lib. 3. ad Bonifacium, cap.7.* Gratia Dei tribuit in hac vita ſtudium præcepta ſeruãdi:& eadem,ſi quid etiam in illis præceptis minus ſeruatur, ignoſcit. *Retractationum lib.1.cap.19.* Omnia mandata Dei facta deputantur,quando quicquid non fit,ignoſcitur, *Ad Valerium lib.1.cap 29.* Ad hoc lex dixit,Non concupiſces,vt medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto ſciremus,& quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & qua poſſit à nobis in illa immortalitate beatiſſima perueniri. Niſi enim eſſet quandoque perficiendum,nunquam iubendum fuiſſet. *De natura & gratia,cap. 36.* Si omnes ſanctos & ſanctas cum hic viuerent, congregare poſſemus & interrogare, vtrum eſſent ſine peccato, quantalibet fuerint excellentia ſan-

ctitatis: ſi hoc interrogari potuiſſent, vna voce clamaſſent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *In Confeſſionibus.* Væ hominum vitæ, quantumvis laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. *Et præfat. in Pſal.* 31. Si vis alienus eſſe a gratia, iacta merita tua. *In epiſt. 26. ad Hieron.* Propter illud imperfectionis vitium, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Propter illud etiam vitium, quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere, Dimitte nobis debita noſtra: ex quo vitio non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens.

Plura vide apud eundem lib. 2. de peccatorum meritis, tractatu 41. in Iohannem, de ſpiritu & litera ca. 36. ad Bonifacium lib. 3. cap. 7. Ad Aſellicum epiſt. 200. præcipue vero de perfectione iuſtitiæ, vbi ſtatū controuerſiæ dicit verſari in duabus illis quæſtionibus. 1. Per quem homo poſſit peruenire ad talem perfectionem vt ſit ſine peccato: ſcilicet non per liberum arbitrium, ſed per gratiam Dei. 2. Quando ad talem perfectionem homo peruenturus ſit: ſcilicet non in hac, ſed in futura vita.

Hieronymus aduerſus Pelagi. lib. 1.

Si omnis, qui natus eſt ex Deo, nō peccat, quoniam ſemen eius manet in eo, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt: qua conſequētia idem in eodem loco loquitur: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt? Ignoras rationem? Hæſitas atque turbaris? Audi eundem Euangeliſtam: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt vt dimittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate.

quitate. Tunc ergo iuſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, & iuſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia.

Bernhardus ſerm. 5 in vigilia Natalis.

Sibi ipſi quidem fidere, non fidei ſed perfidiæ eſt: nec confidentiæ, ſed diffidétiæ magis, in ſeipſo habere fiduciã. Is vere fidelis eſt, qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus ſibi vas perditum. *Idem Ser. 63. in Cant.* Sufficit ad meritum ſcire quod nõ ſufficiant merita. *Et Serm. 73.* Si iniquitates obſeruaueris, etiam electorum, quis ſuſtinebit? Aſtra non ſunt munda in conſpectu eius, & in Angelis ſuis comperit prauitatem. Audi denique ſanctum & electum quid dicat Deo: Tu, inquit, remiſiſti impietatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Opus itaque habent & ſancti pro peccatis orare, vt Dei miſericordia ſalui fiant, propriæ iuſtitiæ non fidentes. *Ibidem.* Neque enim talia ſunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Nam vt taceam quod merita omnia omnino Dei dona ſunt, & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt quam Deus homini: quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique, quis melior eſt Propheta, cui Dominus ipſe tam inſigne teſtimonium perhibet, dicens: Virum inueni ſecundum cor meũ? Veruntamen & ipſe neceſſe habuit dicere Deo: Nõ intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine. *Idem Serm. 1. in Annuntiat. Mariæ.* Neceſſe eſt primum omnium credere, quod remiſſionẽ peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiã Dei. Deinde quòd prorſus nihil habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremo, quod vitam æternam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa.

Ambroſius de interpellat. Dauidis.

Dauid agnoſcit iniquitatem, & tu non cognoſcis? Dauid fatetur, & tu negas? Paulus ſe nocentem clamat, & tu te innocentem aſſeris? Non eſt igitur maximus erubeſcendi locus, quando cum plurimis peccatis mixta conſortia ſunt. Sequamur tamen ſtudium corrigendi. Neque rurſus paueas ne culpæ confeſſio teneatur ad pœnam. Bonus enim & miſericors Deus non ſolum culpam ignoſcere confitentibus, ſed etiam præmia corrigentibus impertire conſueuit, ſi tamen vnuſquiſque ſibi donari petat quod intelligat non latere. Dic ergo iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Dei vox iſta eſt, promittẽtis quod tuum delere velit peccatum.

Bernardus tract. de diligendo Deo.

Proinde inexcuſabilis eſt omnis etiam infidelis, ſi non diligit Dominum Deum ſuum toto corde, tota anima, tota virtute ſua. Verum id difficile imo impoſſibile eſt, ſuis ſcilicet quempiam, liberive arbitrii viribus, ſemel accepta a Deo, ad Dei ex toto conuertere voluntatem, & nõ magis ad propriam retorquere, eaque tibi tanquam proprie retinere, ſicut ſcriptum eſt: Omnes ſua quærunt. Et item, Proni ſunt ſenſus & cogitationes hominis in malum. Contra quod plane fideles norũt, quam omnino neceſſarium habent Ieſum, & hunc crucifixum, dum admirantes & amplexantes ſupereminentem ſcientiæ charitatem in ipſo, id vel tantillum quod ſunt, in tantæ dilectionis, & dignitatis vicem non rependere, confunduntur.

Auguſtinus ſuper Ioannem Tract. 82.

Non ergo vt is nos diligat, prius eius præcepta ſeruamus: ſed niſi nos diligat, præcepta eius ſer-

uare non poſſumus. *Auguſtinus de Tem. Ser.63.* Si homo quid ſibi impoſſibile aut arduũ in mandatorum effectibus experitur, non in ſe remaneat, ſed ad adiuuantem recurrat, qui ideo præceptum dat, vt excitetur deſiderium, & præſtet auxilium. *Idem de Templo. Serm. 19.* Hoc ergo dicit legem implere: hoc eſt, non concupiſcere, Quis ergo hoc qui viuit, poteſt? Adiuuat nos Pſalmus, qui modo cantatus eſt: exaudi me Domine in tua iuſtitia, hoc eſt, non in mea. *Idem de lib. arbit. cap. 16.* Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: non iuberet Deus, quod ſciret ab homine non poſſe fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideo iubet aliqua quæ non poſſumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat. Denique ipſe qui dixit: Si volueris conſeruabis mandata. In eodem libro aliquando poſt dicit, Quis dabit ori meo cuſtodiam? Certum eſt, nos mandata ſeruare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit, vt volendo faciamus, Certum eſt nos velle, cum volumus: ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt, A Domino greſſus hominis dirigentur. Et Deus eſt, qui operatur in nobis velle & operari. Certum eſt nos facere, cum facimus: Sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Pſal. 36. Phil. 3. *Idem eodem lib. cap. 18.* Cur dictum eſt, Diligamus inuicem? quia dilectio ex Deo eſt: niſi quia præcepto admonitũ eſt liberum arbitrium, vt quæreret Dei donũ? Quod quidẽ ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, vt addi ſibi quæreret vnde quod iuberetur impleret? Cum dicitur, diligamus inuicem, Lex eſt: cum dicitur, quia di-

lectio ex Deo eſt, gratia eſt.

Bernardus ſuper cantic. Serm. 50.

Quomodo ergo iubenda fuit (loquitur de præcepto charitatis) quæ implenda nullo modo erat? Aut ſi placet tibi magis de effectuali datum fuiſſe mandatum, non inde contendo: dummodo acquieſcas & tu mihi, quod minime in vita iſta ab aliquo hominum poſſit vel potuerit adimpleri. Quis enim id arrogari ſibi audeat quod ſe Paulus ipſe fatetur non apprehendiſſe? Nec latuit præceptorem præcepti pondus hominum excipere vires: ſed iudicauit vtile, ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ admoneri, & vt ſcirent ſane ad quem iuſtitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impoſſibilia, non præuaricatores homines fecit, ſed humiles, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo. Accipiẽtes quippe mandatum, & ſentientes defectum, clamabimus in cœlum, & miſerebitur noſtri Deus: & ſciemus in illa die, quia non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecũdũ miſericordiã ſaluos nos fecit.

Hieronymus.

Anathema eſto, qui dixit Deum impoſſibilia præcepiſſe. Idem ſe exponit in Dialogis aduerſus Pelagianos, poſſibilia eſſe per gratiam, impoſſibilia viribus naturę. Sicut & Paulus ait: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Et alibi: Non ſumus idonei ex nobis aliquid cogitare, &c.

Auguſtinus de ſpiritu & litera.

Proinde hoc primum præceptũ iuſtitiæ, quo iubemus

bemus diligere Dominum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, cui eſt de proximo diligendo alterum conſequens, in illa vita implebimus, vbi videbimus à facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, vt admoneremur, quid fide expoſcere, quo ſpem præmittere, & obliuiſcendo quæ retro ſunt, in quæ anteriora extendere nos debeamus. At per hoc quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda eſt iuſtitia, multum in hac vita ille proficit, qui quam longe ſit à perfectione iuſtitiæ, proficiendo cognoſcit. *Idem lib. 1. retracta. cap. 19.* Omnia mandata Dei implentur, quando quicquid non fit, ignoſcitur.

Carolus Magnus libr. 1. de imaginibus, cap. 14. 15.

Legem ab homine non impleri, verboſe docet.

Theodoretus in 10. *cap. ad Romanos.*

Lex nos ad Dominum Chriſtum deduxit: qui itaque credit Domino Chriſto, is ſcopum legis adimplet.

Iſychius libro 1. *in* 5. *cap. Leuitici.*

Chriſtum ideo incarnatum, vt legem impleret. Ergo homo non poteſt implere.

Primaſius in 4. *cap. ad Galatas.*

Chriſtum impleuiſſe Legem pro nobis docet.

Haymo ſuper 6. *cap. ad Rom.*

Lex non eſt data vt peccata auferret, ſed vt demonſtraret.

Radulphus lib.20.cap.1.in Leuit.

Quis eſt, qui omnia quæ Dominus præcepit faciat? Non eius beatitudinis ſumus, nec eius meriti, vt in vniuerſis illi obtemperemus. Non eſt enim homo ſuper terram, qui faciat bonum & non peccet. Nec iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens.

V.

IESVITÆ.

Summæ fuit Dei miſericordiæ, vt recte operantibus vitam æternam promitteret. In Cenſura fol.26.

V.

IESVS.

Summa eſt Dei miſericordia Chriſtum redemptorem miſeris peccatoribus dare: propter & per illum vera fide apprehenſum electos ſuos è mortis æternæ faucibus liberatos, iuſtificatos & ſanctificatos, gloria & vita æterna ſine vllis eorum meritis coronare.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Semen mulieris cõteret caput ſerpentis. Gen.3. Sic Deus dilexit mundũ vt filium ſuũ vnigenitum

tum dederit,vt quiſquis credit in eum nõ pereat, ſed habeat vitam æternam.Nõ enim miſit Deus filiũ ſuũ in mundum vt iudicet mundum,ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.Qui credit in eũ non iudicatur,qui autem non credit iã iudicatus eſt:quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei. Ioan.3.

Et tu puer,Propheta Altiſſimi vocaberis:præibis enim ante faciem Domini parare vias eius:ad dãdã ſcientiam ſalutis plebi eius,in remiſſionem peccatorum eorum. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitauit nos oriẽs ex alto:vt illuminet eos qui in tenebris & in vmbra mortis ſedẽt. ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Luc.1.

Nõ veni vocare iuſtos ſed peccatores Mat.9.Chriſtus,quum adhuc infirmi eſſemus ſuo tempore pro impiis mortuus eſt. *Item.* Commendat ſuam charitatem erga nósDeus quod quum adhuc eſſemus peccatores,Chriſtus pro nobis mortuus ſit.Iuſtificati igitur eius ſanguine , ſeruabimur nunc multo magis per eum ab ira.Nam ſi quum inimici eſſem⁹ reconciliati fuimus Deo per mortẽ filij eius, multo magis reconciliati ſeruabimur per ipſum. Neque id ſolum,verum etiam gloriamur in Deo per dominum noſtrum IeſumChriſtum,per quem nũc reconciliationem aſſequuti ſumus.Rom.5.

Hoc tempore reſeruatio ſecundum electionem gratiæ facta eſt. Quod ſi per gratiam,non iam ex operibus:alioquin gratia iam non eſt gratia. Sin ex operibus,iam non eſt gratia:alioquin opus iam non eſt opus. Rom.11.

Scientes non iuſtificari hominẽ ex operibus legis,ſed per fidem Ieſu Chriſti, etiam nos in Chriſtũ Ieſum credimus,vt iuſtificaremur ex fideChriſti & non ex operibus Legis:propterea quod non iuſtificabitur ex operibus Legis vlla caro.*Item.*Viuo, non amplius ego : ſed viuit in me Chriſtus:&

vitam, quam nunc viuo in carne viuo per fidem filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Gal. 2.

Deus qui diues eſt miſericordia, propter multã charitatem ſuam qua dilexit nos, etiã quũ per offenſas mortui eſſem⁹, vna viuificauit nos per Chriſtũ, cui⁹ gratia eſtis ſeruati: vnaque excitauit, vnaque collocauit in cœlis in Chriſto Ieſu. Vt oſtẽderet ſeculis ſuccedẽtibus ſũmas opes ſuæ gratiæ ſua erga nos benignitate in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſeruati per fidem: idque non ex vobis: Dei donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipſius ſumus opus in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in eis verſaremur. Eph. 2.

Ideo miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clementiam, vt eſſem exemplo credituris ipſi in vitam æternam. 1. Tim. 1.

Deus ſeruauit nos & vocauit vocatione ſancta nõ ex operib⁹ noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia quę data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia. Sed patefacta nunc eſt per illuſtrem illũ aduẽtum Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui & mortem aboleuit, & vitam in lucem produxit ac immortalitatem per Euangelium. 2. Tim. 1.

Poſtquam bonitas & erga homines amor apparuit ſeruatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſeruauit nos, per lauacrum regenerationis, & renouationẽ Spiritus ſancti, quem effudit in nos copioſe per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum: vt iuſtificati ipſius gratia hæredes efficeremur vitæ æternæ. Fidus eſt hic ſermo, & hæc volo te affirmare, vt ſtudeant bona opera tueri qui crediderũt Deo. Tit. 3.

In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit filiũ

ſuum vt eſſet propitiatio pro peccatis noſtris.1. Ioann.4.

Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. 1. Petr.2.

PATRES.

Patrum teſtimonia habes cap. 7. de iuſtificatione, & cap.8. de bonis operibus.

VI.

IESVITÆ.

In præcepto legis, cuius plenitudo eſt dilectio, omnis noſtra vita & tota ſalus conſiſtit. In Cenſura fol.22.

V I.

IESVS.

Electorum Dei vita & ſalus omnis conſiſtit in gratuita Patris cœleſtis miſericordia, qua participes facti ſunt per & propter Chriſtum vera fide apprehenſum.

Teſtes
PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Ego inquit per legem legi mortuus ſum, vt viuam iam non ego, ſed viuat in me Chriſtus. Gal.2.

Reprehēdit Iudęos Paulus, quod in lege etiā cū magno zelo quæſierint iuſtitiā & vitam. Rom.9.10.

Iuſtus ex fide viuet. Rom.1.

Lex vero non ex fide. Gal 3.

Inuentum eſt mihi mandatū, quod erat ad vitā,

hoc eſſe ad mortem,&c. Rom.7.

Qui credit in me,habet vitam æternam. Ioan. 3.5.6.&c.

Quod autem ex lege nullus iuſtificetur, palam eſt apud Deum:Siquidem Iuſtus ex fide viuet:Lex autem non ex fide,ſed qui fecerit ea homo, viuet in ipſis. Chriſtus nos redemit ab execratione legis,dum pro nobis factus eſt execratio. Gal.3.

Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificaremur. At poſtquam venit fides, non amplius ſub pædagogo ſumus. Omnes enim filij Dei eſtis, & quotquot crediddiſtis Ieſu Chriſto. Gal.3.

Chriſtus vobis factus eſt otioſus, quicũque per legem iuſtificabimini,à gratia excidiſtis, nõ enim ſpiritum ex fide,ſpem iuſtitiæ expectamus. Gal.5.

Ex operibus legis,non iuſtificatur omnis caro in conſpectu eius. Rom.3.

Iuſtitia vero Dei, per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes,qui credunt. Rom.3.

Arbitramur fide iuſtificari hominem abſque operibus Legis. Rom.3.

Non enim per legem contigit promiſſio Abrahæ & ſemini eius,illum hæredem fore mundi, ſed per iuſtitiam fidei.Etenim ſi ij, qui ad legem pertinent,hæredes ſunt,inanis facta eſt fides,irrita facta eſt promiſſio.Nã Lex iram operatur. Siquidem vbi non eſt lex,ibi nec tranſgreſſio eſt, idcirco ex fide datur hæreditas, ſecundum gratiam: vt firma ſit promiſſio vniuerſo ſemini, non ei quod eſt ex lege tantũ, verum etiam ei,quod eſt ex fide. Rõ.4.

Lex ſubiit,vt abundaret delictum. Rom.5.

Perfectio legis Chriſtus ad iuſtificationem omni credenti. Rom.10.

Potentia peccati lex. 1.Cor.15.

In hoc eſt charitas,non quod nos dilexerimus

Deum,ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. 1. Ioan.4.

PATRES.

Hilarius.lib.9.de Trinitate.

Iuuenis inſolens per obſeruantiam legis & finē legis,qui Chriſtus eſt,neſciens, & iuſtificatum ſe in operibus exiſtimans,& non intelligens veniſſe eum ad oues perditas domus Iſrael,& impoſſibile eſſe legi per fidem iuſtificationis ſaluare credentes,tanquam communium præceptorum, & in lege ſcriptorum, magiſtrum interrogat Dominum legis & vnigenitum Deum.

Ambroſius lib.5.in Auxentium.

Iuſtum fides,non Lex facit: quia non eſt per legem iuſtitia,ſed per fidem. *Cap.1.ad Galatas.* Qui dedit ſeipſum pro peccatis noſtris, aperte oſtendit,nihil prodeſſe legem, quando Chriſtum dicit detuliſſe ſe,vt pro nobis pateretur, vt nos iuſtificaret,quos Lex reos tenebat,vt eruti à lege per fidem Chriſti,iam non peccatores eſſemus, ſed iuſtificati,ſecunda natiuitate filij Dei appellati.

Lege item Auguſtinum de ſpiritu & litera ad Marcellum cap.5.Et *lib.*4..contra Epiſt. Pelagianorum cap.5.quod non lex,ſed fides in Chriſto vitam perpetuam conferat. Item *lib.*2. contra aduerſariū legis & Prophetarum,cap.7. quod lex non dat iuſtitiam,ſed iubet.Et *lib.*4.contra Epiſt. Pelagianorum cap.5.quod non lex,ſed fides in Chriſtum ſalutem confert.Et *ad Optatum, Epiſtola* 157. Quod Patres veteris Teſtamenti eadem fide per Chriſtum,vt nos,ſalui facti ſunt,& non ex lege.

Et Ioan.Maxentius in profeſſione Catholica de

Chriſto: Credentes etiam, ait, omnes ab Abel vſq; ad Chriſtum, ſi qui ſaluati ſunt, ea gratia, qua & nos, eſſe ſaluatos, ſecundum vocem beati Apoſtoli Petri dicentis: Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres veſtri, neque nos portare potuimus, ſed per gratiam DOMINI IESV credimus ſaluari, quemadmodum & illi.

Primaſius in.7.cap.ad Romanos.

Lex non eſt data, quæ poſſit viuificare: ſed præuaricationis cauſa poſita eſt, vt conuictos concluderet ſub peccato. *Idem ibidem.* Non Lex, ſed gratia liberat per DOMINUM noſtrum Ieſum Chriſtũ. *Item 2.caput ad Galatas.* Hoc tempore Lex nullum iuſtificat, ſi nec antea profuit ſine fide.

Theophylactus in 3.cap.ad Rom.

Si lex potuiſſet nos iuſtificare, non habuiſſemus opus Chriſto. *Et in 3.cap.ad Galatas.* Lex fortior eſſet fide & benediceret, & iuſtificaret hominem, ſi viuificare potuiſſet, ac ſeruare: iam vero occidit potius, quatenus non poteſt à peccatis liberare. *Item in 2.cap.ad Epheſios.* Non ex mandatis iuſtificati ſumus, hæc & hæc facere præcipientibus: verum ſi credideris in corde & confeſſus fueris ſpiritu, ſeruaberis in æternum.

Idem Theophylactus in 5.cap. Matthæi. Et in 7.cap. ad Rom.& 15. Et 3.cap.ad Timoth.

Anshelmus in 2.ad Coloſſ.

Sicut Chriſtus nos à lege, & à legis præuaricatione liberauit: ſic patres aut auos ab inferis eripuit,

puit, ne quis putet eos per legem ſaluatos. *Idem in 8. cap. ad Rom.* Impoſſibile erat legi naturali vel ſcriptæ liberare à lege peccati, & mortis, quia nec peccatum tollere, nec mortem vincere præualebat, nec ſibi obedientem aut perfectum quenquam facere poterat.

Auguſtinus Epiſtola 29. ad Hiero.

Charitas eſt virtus, qua id quod diligendum eſt diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla eſt. Pleniſſima vero, quæ iam non poteſt augeri, quamdiu hîc homo viuit, eſt in nemine. Quãdiu autem augeri poteſt, profecto illud quod minus eſt quam debet, ex vitio eſt. Ex quo vitio non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo vitio non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens. Propter quod vitium, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Propter quod etiam, quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt dicere: Dimitte nobis debita noſtra, cum iam omnia in Baptiſmo dicta, facta, cogitata, dimiſſa ſunt.

Lege præterea cap. 7. de iuſtificatione, antitheton 2. de charitate. & 3. & huius capitis antitheta omnia. Item caput 8. de bonis operibus: vbi plura teſtimonia Scripturæ & Patrum inuenies.

DE EVANGELIO,

CAP. QVARTVM.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

Doctrina Euangelij propria eſt, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Cenſ. fo. 204.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Doctrina Euangelij propria eſt, Si vis ad vitã ingredi, crede in Dominum Ieſum Chriſtum.

Teſtes.

PROPHETÆ APOSTOLI,
EVANGELISTÆ.

Domini, quid me oportet facere vt ſaluus fiam? At illi dixerunt, Crede in in Dominũ Ieſum Chriſtum, & ſaluus eris, tu & domus tua. Act. 16.

Moſes deſcribit iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit hæc homo, viuet in eis: quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, ſi cõfitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quod Deus illũ ſuſcitauit a morte, ſaluus eris. Rom. 10.

Iuſtus ex fide viuet: Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in eis. Galat. 3

Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium. Rom. 4.

Venite

Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam vos. Matth.11.

Spiritus Domini ſuper me,eo quod vnxerit me, ad annunciandum manſuetis miſit me,vt mundarem contritos corde, & prædicarem captiuis indulgentiam,& clauſis apertionem,& prædicarem annum placabilem Domino,& diē vltionis Deo noſtro,vt conſolarer omnes lugentes. Iſai.61.

Euangeliū eſt promiſſio per Prophetas,in Scripturis ſanctis,de filio Dei, qui genitus fuit ex ſemine Dauid,ſecūdum carnem,& declaratus filius Dei cum potentia ſecundum ſpiritum ſanctificationis,qui reſurrexit à mortuis, IESVS CHRISTVS Dominus noſter. Rom.1.

Euangelium eſt potentia Dei,ad ſalutem omni credenti. Rom.1.

Annuncio vobis gaudium magnū, quod futurum eſt toti populo,quia natus eſt vobis hodie ſaluator,qui eſt Chriſtus, in ciuitate Dauid. Luc.1.

Notum autem vobis facio fratres, Euangelium quod euāgelizaui vobis,quod & accepiſtis,in quo & ſtatis,per quod & ſalutem conſequimini, quo pacto annūtiarim vobis ſi tenetis,niſi fruſtra crediditis.Tradidi enim vobis in primis quod & acceperam,quod Chriſtus mortuus fuerit pro peccatis noſtris ſecundū Scripturas,quod & ſepultus ſit,& reſurrexit tertia die. 1.Cor.15.

Dicite filiæ Zion,Ecce ſaluator tuus venit:Ecce ſuper montes pedes Euangelizantis,& annuntiātis pacem. Iſai.52.

Iuſtitia enim Dei per illud patefit ex fide in fidem. Rom.1.

Vbi gloriatio?excluſa eſt.Per quam legem?operum?non,imo per legem fidei. Rom.3.

Qui gloriatur,in Domino glorietur. 1.Cor.1.

Iuxta copioſam ſuam miſericordiam regenuit

nos in ſpem viuam. 1.Petr.1.

Arbitramur fide iuſtificari hominem abſque operibus. Rom.3.

Gratia eſtis ſeruati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Eph.2.

Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, nõ ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ, Tit.3.

In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſit Filium ſuum propitiationē pro peccatis noſtris. 1.Ioan.4 Donum autem Dei vita æterna per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Rom.6.

Qui mortem quidem aboleuit, vitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium. 2.Tim.1.

Surrexerunt autem quidam de ſecta Phariſæorum, qui crediderant, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moſis. Conueneruntque Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquiſitio fieret ſurgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meũ audire Gentes verbũ Euangelij & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum,

ſcipulorum,quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus nos ſaluari, quemadmodum & illi. Act.15.

Sed cum vidiſſem,quod non recte ambularent ad veritatem Euangelii,dixi Cephæ coram omnibus,Si tu cum Iudæus ſis gentiliter viuis & non Iudaice,quomodo Gentes cogis Iudaizare? Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. Scientes autem quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti:& nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: Propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro, &c. Item ſtatim. Non abiicio gratiam Dei. Si enim per legẽ iuſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Gal.2.

PATRES.

Hieronymus lib.1. Dial.aduerſus Pelag.

In illa (Lege) operum fundamenta iaciuntur: hîc (in Euangelio) fidei & gratiæ culmen imponitnr.

Haymo ſuper 3.cap.Galat.

Lex ergo non complebatur fide, ſed opere: Euangelium autem complebatur fide magis quam operibus,quia ſola fides ſaluat.

Theophyl.in præfat.ſuper Matth.

Euangelium dicitur,eo quod nuntiet nobis res proſperas,& bene ſe habẽtes:hoc eſt,bona, nempe remiſſionem peccatorum,iuſtitiam,reditum in

cœlos, adoptionem in filios Dei. Nuntiat autem, quod facile & gratis hæc acceperimus, neque noſtro labore aſſecuti ſimus hæc bona: neque ea ex noſtris acceperimus bonis operibus, ſed gratis ex miſericordia Dei talia bona conſecuti ſimus.

Quod porro mandata, hoc eſt, lex ſeruari & impleri, neque vitam largiri poſſit: habes teſtimonia multa in cap. 3. de Lege, antitheto 4. 5. 6. Item cap. 8. de bonis operib. Et cap. 6. de fide cum antithetis. Ac cap. de iuſtificatione eiuſque antithetis.

DE LIBERO ARBITRIO.

CAP. QVINTVM.

ANTITHETON PRIMVM. *IESVITÆ.*

Non tantum in moralibus officiis & actionibus plurimum momenti habet arbitrium humanum: verum etiam in rebus ad ſalutem pertinentibus tantum valet, vt nihil homo agere poſſit quicquam ipſomet non annuente & ad diuinæ gratiæ ſuſceptionem non parato & prompto. Hæc fol. 33.34.35.36.37. Cenſ. Col. In opere Catechiſtico. Caniſij, pagina 350.

ANTI-

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

In homine lapſo poſt peccatum, & non regenerato liberum arbitrium eſt aptitudo tantum ad malum eligendum, & in rebus ſpiritualibus nil aliud quam grauiter peccare poteſt niſi à Dei Spiritu regeneretur. At in homine regenerato quidem, ſed nondum glorificato, & quandiu in hac vita degit, voluntas ſua libertate vtitur, non tantum ad malum, ſed partim ad malum, partim ad bonum: quia mens & voluntas illuminatæ à Spiritu S. incipiunt aliquo modo flecti ad bonum, & inchoare nouam obedientiam: ad malũ, quia ſancti in hac vita multas habent infirmitates & malas inclinationes propter inhærens vel originale peccatũ. Deinde etiam quia bona opera quæ faciũt, ſunt imperfecta & peccatis inquinata. Noua autem piorum obedientiæ laus tota Deo tribuẽda eſt, a cuius ſolo ſpiritu procedit, cuius virtutem ita ſentiunt & deſiderant regenerati, vt gratia Dei ſemper ſint quod ſunt, & ſe nullas vires ad quærendam, acquirendã, poſſidendam, aut conſeruandam hãc gratiam habere ingenue fateantur: Sed vt in electione & vocatione ad Christum, ita in iuſtificatione & ſanctificatione neceſſariam ſingulis momentis ſibi eſſe Spiritus S. (a quo toti pendent) operam agnoſcunt.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Quum ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ. Rom.6.

Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. *Item* Propterea dixi vobis neminem poſſe vnire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Ioan.6.

Nullus per Spiritum Dei loquens dicit, anathema Ieſum, & nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi per Spiritum? 1.Cor.12.

Habemus theſaurũ iſtũ in vaſis fictilibus, vt virtutis eminentia ſit Dei, & non ex nobis. 2.Cor.4.

Senſus & cogitatio cordis humani ad malum prona ſunt omni tempore. Geneſ.6.

Hominis eſt præparare cor, Domini autem eſt gubernare linguam. Prou.16.

A Domino diriguntur greſſus viri. Quis autẽ hominum poteſt intelligere viam ſuam? Prou.20.

Sicut diuiſiones aquarũ, ita & cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. Prou.21.

Dabo filios tuos vniuerſos doctos à Domino. Iſai.54.

Scio Domine, quia non eſt in homine via eius: nec viri eſt, vt dirigat greſſus ſuos. Iere.10.

Dabo leges meas in cordibus eorũ. Ierem.31.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Thren.3.

Auferam cor lapideum ab eis, & immittam eis cor carneum. Ezech.36.

Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum. Matth.13.

Caro & ſanguis non reuelauit tibi. Matth.19.

Chriſtus aperuit diſcipulis ſcripturas, quas ſuopte ingenio intelligere non poterant. Luc. 24.

Non poteſt homo accipere quicquam, niſi donatum fuerit ei e cœlo. Ioan.3.

Niſi quis natus fuerit deſuper, non intrabit in regnum

regnum cœlorum. Cap.3.

Omne quod dat mihi pater, non eiicio foras. Cap.6.

Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Ibidem.

Spiritum veritatis mundus non nouit. cap.14.

Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Ibidem.

Cum venerit ſpiritus ille veritatis, ille ducet vos in omnem veritatem. Cap.16.

Deus reuelauit nobis per ſpiritũ ſuum. 2.Cor.2.

Quid habes quod nõ accepiſti? Si accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? 2.Cor.4.

Nõ autẽ ego, ſed gratia Dei quæ in me eſt: gratia Dei ſum id quod ſum. 1.Cor.15.

Dicit Paulus, Euangelium ſe nõ ab hominibus accepiſſe, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Gal.1.

Viuo autẽ iam non ego, viuit ergo in me Chriſtus. Cap.2.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens. Iacob.1.

Vnctio docebit vos omnia. 1.Ioan.2.

Sana me domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es. Ierem.17.

Is qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti. Philip.1.

Qui idoneos nos fecit ad participationem ſortis ſanctorum in lumine. Col.1.

Dabo eis cor viuum, & ſpiritum nouum tribuã in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant, faciantque ea. Ezech.11.

Non quia idonei ſimus ex nobis ipſis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipſis, ſed omnis idoneitas noſtra ex Deo eſt. 2.Cor.3.

Nam Deus is eſt qui agit in nobis & vt velitis, & vt efficiatis, pro bono animi propoſito. Phil.2.

Apud Dominum greſſus hominis dirigentur,& viam eius volet. Pro.16.

Scio quod non habitat in me,hoc eſt, in carne mea bonum. Rom.7.

Dabo eis cor,vt ſciant me,quia ego ſum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Hier.24.

Perditio tua Iſrael ex te,tantummodo in me auxilium tuum. Oſeæ 13.

Hæc autem ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis,illa faciatis. Gal.5.

Non enim quod volo hoc facio bonum, ſed quod odi malum,hoc ago. Rom.7.

Non volentis eſt neque currentis, ſed Dei miſerentis. Rom.9.

Deus pacis, qui reduxit à mortuis paſtorem ouium illum magnum, per ſanguinem teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum, abſolutos vos reddat, in opere bono, ad faciendum voluntatem ipſius, efficiens, vt quod agitis, acceptum ſit in conſpectu ſuo, per Ieſum Chriſtum. Hebr.11.

Cum ipſi in nobis ipſis ſententiam mortis acceperamus, ne confideremus in nobis ipſis, ſed in Deo,qui ad vitam ſuſcitat mortuos. 2.Cor.1.

Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius. Pro.16.

Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui,cum ſitis mali? Matth.7.

Qui manet in me,& ego in eo,hic fert fructum multum:quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. Ioan.15.

PATRES.

Arnobius lib.2.contra Gentes.

Vos veſtrarum animarum ſalutem in vobis ipſis reponitis, fierique vos Deos, veſtro fidicis inteſtinoque conatu. At vero nos nobis nihil de noſtrá infirmitate promittimus, naturam intuentes noſtram virium eſſe nullarum, & a ſuis affectibus in omni rerum contentione ſuperari. Vos cum primũ ſoluti membrorum abieritis, enodes alas vobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere, atque ad ſydera volare poſſitis? nos tantam reformidamus audaciam, nec in noſtra ducimus eſſe poſitum poteſtate, res ſuperas petere.

Hilarius in Pſal.123.

Quis relictus eſt nobis gloriandi locus, recordãtibus omnia ex Deo eſſe? Si non in omnibus opus eſt Dei miſericordia, etiam omnia nobis, tanquam ex noſtro ſint, vendicemus.

Ambroſius libr.1.de vocatione Gentium.

Cap.9.

Ex Deo vtique eſſe, vt homo viam Dei eligat, & vt ſurgat a lapſu, Pſalmus Dauidicus canit, dicens: A Domino greſſus hominis diriguntur, & viã eius volet: cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.

Auguſtinus in Enchiridio.

Iſta libertas ad benefaciendum nunquam erit homini addicto & vendito ſub peccato, niſi eum redimat qui dicit: Si Filius vos liberauerit. Quod antequã fieri in homine incipiat, quomodo quiſquam de libero arbitrio gloriatur, qui nondum eſt liber ad operandum bene?

Maxen.lib.contra Pelag.

Liberum aut naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, niſi ad diſcernenda tantum, &

deſideranda carnalia,ſiue ſecularia, quæ non apud Deum, ſed apud homines fortaſſis poſſunt videri glorioſa. Ad ea vero quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec deſiderare, nec perficere poſſe, niſi per infuſionem & inoperationem intrinſecus Spiritus ſancti, qui eſt Spiritus Chriſti. Spiritum enim Chriſti, qui non habet, hic non eſt eius.

Auguſtinus de verbis Apoſtol. Serm. 13.

SI Spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Rom. 8. Dicturus eras, hoc poteſt voluntas mea, hoc poteſt liberum arbitrium meũ? Quę voluntas? quod liberũ arbitrium? Niſi ille regat, cadis? niſi erigat, iaces. Quomodo ergo ſpiritu tuo? Cum audis Apoſtolum: Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei? Tu te vis agere a te ipſo? Vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid prodeſt tibi? Quia non eris Epicurus, ſed eris Stoicus? Siue Epicurus eris, ſiue Stoicus eris, inter filios Dei nõ eris. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Non qui ſecundum carnem viuunt ſuam, non qui ſecundum ſpiritum viuunt ſuum, non qui agũtur ſpiritu ſuo: ſed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Dicet mihi aliquis? Ergo agimur, & non agimus. Reſpondeo, Imo, & agis & ageris: ſed tunc bene agis, ſi à bono Spiritu agaris. Et ſequitur: Prorſus ſi defuerit Spiritus Dei, nihil boni agere poteris. Agis, quidem illo non adiuuante libera voluntate, ſed male. Ad hoc idonea eſt voluntas tua, quæ vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancilla. Cum dico, ſine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico: nã ad male agendũ habes, ſine adiutorio Dei, liberam voluntatem: quãquam illa non eſt libera. Sequitur: Sic tamen ſcitote vos agere bona, vt ſit rector Spiritus adiutor:

qui

qui ſi defuerit, nihil boni omnino agere valetis. *Idem contra 2. Epiſtol. Pelag. ad Ponti.* Dicunt Pelagiani ſe confiteri gratiam, adiuuari vniuſcuiuſque propoſitum bonum, non tamen ſtudium virtutis immittere reluctanti. Hoc quippe ita dicunt, velut homo a ſe ipſo, ſine adiutorio Dei, habeat propoſitum bonum, ſtudiumque virtutis: quo merito præcedente, pignus ſit adiuuari, Dei gratia ſubſequente. *Idem de prædeſtinatione Sanct. cap.*8. Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia penitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet vt veniatur ad Filium, aufert cor lapideũ, & dat cor carneum. Sic quippe facit filios promiſſionis, & vaſa miſericordiæ, quę pręparauit in gloriã. Cur ergo non omnes docet, vt veniãt ad Chriſtũ: niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet? Quos autẽ non docet, iudicio non docet. *Idem contra Pel. & Cœl. de gratia, cap.*14. Sic enim (ſicut veritas docet) omnis qui didicit venit: quiſquis autem non venit, profecto non didicit. Quis autẽ nõ videat, & venire quemquã, aut nõ venire arbitrio voluntatis? ſed hoc poteſt eſſe ſolum, ſi non venit: non autem poteſt niſi adiutum eſſe ſi venit: & ſic adiutum, vt nõ ſolum quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit etiam facit. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis literam, ſed per ſpiritus gratiã, ita docet, vt quod quiſque didicerit, nõ tãtũ cognoſcẽdo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. *Idem de verbis Apoſt. ſerm.*18. O malũ liberũ arbitrium ſine Deo. Experti ſumus quid valeat ſine Deo, ideo miſeri facti ſumus: quia ſine Deo quid valeat experti ſumus. *Et poſt pauca:* Ecce bonus factus eſt homo per liberum arbitriũ:

ſeruare ſe non potuit bonus bonum, & facturus eſt ſe malus bonum? Cum eſſet bonus, non ſe ſeruauit bonum: & cum ſit malus, dicit, faciam me bonum? *Idem in Enchirid. cap. 29.* Quid enim boni operari poteſt perditus, niſi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid liberum voluntatis arbitrium? Et hoc abſit. Nam libero arbitrio male vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, vtique viuendo ſe occidet, ſed ſe occidendo non viuit, nec ſe ipſum poteſt reſuſcitare, cum ſe occiderit. Itaque cum libero peccamus arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Petri certe Apoſtoli eſt iſta ſententia 2. Petri 2. Quę cum vera ſit, qualis quæſo poteſt eſſe ſerui addicti libertas, niſi quãdo eum peccare delectat? *Idem ad Vitalem, Epiſtola* 107. Quapropter vt in eum credamus, & pie viuamus non volentis, neque merentis, ſed miſerentis eſt Dei: non quia velle & currere nõ debemus, ſed quia ipſe in nobis & velle operatur, & currere. *Idẽ lib. 1. Retract. cap.* 1. Nã quantũ ad hominis naturam, nihil eſt in eo melius, quam mens & ratio, ſed non ſecundum ipſam debet viuere, qui beate vult viuere: alioqui ſecundum hominem viuit, cum ſecundum Deum viuendum ſit, vt poſſit ad beatitudinem peruenire: propter quam conſequendam, non ſe ipſa debet eſſe contenta, ſed Deo mens noſtra ſubdenda eſt. *Contra Pelagianos ad Bonifacium lib.* 1. *Cap.* 38. Ex Dei potentia, vel in malum, vel in bonum, nullus inuitus cogitur: ſed Deo deſerente pro meritis in malum it: & Deo adiuuante ſine meritis conuertitur ad bonum. Non enim eſt homo bonus, ſi nolit, ſed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur vt velit, quoniam non inaniter ſcriptum eſt: Deus operatur in nobis, & velle & operari. Et præparatur voluntas à Domino: Philip. 2.

Quid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrij opus? hoc ſolum eſt eius meritum, quod conſentit? Eſt prorſus, non quidem, quod vel ipſe conſenſus, in quo omne meritum conſiſtit, ab ipſo Deo non ſit eum nec cogitare (quod minus eſt quam conſentire) aliquid à nobis quod ex nobis ſufficientes ſumus. Verba non ſunt mea, ſed Apoſtoli: quia omne quod bonum eſſe poteſt, id eſt & cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo non ſuo arbitrio. Talia crebro leguntur in omnibus eius operibus: quæ ſunt contra liberum arbitrium. *Item.* In eandem imaginem transformemur, tanquam à ſpiritu Domini, &c.) Ergo ſi à Domini ſpiritu, iam non à libero arbitrio. Nemo proinde putet, ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum poteſtate, aut facultate, verſetur: cadere per ſe quidem poterit, non autem reſurgere niſi per ſpiritum Dei. Alioqui nec Deus nec Angeli ſancti, cum ita ſint boni, vt non poſſint eſſe mali: nec præuaricatores item Angeli, cum ita ſint mali, vt non vellent eſſe boni, liberi arbitrij eſſe dicuntur. Sed & nos illud poſt reſurrectionem amiſſuri ſumus, quando vtique ſeparabiliter alij bonis, alij malis admixti fuerimus. Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniam quod ille non eſſe poteſt malus, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bona voluntas, & voluntaria firmitas: quodque diabolus non valet in bonum reſpirare, non aliqua facit violenta oppreſſio: ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, ac voluntaria obſtinatio. Nunc igitur ex eo potius dicitur liberum arbitrium, quod ſiue in bono ſiue in malo, æque liberam facit voluntatem: cum nec

bonus quiſpiam, nec item malus dici debeat, aut eſſe valeat, niſi volens. Tali iam ratione non incongrue dicetur, ad bonum ſe & ad malum habere ęqualiter, quod vtrobique videlicet par ſit ei, non quidem in electione facilitas, ſed in voluntate libertas. *Idem in Can. Serm.* 81. Solus homo à natura vim non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber, & tamen interueniente peccato patitur quãdam vim & ipſe, ſed à voluntate non à natura, vt ne ſic quidẽ ingẽti libertate priuetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factũ eſt, vt corpus quod corrumpitur, aggrauet animũ, ſed amore non mole. Nam quod ſurgere anima per ſe iam non poteſt, quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt: quæ corrupti corporis, vitiato ac vitioſo amore languẽſcens & iacens, amorẽ pariter iuſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo prauo & miro modo, ipſa ſibi voluntas (peccato quidem in deterius mutato) neceſſitatem facit, vt nec neceſſitas (cum voluntaria ſit) excuſare valeat volũtatem, nec voluntas (cum ſit illecta) excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt fauorabilis vis quædam, præmendo blandiens, & blandiendo præmens. Vnde ſeſe rea voluntas, vbi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere iam per ſe, nec excuſare tamen illatenus de ratione queat. Inde querula illa vox, veluti gementis ſub onere neceſſitatis huius, Domine (inquit) vim patior, reſpõde pro me. Sed rurſus ſciẽs, quod non iuſte verſetur aduerſus Dominum, cum volũtas ſua potius in cauſa foret attende quid ſecutus intulerit. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim? Premebar iugo, non alio tamen, quam voluntariæ cuiuſdam ſeruitutis: & erat pro ſeruitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt, quæ

ſe, cum

ſe,cum eſſet libera,ſeruam fecit peccati, peccato aſſentiendo,voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet voluntarie ſeruiendo.

Vide quid dicas(ait aliquis)mihi. Tu voluntarium dicis, quod iam neceſſarium conſtat eſſe? Verum quidem eſt, quod voluntas ſeipſam addixerit,ſed non ipſa ſe retinet,magis retinetur & volens.Reſponſio.Bene hoc ſaltem das, quia retinetur,ſed vigilanter retinetur,voluntatem eſſe: quã retinere fateris, itaque voluntatem nolentem dicis.Non vtique voluntas retinetur,non volens.Voluntas enim volentis eſt,non nolentis.Quod ſi volens retinetur,ipſa ſe retinet.Quid ergo dicet?ſeruum ſe fecit.Vnde dicitur:Qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati.Propterea cum peccauit(peccauit autem,cũ peccato obedire decreuit)ſeruã ſe fecit.

Hieron aduerſus Pelagianos.

Nos ex eo differimus à brutis animalibus,quod liberi arbitrij conditi ſumus. Sed ipſum liberum arbitrium Dei nititur auxilio,illiuſque per ſingula ope indiget.*Et in Epiſt.ad Cteſiphontem.* Sciamus nos nihil eſſe,niſi,quod donauit,in nobis ipſe ſeruauerit,dicente Apoſtolo:Non eſt volentis,neque currentis, ſed miſerentis Dei. Velle & currere meum eſt:ſed ipſum meum, ſine Dei ſemper auxilio,nõ erit meũ.Dicit enim idem Apoſtolus:Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere.

Albinus in 9.cap.Eccleſ.

Non eſt volentis neque currentis,ſed Dei miſerentis,quia ſine gratia Dei nec voluntas bona erit in homine,neque curſus boni operis ſine Deo fieri valet. *Et in præfatione 4. Pſalmi.* Sine Spiritus ſancti gratia remiſſionem accipere nemo poterit. *ibidem.* Sordidare me potui,

ſed mundare nequeo, niſi tu Domine IESV ſancti ſanguinis tui aſperſione mundum me facias. *Et in 7. Pſalm.* Nihil boni in nobis eſſe poteſt, niſi tua operante gratia fiat, qui nos feciſti. *Et in* 118. Niſi ab ipſo Domino dirigantur viæ noſtræ ad eius cuſtodiendas iuſtificationes infirmi erimus, propter fragilitatem carnis. *Item lib.6.in Ioan.cap.*15. Filij Dei per gratiam effecti ſumus, ſine qua nihil facere poſſumus: vt ipſa veritas ait, Sine me nihil poteſtis facere.

Haymo in 1. Corinth. 12. cap.

Deus operatur omnia in omnibus. Quibus verbis tollitur humana arrogantia, cum ſine Spiritu ſancto nec magna nec minima bona operari poſſit noſtra fragilitas. *Et in 1. Corinth. 15. cap.* Per liberum arbitrium Paulus cooperatus eſt gratiæ Dei. Ipſa tamen gratia præuenit eum, vt vellet, & ſubſecuta eſt, vt poſſet implere, quod volebat. *Idem ſuper 91. Pſal.* Nullus bene agit, niſi te Deo, non ipſo operante. *Item in 2. Corint.*3. Non ſolum non valemus bonum aliquod perficere ſine Dei miſericordia & gratia præcedente & ſubſequente, ſed nec cogitare. Dei enim gratia nos præuenit vt velim⁹, & ipſa nos ſubſequitur vt poſſimus. *Et ſuper 2. ad Philippenſ.* Omne bonum quod habemus, tam bona voluntas, quam bona operatio, non eſt à nobis, ſed à Deo. Et vt reliquorum Patrum teſtimonia breuibus allegem: Legatur *Giſelbertus* in li. Altercat. ca. 4.11.12.

Et *Radulpus* libr.5.cap.1.in Leuitic. & cap.3. Itē libr.6.cap.5.in Leuit. Et lib.12.cap.1. Et lib.14.cap.3. Lib.19.cap.8. *Theophylactus* in 15.cap. Matthæi. Et in 12.cap. Lucæ. Et ſup.2.Cor.2. Et in 2.ca.ad Galatas: Noſtra quidem, inquit, voluntas mortua eſt: illius (Chriſti) autem viuit & gubernat vitam noſtram, Anshelmus in 9.cap.ad Roman. Et lib.1. Cur Deus homo,

homo,cap.10.Nemo venit ad me,niſi Pater traxerit eum,id eſt,impulerit eum,dando voluntatem. Et in lib. de Concord. gra. & libe. arbitr. Item in 14. cap.ad Rom.Voluntate ſua cadit, qui cadit: ſed voluntate Dei ſtat,qui ſtat:vel ſurgit,qui ſurgit.Nã per ſe poteſt cadere, ſed per Deum reſurgere.Item in 2.Cor.3.Et ſuper 2. Cor.13. Sine Deo nihil valet humanæ voluntatis arbitrium. Honorius de Prædeſtin.& libero arbitrio.Et in Pſal.17.

Ioan. Maxentius in profeſſione Catholica de Chriſto circa finem.

Quapropter Anathematizamus,ait,eos,qui naturale aut ſubſtantiam aliquam dicunt eſſe peccatum. Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apoſtoli audent dicere,noſtrum eſt velle,Dei vero perficere, cum idem DOCTOR & velle & perficere donum teſtetur eſſe diuinum, ipſo dicente: Deus enim eſt qui operatur in vobis & velle & perficere.

Auguſtinus de gratia & libero arbi.cap.17.

Deus præparat volũtatem,& cooperando perficit quod operando incepit. Quoniam ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.Vt ergo velimus,ſine nobis operatur?cum autẽ volumus, & ſic volumus vt faciamus,nobiſcum cooperatur:tamen ſine illo vel operante vt velimus,vel cooperãte cũ volumus,ad bona pietatis opera nihil valemus. *Et cap.16.*

Certum eſt nos velle cum volumus: ſed ille facit vt velimus, de quo dictum eſt,Deus eſt qui operatur in vobis velle.Certum eſt nos facere cum facimus:ſed ille facit vt faciamus, præbendo voluntati vires efficaciſſimas, qui dixit, Faciam vt

faciatis. Quid hoc aliud eſt, niſi, Auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis: & dabo carneum vnde faciatis, &c. *De correptione & gratia, cap. 2.* Non ſe itaque fallant qui dicunt, Vt quid nobis prædicatur & præcipitur vt declinemus à malo & faciamus bonum, ſi hoc non agimus: ſed id velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant, Si filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi: vt quod agendum eſt agant, & cum egerunt illi à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant. *Et cap. 12.* Si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamē virtutem perſici oportebat, renatis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio DEI perſeuerarent ſi vellent, nec DEVS in eis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet. Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur: & ideo quanuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur. *De bono perſeuerantiæ. cap. 6.* Tutiores viuimus ſi totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte cōmittimus. *Et cap. 13.* Nos ergo volumus, ſed Deus operatur in nobis velle. Nos ergo operamur: ſed Deus in nobis operatur & operari, pro bona ſua voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere. Hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non ſumus idonei ex nobis ipſis cogitare aliquid, tanquam ex nobis ipſis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *De dogmatibus Eccleſiaſticis. cap. 17.* Sancta cogitatio, bonum propoſitum, pium conſilium, omniſque

mniſque motus bonæ voluntatis ex Deo eſt: quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. *Et cap.*32. Deus agit in nobis vt velimus & agamus: nec otioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda non negligenda dedit, vt & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei, ac ſi quid in nobis ex noſtra remiſſione langueſcere viderimus, ad illum ſollicite recurramus qui ſanat omnes languores noſtros. *Ad Bonifacium lib.*1.*cap.* 19. Chriſtus non dixit, Duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem: ſed dicit, Traxerit. Quis autem trahitur ſi iam volebat: & tamen nemo venit niſi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari: non vt homines (quod fieri non poteſt) nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant. *In Enchiridio, cap.*32. Nolentem præuenit vt velit: volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. *Contra* 2. *epiſt. lib.* 4. *cap.*6. Pelagius dicit gratiam adiuuare bonum cuiuſque propoſitum: non tamen reluctanti ſtudium virtutis immittere. Auguſtinus reſpondet, illud poſſe bene intelligi, ſi non ab iſtis, quorum ſenſus notus eſt, diceretur. Reluctanti enim prius aditus diuinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur: ac deinde in illo iam nō reluctante Spiritus virtutis accenditur.

Ambroſius de vocatione Gentium libro primo, capite 9.

Licet ineſt homini nolle bonum, tamen, niſi donatum, non habet bonum velle: illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. *Et lib.* 2. *cap.* 9. Quod gratia a multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ, quod autem a multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ, & voluntatis humanæ. Nulla enim ſpecies cu-

iuſque virtutis occurret,quæ vel ſine dono diuinę gratiæ,vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur. *Quod ſic explicat.* Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi & auxiliandi agit,vt in eo quem vocat optimam ſibi receptricem & famulā donorum ſuorum præparet voluntatem.

Auguſtinus de gratia & libero arbitrio, capite 16.

Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putāt, quādo dicunt:Non iuberet Deus, quod ſciret ab homine non poſſe fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua quæ nō poſſumus,vt nouerimus quid ab ipſo petere debeamus. Ex lege enim præcipiente & prohibente non eſt agnitio virtutis & potentiæ noſtræ:ſed peccati agnitio. Et tamen nō fruſtra iubetur:promittitur enim gratia,quæ operatur vt velimus & faciamus. *Idem ibidem.* Meminerimus ipſum dicere:Facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum: quia dicit, Dabo vobis cor nouum, & ſpiritūm nouum dabo vobis.Quo modo ergo quod dicit,Facite vobis, hoc dicit, dabo vobis?Quare iubet,ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt?niſi quia dat quod iubet, & adiuuat vt faciat cui iubet. Per gratiam enim fit, vt ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ: per hanc etiam fit,vt ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, augeatur. *Contra* 2. *Epiſt. Pelag. libro.* 2. *cap.* 10. Nihil in Scripturis ſanctis homini à Deo video iuberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inueniatur vel dari ab eius bonitate, vel poſci propter adiutorium gratiæ demonſtrandum. *de prædeſtinatione & gratia, cap.* 11. Exeat nunc liberi, contra Dei gratiam defenſor arbitrii, audiat dicentem Apoſtolum, quum de bonis ſuis laboribus loqueretur, non ego autem, ſed gratia

gratia Dei mecum. Audiat Dei vocem in Pſalmo de his quos deſeruerat, dicentem, Et dimiſi eos ſecundum deſyderia cordis eorum: ibunt in voluntatibus ſuis. Audiat vnum eundémque Apoſtolum de vitæ ſuæ variis temporibus ſibi tantum mala, gratiæ autem Dei bona omnia tribuentem: Qui prius fui blaſphemus & perſecutor. Et aliâs, Gratia Dei, ſum id quod ſum. Cum diceret, Qui prius fui blaſphemus & perſecutor, nulla gratiæ mentio iniquo operi copulabatur, quia ſufficit ſibi, ſicut dictum eſt, ad nequitiam natura libertatis humanæ. Cum vero de præſentis vitæ beatitudine loqueretur, Gratia, inquit, Dei ſum id quod ſum, &c.

DE FIDE

CAPVT SEXTVM.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

Fides eſt firmiſſima aſſenſio non tantum eorum quæ in ſcriptura patefacta ſunt: verũ etiã illorum, quæ ſine ſcripto per manus tradita ſunt. In Cenſ. fol.91. In opere Catechiſtico Caniſii, folio 3.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Fides, eſt non tantum notitia qua firmiter aſſen-

titur Chriſtianus omnibus quæ in verbo ſuo Deus patefecit, ſed etiam certa fiducia à Spiritu ſancto per Euangelium in corde accenſa, qua in Deo acquieſcit, certo ſtatuens nō ſolum aliis; ſed ſibi quoque remiſſionem peccatorum, æternam iuſtitiam, & vitam donatam eſſe, idque gratis ex Dei miſericordia propter vnius Chriſti meritum.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Per verbum Domini figebant tentoria. Num.1.

Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtiis domus tuæ. Deut.6.

Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. Cap.11.

Beatus vir qui meditatur in lege domini die ac nocte, &c. Pſal.1.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea. Et 118.

Solomon prolixè hortatur ad cognitionem verbi, quæ eſt vera ſapientia. Pro.1.

Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quomodo autē audient abſque prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi miſſi fuerint? Fides ergo per verbum Dei. Si per verbum Dei, nulla eſt fides, quæ non ſubſiſtit in verbo Dei. Rom.10.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo complacitum eſt mihi, hunc audite. Matth.17.

Crediderunt diſcipuli ſcripturæ & ſermoni quem dixit IESVS. Ioan.2.

Amen

Amen amen dico vobis:qui verbum meum audit:& credit ei,qui miſit me, habet vitā æternam, & in iudicium non veniet,ſed tranſiet à morte in vitam. Ioan.5.

Et ſtatim:Nolite putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem:eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.Si enim crederetis Moyſi,crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis,quomodo verbis meis credetis?

Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Ioan.6.

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis,quia ex Deo non eſtis. Ioan.7.

Nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus,an ex Deo ſint. Quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. 1.Ioan.4.

Vt vos ſpem ac fidem haberetis erga Deum, qui animas veſtras purificaſtis obediendo veritati per Spiritum. 1.Pet.2.

Neque credunt in id,ad quod inſtituti fuerant. 1.Petr.2.

Qui nouit Deum,audit nos:qui non eſt ex Deo, non audit nos. 1.Ioan.4.

Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Chriſti,Deum non habet.Qui permanet in doctrina, hic Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos,& hanc doctrinam non adfert: nolite eum recipere in domum,nec AVE ei dixeritis. 2.Ioan.

Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo,qui vos vocauit in gratiā Chriſti,in aliud Euāgelium, quod non eſt aliud,niſi ſunt aliqui,qui vos cōturbant,& volunt conuertere Euangeliū Chriſti.Sed licet nos,aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquā quod euangelizauimus vobis,Anathe-

ma ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, Anathema ſit. Gal.1.

Sacræ literæ poſſunt te eruditum reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto IESV. 2.Ti.3.

Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum. Epheſ.2.

Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis. Deut.4.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addes quicquam nec minuas. Deut.12.

Omnis ſermo Dei purgatus eſt, & clypeus iis, qui fidunt ei. Ne addas ſermonibus eius, ne te obiurget, tuque mendax deprehendaris. Prou.30.

Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum nón apparentium. Hebr.11.

Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Iac.1.

Propterea ex fide *eſt hæreditas*, vt ſit per gratiã, vt firma ſit promiſſio toti ſemini: id eſt non ſolum ei quod eſt ex Lege, verum etiam ei quod eſt ex fide Abraham, qui eſt pater omnium noſtrûm, &c. Rom.4.

Iuſtificati ergo ex fide pacẽ habemus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Rom.5.

Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis. Matth.16.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei. Ioan.3.

Iuſtus ex fide viuet: at ſi quis ſe ſubduxerit, non probat eum animus meus. Hebr.10.

Gratia eſtis ſeruati per fidem, idque non ex vobis: Dei donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur. Epheſ.2.

Scientes

Scientes non iuſtificari hominem ex operibus Legis,ſed per fidem Ieſu Chriſti, etiã nos in Chriſtum Ieſum credidimus, vt iuſtificaremur ex fide Ieſu Chriſti, & non ex operibus Legis: propterea quod non iuſtificabitur ex operibus Legis vlla caro. Galat.2.

Plura teſtimonia habes in cap.1.de S. ſcriptura eiuſque antithetis, & cap. 13. de Traditionibus. Item cap.9.de Eccleſia,antitheto 2.

PATRES.

Irenæus lib.3.cap.4.

Quid enim ſi de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere, quod certum & re liquidum eſt?

Tertullianus lib.de præſcriptionibus.

Si DOMINVS IESVS Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandũ, alij recipiendi non ſunt prædicatores,quam quos Chriſtus inſtituit.Quia nec alius Patrem nouit,niſi Filius & cui Filius reuelauit:& nec aliis videtur reuelaſſe Filius quam Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit.Quid autẽ prædicauerint,id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit,& hîc præſcribam,non aliter probari debere,niſi per eaſdem Eccleſias,quas ipſi Apoſtoli condiderunt,ipſi eis prędicando,tam viua (quod aiunt) voce,quam per epiſtolas poſtea.

Cyprianus ad Pompeium contra epiſtolas Stephani.

Sacerdotes præcepta diuina ſeruantes, oportet facere,vt in aliquo ſi nudauerit & vacillauerit veritas,ad originem Dominicam,& Euãgelicam, &

Apoſtolicã traditioné reuertamur ,& inde ſurgat actus noſtri ratio,vnde & ordo & origo ſurrepit.

Cætera teſtimonia copioſe habes in c. 9. de Eccleſia,antitheto 2.Item cap.1.de S.Scriptura , eiuſque antithetis.Et capite 13.de Traditionibus.

II.

IESVITÆ.

*Quod iuſtus ex fide viuit , illud non habet in Chriſto,ſed ex operationibus ſuis.*Cenſ.folio.118.

Item quod fides iuſtificat,illam formam ſeu vim non habet ex Chriſto quem apprehendit & poſſidet,ſed a charitate noſtra, fol. 114. *&* 92. *Et fol.* 118. *Fides non ideo iuſtificat , quia apprehendit Chriſtum,qui eſt Iuſtitia noſtra: ſed tam ſunt neceſſariæ operationes , tantumque habent momenti, vt fidei ſuam vitam largiantur.*

II.

IESVS.

Iuſtus ex fide viuit. Viuit autem non amplius ille,ſed viuit in eo Chriſtus , & vitam quam nunc iuſtus viuit In carne , viuit per fidem Filij Dei qui dilexit eum, & tradidit ſemetipſum pro eo.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Credidit Abraham Deo,& reputatum eſt ei ad iuſtitiam.

iuſtitiam. Geneſ.15. Rom.4.
Et exaudiuit eos, quod credidiſſent in eum. 1. Para.6.
Beati omnes, qui confidunt in eo Pſal.2.
Et 25. Deus meus, in te confido, non erubeſcam.
Et ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus. Oſeæ.2.
Qui credit in Filium, habet vitam æternã. Ioã.3.
Amen amen dico vobis, qui audit ſermonem meum, & credit ei, qui miſit me, habet vitam ęternam. Ioan.5.
Et 6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.
Et 10. Omnis qui fidit in eo, non pudefiet.
Si confeſſus fueris ore Dominũ IESVM CHRISTVM, & credideris in corde tuo, quod Deus illũ excitauit à mortuis, ſaluus eris. Rom.10.
Præuidens Scriptura, quod ex fide purificet gẽtes. Gal.3.
Siquidem iuſtus ex fide viuet: lex autem non eſt ex fide. Ibidem.
Omnes filij Dei eſtis, eoque credidiſtis IESV CHRISTO. Galat.5.
Iterum: Lex pędagogus noſter fuit ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificaremur. Gal.5.
Iuſto non eſt lex poſita. Finis præcepti charitas, ex fide non ſimulata. 1. Tim.2.
Fides eſt ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium. Hebr.11.
Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Ibidem.
Omnis qui credit IESVM eſſe CHRISTVM, ex Deo natus eſt. 1. Ioan.5.
Credite in DOMINO DEO veſtro, & ſecuri eritis. Act.20.
Beneplacitũ eſt DOMINO ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius. Pſ.147.

Iuſtitia tua iuſtificabit plurimos. Eſa.53.

Et 57. Qui fiduciam habent mei,hæreditabunt terram.

Iuſtus ex fide viuit. Rom.1. Abac.7.

Qui crediderit,& baptizatus fuerit,ſaluus erit. *Mar.vlt.*

Quotquot acceperunt eum,dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri,iis qui credũt in nomine eius.Ioã.1.

Et 3. Qui credit,non iudicatur:qui non credit, iam iudicatus eſt.

Et 5. Amen amen dico vobis,ſi quis audit ſermonem meum,& credit ei qui miſit me,habet vitam æternam.

Et 17. Hæc eſt vita æterna, vt credant te Deum verum,& quem miſiſti IESVM CHRISTVM.

Iuſtitia ſi eſt ex operibus noſtris,iam gratia non eſt,& Chriſtus gratis mortuus eſt. Rom.11.

Et 10.Corde creditur ad iuſtitiam.

In ſciẽtia ſui iuſtificabit ipſe Iuſtus ſeruus meus multos,& iniquitates eorum ipſe portabit. Eſa.53.

Quid faciemus,vt operemur opera Dei?reſpondit IESVS, Hoc eſt opus Dei,vt credatis in eum, quem miſit ille. Ioan.6.

Iuſtitia Dei per fidẽ IESV CHRISTI in omnes, & ſuper omnes,qui credũt:Et,Arbitramur fide iuſtificari hominem,abſque operibus legis. Rom.3.

Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam,iuſtitiam autem eam, quæ eſt ex fide:cõtra,Iſrael,qui ſectabatur legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Propter quid? Quia non ex fide,ſed tanquam ex operibus legis. Rom.9.

Quoniam ſcimus, non iuſtificari hominem ex operibus legis,niſi per fidem IESV CHRISTI:& nos in CHRISTVM IESVM credimus,vt iuſtificaremur ex fide Chriſti,& non ex operibus legis,

pro-

propterea,quod non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro. Viuo autem non amplius ego: ſed viuit in me Chriſtus.& vitam quam nunc viuo in carne viuo per fidem filij Dei, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me. Gal.2.

Nam ſi per legem iuſtitia, ergo Chriſtus fruſtra mortuus fuit. Gal.2.

Gratia enim ſeruati eſtis per fidem, idque non ex vobis,Dei donum eſt:non ex operibus, ne quis glorietur. Epheſ.2.

Vobis donatum eſt pro Chriſto,non ſolum vt in eum credatis:verum etiam,vt pro illo patiamini. Philip.1.

Non enim omnium eſt fides : ſed fidelis eſt Dominus, qui ſtabiliet vos & cuſtodiet à malo. 2.Theſ.3.

Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, ꝙ remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius,quiſquis crediderit in eum. Act.10.

Neque circumciſio quidquam valet,neque præputium,ſed fides per dilectionem operans. Gal.5.

Crede in Dominum IESVM,& ſaluus eris tu & domus tua. Act.16.

Ecce pono in Zion lapidem in ſummo ponendũ angulo,electum,precioſum. Et qui crediderit in illo,non pudefiet. 1.Petr.2.

Viri fratres,notum ſit vobis,quod per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur,& ab omnibus,à quibus non potuiſtis per legem Moſis iuſtificari,per hũc omnis qui credit,iuſtificatur. Act.13.

Omnis qui fidit illi,non pudefiet. Eſa.26.

Si confeſſus fueris ore tuo Dominum IESVM, & credideris in corde tuo,quod Deus illum excitaueri à mortuis,ſaluus eris. Rom.3.

Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum,ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.

Qui credit in eum,non iudicetur, ſed habeat vitam æternam. Ioan.3.

Amen amen dico vobis. Qui ſermonem meum audit,& credit ei,qui miſit me,habet vitam æternam & in condemnationem non veniet, ſed tranſiet à morte in vitam:& qui audierint vocem filij Dei,viuent. Ioan.3.

Chriſtus factus nobis à Deo, ſapientia iuſtitiaque,& ſanctificatio,& redemptio: vt omnis qui gloriatur,in Domino glorietur. 1.Cor.1.

Per ſanguinem Chriſti redemptionem, remiſſionéque omnium peccatorum habemus. Epheſ.1.

Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram illo, nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt. Rom.3.

Vt & inueniar in illo,non habens meam iuſtitiã quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu,quæ eſt ex Deo,eſt iuſtitia in fide. Philip.3.

Chriſtus nobis factus eſt otioſus,quicunque per legem iuſtificamini,à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Gal.5.

Cognoſcite ergo,quia qui ex fide ſunt,ij ſunt filij Abrahæ. Galat.3.

Ibidem. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato,vt promiſſio ex fide dareter credentibus.

Nihil diſcreuit inter nos & illos,fide purificans corda illorum. Act.15.

Nam ſi Abraham ex operibus fuit iuſtificatus, habet quod glorietur,at non apud Deum. Rom.4.

Credidit Abraham Deo,& reputatum eſt illi ad iuſtitiam.Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam,ſed ſecundum debitũ. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium,reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ. *Ibidem.*

P A-

PATRES.

Origenes lib.3.ad Romanos.

Arbitramur, inquit, iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. Dicit ſufficere ſolius fidei iuſtificationem, ita vt credens quis tãtummodo, iuſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum. *Idem ibidem.* Ex nullo legis opere, ſed pro ſola fide, ait ad illam mulierem: Remittuntur tibi peccata tua. *Item Homilia 26.in Numeros.*
Impoſſibile eſt ſine fide ſaluari Chriſtianos, ſiue perfecti, ſiue imbecilles fuerint.

Cyprianus lib.2.Epiſtolarum, Epiſtol.3.

Si Abraham Deo confidit & deputatum eſt ei ad iuſtitiam: vtique quiſquis Deo credit, & fide viuit, iuſtus inuenitur. Gratis enim imputari nobis à Deo iuſtitiam docuerũt. *Et in Expoſitione ſymboli.* Iuſtos eos dixerunt, quibus gratis propter fidem in Chriſtum iuſtitia imputata & donata eſſet.

Hieronymus in cap.10.ad Romanos.

Deus ex ſola fide iuſtificat.

Baſilius lib.de humilitate.

Ea demum perfecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo, quando neque propter ſuam ipſius quis iuſtitiam extollitur, ſed agnoſcit ſe quidem vera deſtitui iuſtitia, verum ſola in Chriſtum fide iuſtificatum eſſe. Et gloriatur in eo Paulus, quod ſuam ipſius iuſtitiam contemnat: ſectetur autem per Chriſtum eam iuſtitiam quæ ex Deo eſt in fide.

Ambroſius ad Rom.cap.3.

Iuſtificati gratis per gratiã ipſius.) Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola fide iuſtificati ſunt, dono Dei. *Idẽ Rom.4.*

Secundum propoſitum gratiæ Dei.) Sic decretũ dicit à Deo, vt ceſſante lege ſolã fidem gratia Dei poſceret ad ſalutẽ. Hoc ipſum munit exẽplo Prophetæ. Beatitudinẽ hominis dicit, cui Deus acceptam fert iuſtitiam ſine operibus. Beatos dicit, de quibus hoc ſanxit Deus, vt ſine labore & aliqua obſeruatione, ſola fide iuſtificentur apud Deum.

Hilarius in Matth. cap. 8.

Remittuntur tibi peccata tua.) Mouet ſcribas remiſſum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Chriſto Ieſu contuebãtur, & remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim ſola iuſtificat.

Ambroſ. Rom. 8.

Conuenit enim, vt in ſolo nomine domini conditoris conſequatur ſalutem creatura: Hoc eſt, per fidem. Quia ſublatis omnibus næomenijs, & ſabbato, & circumciſione, & lege eſcarum, & oblationibus pecorum, ſola fides poſita eſt ad ſalutẽ. *Idem ad Rom. 4.* Beati quorũ, &c.) Manifeſte beati ſunt, quibus ſine labore, vel opere aliquo, remittuntur iniquitates, & peccata teguntur: nulla ab his requiſita pœnitentiæ opera, niſi tantum vt credant.

Athanaſius ad Gal. 3.

Quoniam in lege nemo iuſtificatur. &c.) Nunc plane demonſtrat, fidem ipſam, vel ſolam iuſtificãdi in ſe habere virtutem. Habacuc dicentem inducit: Quia ex fide, non ex lege victurus eſt iuſtus. Lex namque non ſolum exigit fidem, ſed opera. Recte autem, apud Deum, dixit: nam apud homines iuſti forte credentur, qui legi inhæſerunt.

Ambroſ. 1. Corinth. 1.

Super gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu.) Datam dicit gratiam à Deo in Chriſto Ieſu: quæ gratia ſic data eſt in Chriſto Ieſu, quia hoc cõſtitu-

ſtitutum eſt à Deo,vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit ſine opere,Sola fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum. *Idem ad Gal.*1. Lex nobis peccantibus conuerſa eſt, vt fieret inimica:& cœpit occidere,non viuificare. Chriſtus autem condonans delicta,non ſolum viuificauit nos, ſed & ſibi ſociauit,vt filij Dei vocemur, facti per fidem. *Idem ad Rom.*16. Falſi fratres hi erant, qui credentes in Chriſtum, legem tamen ſeruandam dicebant: nõ ſufficere ad plenum ſalutis effectum, Chriſtum,putantes. *Ad Rom.*1. Miſericordia Dei ad hoc data eſt,vt lex ceſſaret, quod ſæpe iam dixi.Quia Deus conſulens infirmitati humanę,ſola fide addita legi naturali,hominum genus ſaluari decreuit. *Ad Rom.*10. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.) Nullum opus dicit legis, ſed ſolam fidem ſufficere in cauſa Chriſti. *Ibidem.* Finis legis Chriſtus.) Hoc dicit, quia perfectionem legis habet, qui credit in Chriſtum. Cum enim nullus iuſtificaretur ex lege, quia nemo implebat legem, niſi qui ſperaret in promiſſo Chriſto. Fides poſita eſt: quæ crederet perfectionem legis,vt omnibus prætermiſsis, fides ſatis faceret pro tota lege & Prophetis. *Ad Rom.*3. Iuſtificans eum qui ex fide eſt.) Recte ait,vt quia ſit iuſtus,dedit quod promiſit: hoc autem promiſit,iuſtificare ſe credentes in Chriſto. Iuſtus autem ex fide viuit,vt dum Dei fidem habet, & Chriſti, ſit iuſtus. *Ibidem.* Quoniam quidem vnus Deus.) Quia enim omniũ vnus eſtDeus,ideo vna ratione omnes iuſtificauit. Quid ergo prodeſt carnis circunciſio? aut quid obeſt præputium? quando dignitatem vt meritũ non facit niſi Fides. *Ad Rom. cap.*4. Credidit Abraham Deo,)Manifeſtauit,non ideo Abraham gloriam apud Deum habere, quia circumciſus eſt, aut quia abſtinuit a peccato: ſed

quia Deo credidit,hinc & iuſtificatus eſt. *Ibidem* Credenti autem in eum.) Quomodo ergo Iudæi per opera Legis iuſtificari ſe putant, iuſtificatione Abrahæ,cum videant Abraham non ex operibus Legis,ſed ſola Fide iuſtificatum? Non ergo opus eſt lege,quando impius per ſolam Fidem iuſtificatur apud Deum.

Auguſtinus de Spiritu & litera,cap. 12.

His igitur conſideratis, pertractatiſque pro viribus quasDominus donare dignatur,colligimus, non iuſtificari hominem præceptis bonæ vitæ,niſi per fidem Chriſti Ieſu:hoc eſt,non lege operum ſed lege fidei : non litera , ſed ſpiritu : non factorum meritis, ſed gratuita gratia. *Idem 83. quæſt. cap.* 56. Cum enim commemorat Iacobus opera bona Abrahæ,quæ eius fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit Paulum Apoſtolum non ita per Abraham docere iuſtificari hominem ſine operibus per fidem,vt ſi quis crediderit , non ad eum pertineat bene operari:ſed ad hoc potius: vt nemo meritis priorum bonorum operum,arbitretur ſe perueniread donum iuſtificationis,quæ eſt in fide.In hoc enim ſe gentibus in Chriſtum credentibus Iudæi præferre cupiebant,quod dicebant ſe meritis bonorum,quæ in lege ſunt,ad Euangelicam gratiam perueniſſe,ideoque ſe vnda litabantur multi , qui ex eis crediderant,quod in circumciſis Gentibus CHRISTI gratia traderetur. Vnde Apoſtolus Paulus dicit,poſſe hominem ſine operibus præcedentibus iuſtificari,per Fidem.Nam iuſtificari per Fidem, quomodo poſſunt niſi iuſte operari?quamuis ante nihil operatus eſt iuſte , ad fidei iuſtitiam peruenerit,nõ merito bonorum operum, ſed gratia Dei , quæ in illo iam vacua eſſe non poteſt , cum iam per dilectionem bene operatur.

Quod

Quod ſi cum crediderit, mox de hac vita diſceſſerit, iuſtificatio fidei manet cum illo, nec præcedétibus bonis operibus? quia non merito ad illam, ſed gratia peruenit. Nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non ſinitur. Quamobrem non ſunt ſibi contrariæ duæ Apoſtolorum ſententiæ, Pauli & Iacobi, cum dicit vnus, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus: & alius dicit, inanem eſſe fidem ſine operibus. Quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iſte de his quę fidem ſequuntur.

Athanaſ. ad Rom.

Duplex namque eſt fides noſtra: altera iuſtificā̄s vt illud, Fides tua te ſaluum fecit: altera ſpeciale Dei donum eſt, qua fiunt miranda, vt illud: Si habueris fidem, vt, &c,

Gregorius in Ezech. lib. 1. Homil. 7.

Iuſtus igitur aduocatus noſter, iuſtos nos defendit in iudicio: quia & nos ipſos cognoſcimus & accuſamus iniuſtos. Non ergo in fletibus, non in actibus noſtris, ſed in aduocati noſtri allegatione confidamus.

Auguſtinus in Prolog. Pſal. 31.

Ea enim ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi vidétur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum opus intentio facit, intentioné fides dirigit. *Idem lib. 50. Hom. 17.* Quæ eſt plena & perfecta fides? quę credit ex Deo omnia bona noſtra eſſe, & ipſam fidé. Iterum dicit Apoſtolus, Miſericordiā conſequutus ſum. O confeſsio: Non ait: Miſericordiam conſequutus ſum,

quia fidelis eram:ſed,vt fidelis eſſem.Veniamus ad eius primordia,videamus Saulum ſęuientem.ſpectemus furentem, ſpectemus odia anhelantem, ſanguinemque ſitientem. Hæc Pauli vita erat, cuius via nondum erat Chriſtus. Quid habebat in corde? quid? niſi malum? Date mihi merita eius, ſi merita quæris, damnationis ſunt, non liberationis.

Leo ſermone 14. de Natiuit.

Vna fides iuſtificat vniuerſorum temporum ſanctos.

Bernardus ſuper cantica, Serm. 67.

Ego dilecto meo.)Cur ita? nempe vt tunc magis gratia plenam ſe probet, cum totum gratiæ dederit,& primas ſcilicet illi partes aſcribens, & vltimas. Alioqui quomodo gratiæ plena, ſi quid habuerit quod non ſit ex gratia? Non eſt quod gratia intret tum vbi meritum occupauit.Ergo iã plena confeſſio g atiæ,ipſius gratię plenitudinem ſignat in anima confitentis. Nam ſi quid de proprio ineſt,in quantum eſt,gratiam illi cedere neceſſe eſt. Deeſt gratiæ, quicquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat: horreo quicquid de meo eſt,vt ſim meus: niſi quod illud magis forſitan meum eſt, quod me meum facit. Gratia reddit me mihi iuſtificatum gratis,& ſic liberatum a ſeruitute peccati

Et poſt pauca:Deſpõſaui te mihi in fide,deſpõſaui te mihi in iudicio & iuſtitia,deſpõſaui te mihi in miſericordia & miſerationibus. Nec tu me elegiſti,ſed ego elegi te.Nec vt te eligerẽ, tua inueni merita,ſed pręueni.Ita ergo in fide deſpõſaui te mihi,& nõ in operibus Legis:Deſponſaui te in iuſtitia,quæ ex fide,non ex lege. Reſtat,vt iudices iudicium rectum inter me & te, iudicium in quo te deſponſaui,vbi conſtat inueniſſe nõ tuum meritum

ritum, ſed meum placitum. Hoc eſt autem iudicium, vt tua merita non extollas, non præferas opera legis, non iactes pondus diei & æſtus, quæ magis in fide & in iuſtitia, quæ eſt ex fide, noſceris deſponſata. Quæ vere ſponſa eſt, agnoſcit iſta.

Epiphanius in Ancorato.

Ex fide iuſtitia, citra opera legis.

Chryſoſtomus in 3. ad Galatas.

Surſum deorſum hoc vectabant illi, & vndique iactabant, dicentes, fidem non valere niſi iuncta lege: Paulus contra demonſtrat, additis præceptis, fidem iam nihil profuturam. Tum enim valet fides, cum nihil acceſſerit ex Lege.

Cyrillus in 9. cap. Ioan. lib. 4.

Ianua & via in vitam fides eſt, & recurſus atque reductio a corruptione in immortalitatem. *Et in 32. cap. Ioan. lib. 9.* Iuſtificamur enim per fidem, & participes diuinæ naturæ participatione Spiritus ſancti efficimur.

Theodoretus in Epiſto. ad Rom.

Sola fide allata, peccatorum remiſſionem accepimus, quoniam veluti quoddam redemptionis pretium Dominus Chriſtus ſuum corpus obtulit. *Idem in 2. cap. ad Epheſ.* Non noſtra ſponte credimus, ſed vocati acceſſimus: & cum acceſſiſſemus, non exegit vitæ puritatem & innocentiam, ſed ſola fide ſuſcepta condonauit peccata. *Et lib. 7. de Sacrificiis.* Neque enim vllis operibus noſtris, ſed per ſolam fidem myſtica bona conſecuti ſumus.

Iſychius lib. 4. in 14. Leuitici.

Gratia vero ex miſericordia atque compaſſione probetur (ſalus) & fide comprehenditur ſola non

ex operibus, vt Paulus dicit ad Epheſios 3. Nam gratia iam non erit gratia.

Primaſius in 8. ad Romanos.

Propoſitum Dei, vt ſine operibus Legis, vel quibuſcunque aliis meritis, per fidem ſolam iuſtificaret impios: quæ fides non ex natura, ſed Dei donum eſt, fructus Spiritus eſt inter cætera & fides. *Item in 4. ad Rom.* Omnes qui ex gentibus credunt, ſecundum fidem filii ſunt Abrahæ, dum & illis ſola fides ad iuſtitiam reputatur, etiam & ipſi circumciſi non carne, ſed corde. *Et in 2. ad Galatas.* Si enim gentes fides ſola non ſaluauit, nec nos: quia ex operibus nemo iuſtificabitur. *Item ibidem.* Et vobis fides ſola ſufficit ad iuſtitiam.

Auguſtinus lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2.

Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquitur Apoſtolus: Si non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: profecto non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobis ipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus: ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipimus, ex Deo eſt. Quocirca ſicut nemo ſibi ſufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcunque opus bonum, quod iam iſti fratres, ſicut ſcripta veſtra indicant, verum eſſe conſentiunt, vnde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt: ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quoniam fides, ſi non cogitetur: nulla eſt: & non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

Beda in 77. Pſal.

Per iuſtitiam factorum nullus ſaluabitur, ſed per ſolam iuſtitiam fidei.

Albinus in præfatione ad Carolum.

Catholica fides humanum genus ſola viuificat, ſola ſanctificat.

Anshelmus in cap.5.ad Rom.

Multis modis probatum eſt, non ex operibus legis,nec ex viribus liberi arbitrii, ſed ex fide iuſtificari hominem.

Rupertus in lib.Reg.cap.39.

Sola iuſtificare poteſt fides Ieſu Chriſti.

Bernhardus Epiſtola 77.

Cum his, inquam me aut errare aut ſapere fateor,credens & ipſe ſola fide hominem poſſe ſaluari, cum deſiderio percipiendi ſacramentum: ſi tamen pro adimplendo deſiderio mors anticipās, ſeu alia quæcunque vis inuincibilis obuiarit.Vide etiam ne forte ob hoc ſaluator, cùm diceret:Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit, caute & vigilanter non repetierit.Qui vero Baptizatus non fuerit,ſed tantum,Qui vero,inquit, non crediderit,condemnabitur.Nimirum innuens, ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. *Et ibidem.* Sola fides & mentis ad Deum conuerſio ſine effuſione ſanguinis & ſine perfuſione aquæ, ſalutem ſine dubio operatur volenti, ſed non valenti prohibente articulo baptizari.

Quære plura in cap.8.de bonis operibus. & cap. 7.de Iuſtificatione,cum antithetis ſuis.

III.

IESVITÆ.

Ad fidem non eſt referenda certi cuiuſdā priuati

hominis propria ſalus. Admodum enim incerta eſt priuata hominum iuſtificatio, multóque magis æterna ipſorũ ſalus. Quomodo igitur in his vſque adeo incertis certiſſima fides verſabitur? Hæc in Cenſ. folio 97.

III.

IESVS.

Certa eſt vnius cuiuſque Electorum Dei electio, vocatio, iuſtificatio & ſalus: firmiſſimáque & iuſtificans fides eſt eius qui Chriſti ſeruatoris meritum ſibi applicat.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Ego viuo in fide filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Gal.2.

Scriptum eſt propter nos, quibus imputabitur credentibus. Rom.4.

Cuſtos carceris dixit ad Paulum & Sylam: Domini, quid oportet facere, vt ſaluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum IESVM, & ſaluus eris tu & domus tua. Act.16.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eũ protegam eum: quoniam cognouit nomen meum. Pſal.91.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Mar.16.

Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioan.3.

Et. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuũ vnigenitũ daret, vt omnis, qui credit in eum,

non

non pereat,ſed habeat vitam æternam.

Et. Qui credit in eum,non condemnatur.

Et. Qui non credit,iam condemnatus eſt: quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei.

Et *iterum*. Qui credit in filiũ,habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam,ſed ira Deì manet ſuper eum.

Huic omnes prophetæ teſtimoniũ ferunt, quod remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomẽ eius,quiſquis crediderit in eum. Act.10.

Per hunc omnis,qui credit,iuſtificatur. Act.13.

Si confeſſus fueris ore tuo Dominum IESVM, & credideris in corde tuo,quod Deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam,Confeſſio oris fit ad ſalutem. Dixit enim ſcriptura. Omnis, qui fidit illi,non pudefiet. &c. Quiſquis enim inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus erit. Rom.10.

Confide filj, remittuntur TIBI peccata tua. Matt.9.

O mulier,magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Matth.15.

Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios DEI fieri,his qui credunt in nomen eius. Ioan.1.

Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, vt omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Ioan.6.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis:& ego reficiam vos. Matth.11.

Ego ſum via,veritas & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me. Ioan.14.

Ex plenitudine eius omnes accepimus,gratiam pro gratia. Ioan.11.

Venientem ad me,non eiiciam foras. Ioan.6.

Qui virtute DEI cuſtodimini per fidem ad ſalu-

tem. 1.Pet.1.

Item. Reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum.

Vobis pretioſus eſt,qui creditis. 1.Pet.2.

Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus,vt remittat nobis peccata noſtra. 1.Ioan.1.

Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 1. Ioan.2.

Remittuntur vobis peccata, propter nomen eius.*Ibidem.*

Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomine Filij Dei, vt ſciatis, quod vitam habetis æternam. 1.Ioan.5.

Qui non credit Deo, mendacem eum facit. *Ibidem.*

Iuſtificātur autem gratis,per illius gratiam,per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV: quem propoſuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipſius ſanguine. Rom.3.

Statuimus autem fide iuſtificari hominem,abſque operibus legis.*Ibidem.*

Ei qui non operatur,ſed credit in eum, qui impium iuſtificat, imputatur fides ſua ad iuſtitiam. Rom.4.

Ex fide datur hæreditas, vt ſecundum gratiam, firma ſit promiſſio vniuerſo ſemini. *Ibidem.*

Perfectio legis Chriſtus eſt, ad iuſtitiam omni credenti.Rom.10.

Scimus non iuſtificari hominem ex operibus legis,niſi per fidem IESV CHRISTI.Gal.2.

Gratia eſtis ſeruati per fidem.Eph.2.

Paulus de ſe ipſo ait,quod fide amplectatur gratiam Chriſti,& non aſpernetur eam.Gal.2.

Vt Chriſtum,ait,lucrifaciam, vtque reperiar in illo,non habeas meam iuſtitiam ex lege,ſed eam, quæ per fidem eſt Chriſti, quæ eſt,ex Deo, iuſtitiam

tiam ſuper fide. Phil. 3.

De fide ſua & aliorum Iudæorum inquit: Et nos in CHRISTVM IESVM credimus, vt iuſtificaremur ex fide Chriſti. Gal. 2.

Per gratiam IESV CHRISTI credimus & nos ſaluos futuros, quemadmodum & illi. Act. 15.

De gentibus *ibidem* ait Petrus: Deus teſtimoniũ perhibuit illis, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, nihílque diſcernit inter nos & illos, cum fide purificauerit corda illorum.

De iiſdem Paulus Roman. 9. inquit: Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt iuſtitiã, iuſtitiam autem eam, quæ eſt ex fide, &c. Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Vide plura exempla Actor. 2. 8. 13. 16. 17. 18. Cõfirmant quoque priuatam fidem & applicationem, Sacramenta, Cœna Domini & Baptiſmus. 1. Cor. 11. 1. Petr. 3. Rom. 6. Hebr. 10.

Plura teſtimonia leges in cap. hoc 7. de Fide, eiuſque antithetis: præcipue in antitheto 2. vbi habes plurima exempla priuatæ fidei iuſtificantis & ſaluantis.

PATRES.

Athanaſius oratione prima contra Arrianos.

Abraham non morte ad Coronam venit, ſed fide in Deum. Aliique item Sancti, Gedeon, Baruch, Samſon, Iephta, Dauid, Samuel, ſociique illorum non effuſo ſanguine conſummati ſunt, ſed per fidem iuſtificati ſunt.

Ambroſius de exitu & vita Theodoſii.

Nos, inquit, inhæremus fidei ad animæ noſtræ acquiſitionem: quoniam in hac fidei militia teſtimoniũ conſecuti ſunt ſeniores noſtri, Abraham, Iſaac,

Iacob,& inde hæreditatem fidei nobis reliquerũt. *Idem in 2.cap.ad Galatas.* Quicunque iuſti ſunt, ex fide iuſtificati ſunt,ſicut Abraham,Iſaac,Iacob , & cæteri ſancti. *Item de pœnitentia,lib.1.cap.10.* Qui fidem habet,habet vitam æternã : qui vitam habet, non eſt excluſus à venia.Omnis,inquit,qui credit in eum,non peribit.Cum omnis dicitur,nullus excluditur,nullus excipitur.

Hieronymus in 2.cap.ad Galat.

Sancti qui antiquitus fuerunt,ex fide Chriſti iuſtificati ſunt.

Arnobius in Pſal.129.

Chriſtianus eſt,qui ſe credit per fidem ad miſericordiam peruenire eius,qui regnat in ſecula ſeculorum.

Baſilius lib.de humilitate.

Gloriatur in eo Paulus,quod ſuam ipſius iuſtitiã contemnat , ſectetur autem per Chriſtum eam iuſtitiam,quæ ex Deo eſt in fide.

Chryſoſtomus in 1.ad Rom.Sermone 2.

Nulla prorſus re liberamur,niſi per fidem.Sic & qui ante nos fuerunt,illuſtres facti ſunt omnes.Sic Abraham,ſic Iſaac,ſic Iacob. *Idem in ſermone de fide & lege naturæ.* Fidelem autem abſque operibus poſſum monſtrare & vixiſſe & regnum cœlorum aſſecutum.Nullus enim ſine fide vitam habuit ,Latro autem credidit duntaxat , & iuſtificatus eſt à miſericordiſſimo Deo.Atque hîc ne mihi dixeris, defuiſſe tempus,quo iuſte viueret,& honeſta faceret opera.Neque enim de hoc contenderem ego. Sed illud vnum aſſeuerauerim:quod ſola fides per ſe ſaluum fecerit.Namſi ſuperuixiſſet , fideique & operum fuiſſet negligens,à ſalute excidiſſet.

Proſper in Reſponſ.ad capitula Gallorum,Cap.8.

Non

Non alia gratia, aut alia fide quenquam hominũ, ſiue ante legem, ſiue legis tempore iuſtificatum eſſe credendum eſt, quam hac eadem, per quam Dominus noſter IESVS CHRISTVS ſecundum conſilium voluntatis ſuæ in fine ſeculorum venit quærere & ſaluare.

Primaſius in 4. cap. ad Rom.

Impium per ſolam fidem iuſtificari, non per opera, quæ non habuit. Si enim ſecundum opera, puniendus eſt, non liberandus.

Auguſtinus in Pſal. 104.

Non enim quiſquam præter eam fidem, quæ eſt in CHRISTO IESV, ſiue ante eius incarnationem ſiue poſtea, ſit reconciliatus Deo. *Et lib.* 3. *contra* 2. *epiſtolas Pelagianorum. cap.* 4. Huius generis fuerunt antiqui omnes iuſti, & ipſe Moſes Teſtamenti miniſter veteris, hæres Noui: qui ex fide, qua nos viuimus, vna eademque vixerunt, incarnationem, paſſionem, reſurrectionemque Chriſti credentes futuram, quam nos credimus factam, vſque ad ipſum Ioannem Baptiſtam.

Chryſoſt. in 3. *ad Rom. Sermone* 7.

Quamprimum homo crediderit, confeſtim ſimul iuſtificatus eſt.

Beda in 1. *cap. Lucæ, lib.* 1.

Qui vel ante tempora circumciſionis, vel etiam poſt datam circumciſionem de exteris gentibus extitere fideles, vt exemplo patientiæ Iob & amici, liberique illius, ſine victimis hoſtiarum ſe ſuoſque ab originali peccato, ſeu certe ſola fide ſaluabant: quia iuſtus ex fide viuit, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Et lib.* 5. *in* 20. *cap. Lucæ.* Crede ergo, & ſi mortuus fueris, viues: ſi autem non credis & cum viuis, mortuus es. *Idem in Samuelem. c.* 8. IESVS eſt CHRISTVS filius Dei, & credentes habent vitam æternam in nomine eius.

Maxentius in Confeſſione.

Credentes etiam omnes ab Abel vſque ad Chriſtum, ſi qui ſaluati ſunt, ea gratia, qua & nos, eſſe ſaluatos.

Remigius in 10. Pſal.

In Domino confido, &c. Tota fides mea in Chriſto eſt, per illũ ſolũ credo me iuſtificari & ſaluari.

Theophylactus in 1. cap. Ioannis.

Siue ſerui, ſiue liberi, ſiue pueri, ſiue ſenes, ſiue Barbari, ſiue Græci, quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Qui autem ſunt illi? hi qui credunt in nomine eius, hi ſcilicet, qui ſuſcepto verbo lucem veram per fidem receperũt & declararunt.

Rupertus lib. 6. cap. 6. in Ioan.

Omne quod dat mihi pater, Omne ſiue bonum ſiue malum, ſiue mundum, ſiue immundum, ſiue circumciſio, ſiue præputium, omnis ſexus, omnis conditio ad me veniet, & eum qui venit ad me, vndecunque veniat, dummodo veniat, id eſt, credat, non eiiciam.

Vide plura in huius capitis antitheto 2. & 4. Et cap. 7. de Iuſtificatione, cum antithetis ſuis.

IIII.

IESVITÆ.

Æternam ſalutem ſibi donandam firmiter ſperant, non tamen credunt. Spes autem ſubinde fallitur, cum alioqui ſpes nõ foret. In Cenſura fol. 103.

Et fol. 122. Sane certitudo ſpei non eſt tanta, vt quis ea nixus, non debeat de ſalute ſua hæſitare: quam diu enim ſperamus, incerti ſumus. Et in opere catechiſtico Caniſij, fo. 47.

IIII

IIII.

IESVS

Electorum Dei ſpes firmiſſima, viua eorum fidei & fiduciæ ita adhæret, vt vitam æternam & ſalutē in cœlis per Chriſtum indubitanter ſperent & credant ſe cū fide adeptos & tandem reipſa adepturos.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Spes non confundit. Et gloriamur ſpei & gloriæ Dei. Rom. 5.

Spes anchora animæ tuta ac firma. Heb. 6.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Pſal. 31.

Qui confidunt in Domino, ſicut mons Zion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem. Pſal. 125.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Hier. 17.

Abraham contra ſpem ſperauit, & conſecutus eſt promiſſionem. Geneſ. 21. Rom. 4.

Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus ex tu: cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael, &c. Noli timere, quia ego tecum ſum, ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te: dicam Aquiloni da, & Auſtro noli prohibere, affer filios meos de longinquo, & filias meas de extremis terræ. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Eſa. 43.

Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna, non confundemini & non erubeſcetis vſque in ſeculum ſeculi.Eſa.45.

Spiritus teſtatur vna cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filij Dei.Rom.8.

Confide filj, (ſeu confidenter, audacter, ſine vlla dubitatione hoc teneto) remittuntur tibi peccata tua, Matth.9.

Item: Confide filia, (id eſt, ſis certa, nullo modo dubita) fides tua te ſaluam fecit.

Eadem certa fiducia cordis & ſpe Centurio Matthæi 8.& Hæmorrhoiſſa Matth. 9. accedunt ad Chriſtum.

Qui credit in eum, non iudicatur.Ioan.3.

Nos credimus & cognouimus, quod tu ſis Filius Dei.Ioan.6.

Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: Beati qui nō viderunt & crediderunt.Ioan.20.

A cæcis fidei certitudinem requirit, inquiens: Creditis me hoc facere poſſe? Matth.9.

Et ſubiicit: Secundum fidem veſtram fiat vobis.

Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quod panes non habetis? Matth.16.

Obiurgantur grauiter Apoſtoli fluctuantes fide in Chriſtum. O ſtulti, inquit, & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ. Luc.24.

Si credideris, videbis gloriam Dei.Ioan.11.

Hebete fidem Deo. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, Tolle te mitte te in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat: fiet ei. Propterea dico vobis: Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis & euenient vobis.Mar.11.

Spe ſaluati eſtis.Rom.8.

Si in vita hac ſpem tantum in Chriſto fixam habemus,

bemus,&c.1.Cor.15.

Perfecte ſperate in eã,quæ ad vos defertur,gratiam.1.Pet.1.

Vt habeamus fiduciam cum apparuerit, & non pudefiamus in aduentu eius. 1.Ioan.2.

Si cor noſtrum non condẽnet nos fiduciam habemus erga Deum. 1.Ioan.3.

In hoc eſt perfecta charitas nobiſcũ,vt fiduciam habeamus in die iudicii. 1.Ioan.4.

Hæc eſt fiducia,quam habemus apud eũ, quod ſi quid petierimus, ſecundum voluntatem eius, audit nos. 1.Ioan.5.

Certa perſuaſione cõcepta,quod is,qui promiſerat,potens eſſent & præſtare. Rom.4.

Mihi perſuaſũ habeo,quod neque mors, neque vita,&c.nos poterit ſeparare a dilectione Dei,quę eſt in Chriſto Ieſu. Rom.8.

Per Chriſtum habemus audaciam & aditũ cum fiducia, quæ eſt per fidem illius. Eph.3.

Vt radices habeatis in illo fixas,& in illo ſuperſtruamini,confirmeminique per fidem. Col.2.

Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Heb.4.

Et 10. Accedamus cum vero corde in certitudine fidei.

Poſtulet cum fiducia nihil hæſitans. Iac.1.

PATRES.

Chryſoſtomus in 1.Cor.1.

Nunc autem non amplius rationibus, ſed ſola fide opus eſt.Præterea quod in Crucifixum & ſepultum credatur, neque dubitatio vlla relinquatur:quoniam quod reſurrexit & ſuperne ſedeat, neque ſapientia indiget,neque rationibus, ſed fide. *Idem Homil.1.in 1.ad Timoth.4.* Ideo fideles vocati ſumus,vt his,quæ dicuntur,ſine vlla hę-

ſitatione credamus. *Et in 8.cap.ad Rom.Serm.14.* Quid eſt ſpes? De furtis fiduciam habere. *Item Serm.de Fide,Spe & Charitate.* Spes, eſt futuræ pollicitationis religioſus aſſenſus promiſſæ gloriæ deuota intentio,ſanctorum deſtinata ſublimitas, bonorum expectatio futurorum. *Et in 5.cap. ad Rom.Sermone 9.* Spes humana ſubinde intercidit, & ſperantem pudore afficit: Noſtra vero eiuſmodi non eſt,ſed firma & immobilis perdurat. Cum enim is qui promiſit, perpetuo viuat, nos autem qui promiſſis potituri ſumus: etiam ſi moriamur,denuo tamen reſuſcitandi ſumus: nihil omnino eſt, quod nos in hac ſpe, confuſioni poſſit reddere obnoxios, quaſi fruſtra & vane in ſpem debilem & emarcidam inducti ſimus.

Rabanus cap.4.de vera pœnitentia.

Spes,eſt ſalutis noſtræ anchora, & vitæ noſtræ fundamentum, dux itineris, quo itur ad cœlum. Denique Apoſtolus ait:Spe ſalui facti ſumus.Spes ergo eſt, in qua ſalus noſtra conſiſtit, & quæ de terris animas velut quibuſdam catenis cœlitus dependentibus innixas, ſibi euehit ad ſuperiora, & reuocat ad ſedes cœleſtes eos, qui ſibi vehementius inhærent, celſioreſque eos vitæ huius terrenorum malorum turbinibus reddet. Si quis ergo inter hæc poſitus reſoluatur,animis, & ſalutaris ſpei anchoram dimittat e manibus, decidat neceſſe eſt in abyſſum, atque in profundo malorum enecetur.

Bernardus lib.5.de conſideratione.

Fides,eſt voluntaria quædam & certa prælibatio, nec dum propalatæ veritatis. Intellectus,eſt rei cuiuſcunque inuiſibilis certa & manifeſta notitia.

titia. Opinio, eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias. Ergo, vt dixi, fides ambiguum non habet: aut ſi habet, fides non eſt, ſed opinio.

Auguſt. in præfatione Pſalmi 123.

Tribulatio noſtra in præſenti ſeculo, Spes vero noſtra de futuro ſeculo: & niſi in tribulatione præſentis ſeculi, conſoletur nos ſpes futuri ſeculi, perimus. Gaudium ergo noſtrum, fratres, nondum eſt in re: ſed iam in ſpe. Spes autem noſtra, tā certa eſt, quaſi iam res perfecta ſit. Neque enim timemus promittente veritate: veritas enim nec falli poteſt, nec fallere.

Origenes Homilia 11. in Hieremiam.

Quicunque penitus Chriſto non credunt, condemnant illum: qui autem credunt & adhuc ambigunt: diiudicant illum. Duo igitur apud homines Chriſtus perpetitur: ab incredulis condemnatur, ab ambigentibus diſcernitur.

Bernardus ſuper Pſal. Qui habitat: Sermone 7.

In ſpe viuimus, ne deficiamus in tribulatione præſenti, quod in expectatione ſimus indefectibilium gaudiorum. Neque enim vana nobis expectatio, aut dubia ſpes videtur innixa, nimirum æternæ promiſſionibus veritatis. *Et Sermone 9.* Fratres, hoc ſapere, ex fide viuere eſt. Si hæc ſapimus; vt quid cunctamur abiicere omnino ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias, & huic vni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei tota deuotione animi, toto feruore ſpiritus inhærere? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære aliud in quo ſperes: ſed verbo omnia poteſt.

Quid facilius dictu? Si decreuerit ſaluare nos, continuo liberabimur. Si viuificare placuerit: vita in voluntate eius eſt. Si præmia largiri æterna: licet ei, quod vult facere. Denique quando in ſe ſperanti deſit illa maieſtas: quæ tam ſtudioſe monet in ſe ſperari? Plane non derelinquet ſperantes in ſe. Adiuuabit eos & liberabit eos. Quare? Quibus meritis? Quia ſperauerunt in eo. Dulcis cauſa, attamen efficax: attamen irrefragibilis.

DE IVSTIFICATIONE.

CAP. SEPTIMVM.

ANTITHETON PRIMVM. *IESVITAE.*

Iuſtificatio nihil aliud eſt, quam iuſtitiæ acquiſitio: vel ſi philoſophice loquendum ſit, motus ad iuſtitiam. Cenſ.fol.147. *Iuſtitia Chriſtiana eſt declinare à malo & facere bonum.* In opere Catechiſtico Caniſij.fol.471.

ANTITHETON PRIMVM. *IESVS.*

Iuſtificatio hominis coram Deo, ſeu iuſtitia Chriſtiana eſt remiſſio peccatorum & imputatio iuſtitiæ

iuſtitia Chriſti & acceptatio ad vitam æternam gratuita, non propter vllas virtutes aut opera noſtra, ſed propter ſolum Chriſtum mediatorem donata, & fide apprehenſa.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Seruus meus iuſtus, iuſtificabit multos notitia ſui. Ipſe enim portat peccata ipſorum. Eſa.53

Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini: & iuſtitia eorum a me. Eſa.54.

Ecce Dies venient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex: & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraal habitabit cõfidenter. Et hoc eſt nomen, quo vocabunt eum, Dominus iuſtitia noſtra. Hier.23.

Ecce dies venient, dicit Dominus & ſuſcitabo verbum bonum, quod locutus ſum ad domum Iſrael, & ad domum Iuda. In diebus illis & in tempore illo, germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Hieruſalem habitabit confidenter. Et hoc eſt nomen quo vocabũt eum, Iehoua iuſtitia noſtra. Hier.33.

Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſãctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna. Daniel.9.

Exulta ſatis filia Siõ, iubila filia Hieruſalem. Ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator. Zacha.9

Et orietur vobis, timentibus nomẽ meum, Sol

iuſtitiæ,& ſanitas in pennis eius: egrediemini,& ſalietis ſicut vituli de armento. Mala.4.

Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt cœli iuſtitiam eius populo, qui naſcetur,quem fecit Dominus. Pſalm.21.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam ſcribarum & Phariſæorum,&c. Matth.5.

Spiritus ſanctus arguet mundũ de iuſtitia:quia ego vado ad patrem. Iohan.16.

Iuſtitia Dei per Euãgelium patefit ex fide in fidem. Rom.1.

Iuſtitia Dei per fidem IESV Chriſti, in omnes, & ſuper omnes eos qui credunt. Rom.3.

Iuſtificamur ſola fide in Chriſtum,exemplo Abrahæ,qui credidit Deo promittenti ſemen benedictum,Chriſtum ſcilicet, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam. Rom.4.

Perfectio Legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Rom.10.

Corde creditur ad iuſtitiam. Rom.10

Ex eodem autem vos eſtis in Chriſto IESV, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, iuſtitiaque & ſanctificatio,& redemptio,1.Corin.1.

Atque hæc eratis quidẽ:ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis per nomen Domini IESV,& Spiritum Dei noſtri.1.Corinth.6.

Eum enim, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit,vt nos efficeremur iuſtitia Dei in illo,vel per illum.2.Corinth.5.

Deus eſt qui iuſtificat.Rom.8.

Deus erat in Chriſto,mundum ſibi reconciliãs. 2.Corinth.5.

Sicut per vnius delictum propagatum eſt malum in omnes homines ad condemnationem: ita & per vnius iuſtificationem propagatur bonum in omnes homines ad iuſtificationem vitæ. *Item*: Quem-

Quemadmodum enim per inobedientiam vnius peccatores conſtituti fuimus multi, ita per obedientiam vnius, iuſti conſtituentur multi. Rom. 5.

Quoniam ſcimus non iuſtificari hominẽ ex operibus legis, niſi per fidem IESV Chriſti: & nos in Chriſtum IESVM credimus, vt iuſtificemur ex fide IESV Chriſti. Gal. 2.

Vt promiſsionem Spiritus acciperemus per fidem. *Item*: Vt promiſsio ex fide IESV Chriſti daretur credentibus. Gal. 3.

Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificaremur.

Vt reperiar in Chriſto non habens meam iuſtitiam ex Lege, ſed eam, quæ eſt Chriſti, iuſtitiam, per fidem, quæ eſt ex Deo ſuper fide. Philip. 3.

Notũ ſit vobis viri fratres, quod per hunc Chriſtum, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, annuntiatur vobis remiſsio peccatorum: & ab omnibus, a quibus non potuiſtis per Legem Moyſi iuſtificari, per hunc omnis qui credit iuſtificatur. Acto. 12.

Simon Petrus ſeruus & Apoſtolus IESV Chriſti, his qui æquæ precioſam nobiſcum ſortiti ſunt fidem per iuſtitiam Dei noſtri & ſeruatoris IESV Chriſti. 2. Petr. 1.

PATRES.

Auguſtinus in Pſal. 31.

Si iuſtificatur impius, ex impio fit iuſtus. Sed quomodo? Nihil boni feciſti & datur tibi remiſsio peccatorum, &c. *Contra Iulianum lib. 2.* citat ſententiam Ambroſij, eum iuſtificari a peccato, cui per Baptiſmum peccata remittuntur omnia.

Si ex impio iustus fit, qua sunt opera impiorum

Hilarius in 9. cap. Matth.

Mouet ſcribas ab homine remiſſum peccatum, quod Lex laxare non poterat: fides enim ſola iuſtificat.

Cyrillus in 6.cap Ioannis.

Gratia iuſtificat:mandata vero Legis magis cō-demnant.

Oecumenius in 3.cap.epiſtolæ ad Rom.

Iuſtitia Dei eſt iuſtificatio ex Deo,abſolutio ac liberatio a peccatis, a quibus lex ipſa abſoluere non potuit. *Item*: quomodo fit iuſtificatio? Per remiſſionem peccatorum quam in Chriſto Ieſu conſequimur.

Primaſius in 7.cap.ad Hebr.

Chriſtus igitur nos iuſtificat, qui eſt rex iuſtitiæ,& ipſe pacificat omnia quæ in cœlis & quæ in terris ſunt,qui naſcendo & moriendo,reſurgendo atque aſcendendo pacem attulit mundo.

Chryſoſtomus in 3. cap. ad Rom.
Serm. 7.

Quamprimum homo crediderit,cōfeſtim ſimul iuſtificatus eſt.

Proſper cap.6.ad obiectiones
Gallorum.

Iuſtificatus homo, id eſt, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito,accipit donū,&c

Theodulus in 3.cap.ad Rom.

Quomodo iuſtificatur homo? per remiſſionem peccatorū:quam in Chriſto IESV conſequimur, id eſt,per IESVM Chriſtum.

Auguſtinus in prima quinquagena ex
prologo Pſalmi31.

Si iuſtificatur impius, ex impio fit iuſtus: ſi ex impio iuſtus fit, quæ ſunt opera impiorum? Iactet iam impius opera ſua & dicat:do pauperibus, nihil alicui aufero, &c. Impius ergo es, & nulla ſunt iſta opera tua.

Grego-

Gregorius in 3. cap. Iob. lib. 5. cap. 8.

In eo, quod nihil mihi conſcius ſum, iuſtificatū me abnego, quia ab eo, qui me iudicat, examinari me ſubtilius ſcio.

Haymo ſuper 1 cap. ad Rom.

Iuſtitia Dei, hoc eſt, iuſtificatio, qua iuſtificat in ſe credentes, in Euāgelio manifeſtatur, dum dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluꝰ erit, id eſt iuſtus. Hæc eſt iuſtitia, qua omnes credentes dono Patris & Filij & Spiritus ſancti iuſtificātur.

Vide Antitheta ſequentia: item caput 8. de Bonis operibus. & cap. 3. de Lege. item ca. 12. de ſatisfactione.

II.

IESVITÆ.

Reconciliatio (inquiunt) quàm iuſtificationem fateri cogimini, non niſi per dilectionem fit, quæ eſt Spiritus ſancti donum diffuſum in cordibus noſtris. Et vere magna eſt charitatis virtus, atque vſque adeo, vt etiam nos filios & amicos Dei efficiat. In Cenſ. fol. 158. in Catechiſmo Caniſij fol. 68. &c.

II.

IESVS.

Electi non reconciliantur Deo niſi per meritum Chriſti ſola fide apprehenſi: & charitas non præcedit reconciliandos, ſed reconciliatos ſequitur, non vt cauſa, ſed vt teſtimonium reconciliationis.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Si noſtra charitate, quæ eſt Legis ſumma, DEO reconciliamur, & filij Dei efficimur, fruſtra ergo Chriſtus mortuus eſt. Gal. 2.

In propria venit, & ſui eũ nõ receperunt. Quotquot autẽ receperũt eũ dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt. Ioan. 1.

Commendat autem charitatem ſuã DEUS in nobis: quoniam cũ adhuc peccatores eſſemus, ſecũdũ tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortẽ Filij eius: multo magis recõciliati, ſalui erimus in vita ipſi⁹. Nõ ſolum autem hoc, ſed & gloriamur in DEO per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Rom. 5.

Omnia autem ex Deo, qui vos reconciliauit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium recõciliationis: quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tãquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, Reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. 2. Cor. 5.

Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnũ, medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſui, legem in mandatorum decretis enuntians: vt duos cõdat in ſemetipſo in vnum nouum hominem: faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens euangelizauit pacẽ vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis, qui prope:

quo-

quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno Spiritu ad Patrem.Epheſ.2.
Complacuit per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris,ſiue in cœlis ſunt.Et vos cum eſſetis aliquãdo alienati & inimici ſenſu, in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem.Coloſſ.1.

Ipſum ſemen mulieris conteret caput ſerpentis.Gen.3.

In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ.Gen.26.

Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.Eſa.49.

Et vocabis nomen eius IESVM:is enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis. Matth.1.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Seruator, qui eſt Chriſtus Dominus,in ciuitate Dauid.Luc.2.

Ecce Agnus Dei,qui tollit peccata mundi.Ioã.1.

Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.Tit.3.

Sic enim Deus dilexit mundum,vt Filium ſuum vnigenitum daret,vt omnis qui credit in eum, nõ pereat,ſed habeat vitam æternam.Ioan.3.

Pater miſit Filium ſuum, ſaluatorem mundi. Ioan.4.

Ego ſum via,veritas & vita.Nemo venit ad Patrem niſi per me.Ioan.14.

Etenim quòd lex præſtare non poterat,ea parte, qua imbecillis erat per carnem,hoc Deus proprio Filio miſſo ſub ſpecie carnis peccato obnoxiæ præſtitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, vt iuſtificatio legis impleretur in no-

bis. Rom.8.

IESVS CHRISTVS factus fuit nobis à Deo ſapientia,iuſtitia,ſanctificatio,redemptio. 1.Cor.1.

Aliud fundamentum nemo poteſt ponere,pręter hoc quod poſitum eſt; quod eſt IESVS CHRISTVS. 1.Cor.3.

Non eſt in alio quoquam ſalus.Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Act.4.

Et ſanguis IESV CHRISTI filij eius emundat nos ab omni peccato. 1.Ioan.1.

Si quis peccauerit,aduocatū habemus apud Patrē ,IESVM CHRISTVM iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris , non pro noſtris autem tantum,ſed etiam pro totius mundi. 1.Ioan.2.

Et ſcitis, quod ille apparuit , vt peccata noſtra tolleret,& peccatum in eo non eſt. 1.Ioan.3.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in hunc mundum,vt viuamus per eum. 1.Ioan.4.

Et hoc eſt teſtimonium , quod vitam æternam dedit nobis Deus,& hæc vita in Filio eius eſt.Qui habet Filium,habet vitam:qui non habet Filium, vitam non habet. 1.Ioan.5.

IESVS CHRISTVS venit in mundum,vt peccatores ſaluos faceret. 1.Tim.1.

Plura quære in Antithetis præcedentibus & ſequentibus.

PATRES.

Ambroſius lib.1.de Iacob.cap.5.

Venit Dominus Ieſus,qui paſſiones noſtras cruci ſuæ affigeret,peccata donaret : in cuius morte iuſtificati ſumus,vt totus mundus eius mundaretur ſanguine. *Et in cap.4.ad Galatas.* Chriſtus non

gratis

gratis mortuus eſt: mors enim eius iuſtificatio peccatorum eſt. *Et lib. 9. Epiſtolarum. Epiſt. 71.* Nemo glorietur in operibus: quia nemo factis ſuis iuſtificatur: ſed qui iuſtus eſt, donatum habet, quia poſt lauacrum iuſtificatus eſt.

Baſilius lib. de Diuina iuſtitia.

Vera iuſtitia eſt Chriſtus, qui nobis ex Deo factus eſt, & ſapientia & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio.

Auguſtinus lib. de gratia Noui Teſtamenti, cap. 19.

Gratia eſt, quæ gratis datur, non meritis operantis, ſed miſeratione donantis. *De natura & gratia contra Pelagianos, cap. 4.* Hæc igitur Chriſti gratia, ſine qua nec infantes, nec ætate grandes ſalui fieri poſſunt, non meritis redditur, ſed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Iuſtificati, inquit, gratis per ſanguinem ipſius. *De Patientia, c. 20.* Si enim vllis meritis datur, iam non gratis donatur, ſed debita redditur: ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur, vbi merces (ſicut idem dicit Apoſtolus) non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Si autem, vt vera ſit gratia, id eſt gratuita, nihil inuenit in homine cui merito debeatur, (quod bene intelligitur & in eo, quod dictum eſt, Pro nihilo ſaluos facies illos) profecto ipſa dat merita, non meritis datur.

Theodoretus in Epiſt. ad Rom.

Dominus Chriſtus & Deus eſt, & propitiatorium, & pontifex, & Agnus, & in ſuo ſanguine noſtram ſalutem procurauit, ſolam fidem exigens.

Haymo ſuper 26. Pſal.

Chriſtus totius iuſtitiæ eſt fundamentum. *Et ſuper cap. 3. Zachariæ.* In paſſione Domini dimiſſa

eſt iniquitas,& redonata iuſtitia in die vna. *Et ſuper 4. cap. cantici canticorum.* Homo per paſſionem Chriſti non ſolum à peccatis iuſtificatur,ſed etiam diuinum conſortium meretur. *Item ſuper 10. cap. ad Ro.* Chriſtus per paſſionẽ ſuam & fidem iuſtificat in ſe credentes. *Item ſuper 9. cap. ad Hebr.* Sanguine paſſionis ſuæ introiuit Chriſtus in cœleſtem patriam, quo ſanguine omnes ſunt redempti perfecteque iuſtificati, non temporali, ſed æterna redemptione.

Anshelmus libro 2. Cur Deus homo, cap. 15.

Remiſſionem peccatorum nullus homo habere poteſt,niſi per hominem, qui idem ipſe ſit Deus, atque ſua morte homines peccatores Deo conciliet.

Quære plura teſtimonia in Antitheto 5. huius capitis,& in reliquis.Item in cap. 8. de Bonis operibus,cap. 7. de Fide,eiuſque antithetis.cap. 3. de Lege cum antithetis.cap. 12. de Satisfactione. Item cap. de peccato,antitheto 3.

III.

IESVITÆ.

Iuſtitia Dei, quæ in Euangelio reuelatur, eſt virtus in Deo, quæ iuxta vniuſcuiuſque dignitatem ſingulis tribuit. In Cenſura fol. 186. In opere catechiſtico Caniſij, fol. 477.

III.

IESVS.

Iuſtitia Dei, quæ in Euangelio reuelatur, eſt acceptatio ſatisfactionis & obedientiæ Chriſti pro peccatis omnium credentium.

Teſtes.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Daniel.9.

Neque propter iuſtitias & æquitatem cordis tui ingredieris vt poſſideas terras eorum, ſed illi egerunt impie, introeunte te deleti ſunt, ſed vt compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramẽto pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob. Deut.9.

Chriſtus factus nobis fuit ſapientia à Deo, iuſtitiaque & ſanctificatio & redemptio. 1.Cor.1.

Eum enim qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt efficeremur iuſtitia DEI per illum. 2.Cor.5.

Iuſtitia Dei per fidem IESV CHRISTI in omnes & ſuper eos, qui credunt. Rom.3.

Non poteſt homo quicquam à ſe facere, niſi fuerit ei datum de ſuper. Ioan.3.

Et 15. Sine me nihil poteſtis facere quicquam.

Arbitramur fide iuſtificari hominem, abſque operibus legis. Rom.3.

Nam ſi Abraham ex operibus iuſtificatus fuit, habet quo glorietur: at non apud Deum, credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Rom.4.

Gratia enim ſeruati eſtis per fidem idque non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Epheſ.2.

Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, verum etiam vt pro illo patiamini. Philip.1.

Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ fuerunt. Quod ſi per gratiam, non iam ex operibus.

Rom.11.

Ne timeas Maria, nacta es gratiam apud Dominum. Lucæ 1.

PATRES.

Hieronymus aduerſus Pelagianos.

Tunc iuſti ſumus, quando nos peccatores eſſe fatemur, & iuſtitia non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia.

Irenæus lib. 4. cap. 27.

Quid autem erat plus? Primo quidem in patrẽ, ſed & in filium eius iam manifeſtatum, credere. Hic eſt enim, qui in communionem & vnitatem Deo hominem Domino ducit.

Baſilius Magnus.

Vera namque iuſtitia Chriſtus eſt, qui nobis ex Deo factus & ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.

Origines in 5. Homil. in Eſaiam.

Ait Prophetes eſſe Chriſtum viuentem iuſtitiá: & putabamus ab Apoſtolo ſolum dictum eſſe, quia Chriſtus ſit iuſtitia & ſanctificatio, & redẽptio & ſapientia. Forte autẽ & Apoſtolus inſtructus à Prophetis, nouit animatam eſſe iuſtitiam, & viuentẽ. Quæ eſt iſta iuſtitia? vnigenitus Dei. Quia autem nõ ſolum ab Apoſtolo ortum eſt, Chriſtum eſſe iuſtitiam, & viuentem & ſubſiſtentem iuſtitiam: ſed inuenies & à propheticis ſermonibus hoc nobis myſterium exhibitum, &c. *Idem in Epiſtolam Pauli Rom. 3.* Videamus nunc quæ iuſtitia ſine morali lege manifeſtetur. Idem Apoſtolus Paulus dicit de Chriſto, quia factus eſt nobis ſapientia à DEO, & iuſtitia. Hæc ergo iuſtitia DEI, quæ eſt Chriſtus, manifeſtatur, ſine quidem lege naturali, non tamẽ ſine lege Moyſi & Prophetarũ: dat enim ei teſtimonium

nium lex. Idcirco iuſtitia Dei per fidem IESV Chriſti ad omnes perueniens, qui credunt, ſiue Iudæi, ſiue Græci, purgatos eos à prioribus ſceleribus iuſtificat, & capaces facit gloriæ Dei: & hoc non ex meritis eorum, nec pro operibus facit, ſed gratis gloriam præſtat.

Auguſtinus in 2. Corinth. 6.

Eum qui non nouerat peccatum.) Hæc eſt illa iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt: ſed qua nos ab eo iuſti facti, qua nos ex eius gratia iuſti ſumus, vt ipſa iuſtitia eius nos ſimus, cum iuſte viuimus, credentes in eum, qui iuſtificat impium: non illa qua ipſe iuſtus eſt æterna ſua & incommutabili iuſtitia.

Et illa ergo ſalus gratuita eſt, de qua Pſalmo 3. dicitur: Domini eſt ſalus, & ſuper populum benedictio tua. Sicut ergo quod legitur: Domini eſt ſalus: non ea ſalus intelligitur, qua Dominus ſaluus eſt: ſed qua hi ſalui fiunt, quos ipſe ſaluos fecit.

Sic cum legitur iuſtitia Dei, non eſt illa intelligenda, qua Deus iuſtus eſt, ſed qua iuſti homines ſunt, quos gratia ſua iuſtificat. Inde enim ſalui, vnde iuſti: quoniam quod ait, non eſt opus ſanis medico, ſed male habentibus: expoſuit conſequẽter dicens, Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

Hæc iuſtitia Dei, qua eius fideles iuſti ſunt, interim viuentes ex fide, donec perfecta iuſtitia perducantur ad ſpeciem, ſicut ſalute perfecta, etiam ad ipſius corporis immortalitatem. *Idem epiſtol. ad Rom. 1. cap.* Hæc eſt iuſtitia Dei, quæ in teſtamento veteri velata, in nouo reuelatur: quæ ideo iuſtitia Dei dicitur, quod impertiendo eam iuſtos facit: ſicut Domini eſt ſalus, qua ſaluos facit. Et hæc eſt fides, ex qua, & in quam reuelatur, ex fide annuntiantium, in fide obediẽtium: qua fide IESV Chriſti, id eſt, quam nobis contulit Chriſtus, cre-

dimus ex Deo nobis eſſe, pleniuſque futurum eſſe, quod iuſte viuimus. Summa, iuſtificamur in ſolo Chriſto, qui eſt iuſtitia vera per fidem, ſine operibus gratis. Eſt enim donum Dei, nos eſſe iuſtos: & noſtra iuſtificatio eſt a ſolo Chriſto, qui vtpote verus homo & Deus, juſtificat impios.

D. Ambróſius.

Iuſtitiam Dei vult eam eſſe, qua nos Deus iuſtificat: quæ iuſtitia eius dicitur, quia promiſſa ſua hac præſtat. Hæc reuelatur Euangelio, dum donatur fides homini, per quam iuſtificatur.

D. Chryſoſtomus.

Iuſtitiam Dei intelligit, quam Deus nobis donat, tum quia Deus hanc donet, & donat ex gratuita beneuolentia, nullis ea conſtat noſtris laboribus, obtinetur fide.

Theophylactus in Ioan. cap. 16.

Spiritus ſanctus arguit mundum, qui priuatus eſt iuſtitia, qui non credit in iuſtum Ieſum, eum qui propter iuſtitiam aſſumptus eſt in cœlis.

Oecumenius 1. Corinth. 1.

Deus efficit nos filios ſuos per IESVM Chriſtum, qui Chriſtus (inquit) factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, atque redemptio, id eſt, qui fecit nos ſapientes, iuſtos, ſanctos & redemptos.

Primaſius in 10. cap. ad Rom.

Iuſtitia Dei dicitur, non qua iuſtus eſt Deus: ſed qua dat homini Deus, vt iuſtus ſit homo per Deũ.

Theophylactus in cap. 1. ad Rom.

Iuſtitia Dei ſeruat nos, non ſane noſtra. Qualem enim iuſtitiam nos haberemus exinati in operibus & corrupti? At vero Deus iuſtificauit nos, non ex operibus noſtris, ſed ex fide.

Oecu-

Oecumenius in 10.cap.ad Rom.

Dei iuſtitiam.) Iuſtitiam Dei vocat Fidem in Chriſtum, ob id vel maxime, quod gratia Dei indigeat: quam relinquentes, & propriam iuſtitiam (propriam iuſtitiam eam quæ ex lege eſt nuncupat, vel quia nihil porro valeat, vel quia laboris & ſudoris ſit indiga) quærentes conſtituere, contendentes propriam iuſtitiam ſtabilire, Iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: id eſt ne illam quidem Iuſtitiam adimplerunt, quæ ex lege eſt. Reliqua lege in cap.4. de Euangelio. cap. 3. de lege, antitheto ſexto. cap.8. de Bonis operibus. cap. 12. de ſatisfactione. cap. 6. de Fide cum antithetis. Item huius cap. antith. 1. & 2.

IIII.

IESVITÆ.

Miſericordia Dei in Chriſto, in qua noſtra omnium ſalus conſiſtit, hæc eſt, quod Deus recte operantibus, hoc eſt, legem implentibus, vitam æternam promiſerit. Cenſ. fol. 26.

IIII.

IESVS.

Miſericordia Dei, in qua electorum omnium ſalus conſiſtit, hæc eſt, quod Pater cœleſtis omnibus in Chriſtum credentibus gratis promiſerit & largitur remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, & vitam æternam, non propter eorum obedientiam erga legem, ſed propter ſolum dominum, ſeruatorem & Mediatorem Chriſtum.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

In capite octauo de bonis operibus. Et capite tertio de lege, Antitheto ſexto, quod lex non iuſtificet, ſed fides in Chriſtum. Item Antitheto 4.5.7. Et cap. 6. de fide Antitheto 2. 3. 4. Et cap. 12. de ſatisfactione.

PATRES.

Iiſdem Capitibus & Antithetis.

V.

IESVITÆ.

Chriſtus, inquiunt, ignominioſa ac acerba ſua morte hoc a patre impetrauit, vt quicũque fide mortem eius amplecterentur, iuſtitia vera imbuerẽtur, quæ eſt ſanctitas, virtus, ſeu noua qualitas inhærẽs in ipſo homine. Et propter illam inhærentem nouitatem, quæ eſt dilectio, accepimus reconciliationem & adoptionem. Cenſ. fol. 166.

Et fol. 158. *Bona opera, inquiunt, quæ ex charitate illa profluunt, promerentur tandem vitã æternam, quam operibus noſtris in charitate factis, tanquam debitum præmium, & iuſtam remuneratione͂ donari conſtat.* In Cenſ. fol. 144.

V.

IESVS.

Merito & obediẽtia ſua Chriſtus Ieſus a Patre

tre

tre obtinuit, vt quicunque fide eum amplectertur, iuſtitiæ veræ fiant participes. Chriſtiana vero iuſtitia eſt remiſſio peccatorum & imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio ad vitã æternam gratuita, nõ propter vllas virtutes aut opera noſtra, ſed propter ſolum Chriſtum mediatorem donata & fide apprehenſa.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

In capite de bonis operibus. Et capite 3. de lege, Antitheto 6. quod lex non iuſtificat, ſed fides in Chriſtum. Item in capite 6. de fide, Antitheto 2. 3. 4 Et cap. 12. de ſatisfactione.

PATRES.

Auguſtinus de ſpiritu & litera, cap. 36.

Proinde hoc erit primum præceptum iuſtitiæ, quo iubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: cui eſt de proximo diligendo alterum conſequẽs: quod in illa vita complebimus, cum videbimus facie ad faciẽ: ſed ideo nobis hoc etiam præceptum eſt, vt admoneremur, quid fide expoſceret, quid promitteret, & obliuiſcendo quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extẽdere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda eſt iuſtitia, multum in hac vita ille proficit, qui quam longe ſit a perfectione iuſtitiæ, proficiendo cognouit: ſed dici poteſt quædam iuſtitia minor huic vitæ competens, qua iuſtus ex fide viuit: quamuis peregrinus à Do-

mino,& ideo per fidem ambulans, nondum per ſpeciem,non abſurde dicitur,etiam ad iſtam pertinere,ne peccet. *Idem ad Hieronymum Epiſt.29* Charitas eſt virtus, qua id quod diligendum eſt, diligitur.Hæc in aliis maior,in aliis minor,in aliis nulla eſt.Pleniſſima vero,quæ iam non poteſt augeri, quam diu hic homo viuit, eſt in nemine. Quamdiu autẽ augeri poteſt, profecto illud quod minus eſt quam debet,ex vitio eſt. Ex quo vitio non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo vitio non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens. Propter quod vitium, ſi dixerimus quia peccatũ non habemus nos ipſos fallimus,& veritas in nobis non eſt.Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere,Dimitte nobis debita noſtra,cum iam omnia in Baptiſmo dicta,facta, cogitata, dimiſſa ſunt. *Et lib. 2.cap. 11. ad eundem.* Qui totam Legem ſeruauerit,ſi in vno offenderit, fit omnium reus, quia contra charitatem facit, vnde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciẽdo contra eam in qua pendent omnia,&c.

Bernardus ſuper Can.Sermone 50.

Eſt charitas in actu,eſt & in affectu. Et de illa quidem quæ operis eſt, puto eſſe datam Legem hominibus,mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat vt mandatur. Ergo illa mandatur ad meritum,iſta in præmium datur. Cuius initium quidem profectumque vitam quoque præſentem experiri diuina poſſe gratia non negamus. Sed plane conſummationem defendimus futuræ fœlicitati. Quomodo ergo iubenda fuit quæ implenda nullo modo erat? Aut ſi placet tibi magis de affectuali datum fuiſſe mandatum: non inde contendo,dummodo acquieſcas & tu mihi:quod

minime

minime in vita iſta ab aliquo hominum poſſit vel potuerit adimpleri. Nec latuit præceptoré, præcepti põdus hominum vires excedere: ſed iudicauit vtile ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficiẽtiæ admoneri: vt ſcirent ſane ad queͤ iuſtitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impoſſibilia: non præuaricatores homines fecit, ſed humiles. Vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus Legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mandatum, & ſentientes defectum clamabimus in cœlum: & miſerabitur noſtri Deus. *Idem in Sermone in Rogationibus qui incipit: Quis veſtrum, &c.* His tribus egere me fateor. Veritate, charitate, fortitudine. Deficit quippe ratio mea præ ignorantia veritatis: lãguet & voluntas præ inædia affectionis: infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit quæ agenda ſunt, & voluntas minus diligit intellecta. Et ad hæc etiam corpus quod corrumpitur aggrauat animam, vt non quæcunque volumus illa faciamus. Neque enim præter hunc defectum, ſi iugiter exercitata eſſet ratio in inquiſitione veritatis: volũtas in deſiderio charitatis: caro in operatione virtutis.

Alia patrum teſtimonia quære in aliis præcedẽtibus antithetis.

VI.

IESVITÆ.

Duplex, inquiunt, eſt iuſtificatio, prior & ſecũda. Et Chiſtus morte ſua hoc meruit, vt credentes imbuantur & ornentur charitate & aliis virtutibus. Et hæc eſt prior iuſtificatio. Ac-

ceptis vero nouis illis qualitatibus propter meritum Chriſti, iam porro homo ipſe, inhærente illa iuſtitia, promeretur maiorem, pleniorem, exactiorem iuſtitiam, reconciliationem & adoptionem, & tandem vitam æternam. Hæc in Cenſ. fol. 148. Et 149. Et 159.

VI.

IESVS.

Vnica eſt ſalutis æternæ obtinendæ ratio gratuita videlicet remiſſio peccatorum & imputatio iuſtitiæ Chriſti, non propter opera noſtra, ſed propter Chriſtum mediatorem donata & fide apprahenſa.

Teſtes.

PROPHETÆ APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

In cap. 3. de Lege, Antitheto 6. quod Lex non iuſtificat, ſed fides in Chriſtum. & cap. 8. de Bonis operibus. Item cap. 7. de fide, Antitheto 2. 3. 4. & cap. 12. de ſatiſfactione. Item cap. 6. de iuſtificatione, antitheto 1. 2. 3. 4. 5.

DE BONIS OPERIBVS.

CAPVT OCTAVVM.

ANTITHETON PRIMVM. IESVITÆ.

Renatos ſuis operibus mereri perfectiorem, pleniorem

niorem, & auctiorem iuſtificationē, quam illa prior ſit, quæ gratis propter meritum Chriſti donatur credentibus. Imo ad priorem illam iuſtificationem, dicunt Ieſuitæ, noſtra etiam opera eſſe neceſſaria, vel reipſa, vel ſaltem deſiderio exhibita. Cenſ. fol. 178.

Et fol. 126. *Et* 141. *Dicūt Renatorum bonis operibus, vitam æternam, ſempiternaque gaudia deberi, tanquam iuſtā & debitam mercedem.*

Et fol. 186. *De noſtro eſt, inquiunt, beata illa æternitas promerenda.*

Et fol. 192. *Deus (ſcribunt) bonis Renatorum operibus, vitam æternam, tanquam debitam mercedem perſoluit, quia pactum nobiſcum iniјt, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Vita æterna eſt donum Dei, credentibus in Chriſtum vnicum ſeruatorem promiſſa, & gratis data. Opera autem renatorum non ſunt cauſa ſalutis, ſed teſtimonia gratiæ per Chriſtum accepta.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Beatitudinem eſſe, inquit Paulus, eius hominis, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus. Rom. 9.

Et Gala.3.Iuſtitiam Legis eſſe dicit,Qui fecerit hæc,viuet in eis.

Et Gala.5.addit:Si ex Lege iuſtificatio(hoc eſt, ex illo pacto,qui fecerit hæc,viuet in eis) euacuati eſtis Chriſto,a gratia excidiſtis.

Et Gala.2. Si per legem (hoc eſt , ex illo pacto, qui fecerit hæc,viuit in eis) iuſtitia , Ergo fruſtra Chriſtus mortuus eſt.

Non intres in iudicium cum ſeruo tuo,quia nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Pſal.143.

Facti ſumus immundi omnes,& quaſi pannus menſtruatæ , vniuerſa iuſtitia noſtra,& cecidimus quaſi folium vniuerſi.Eſa.64.

Indicat parabola de vinea:vbi iis,qui ſero aduenerunt,id eſt,fidelibus & Chriſtianis , datur æqua merces cum Iudæis & patribus , quibus facta eſt promiſſio.Mat.20.

Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem,non ex operibus legis.Nam ſi ex gratia,iã nõ ex operibus.Alioqui gratia non eſt gratia. Rõ.3.11.

Nihil mihi conſcius ſum,ſed per hoc non iuſtificatus ſum.1.Cor.4.

Apparuit gratia Dei noſtri , quæ non ex operibus quæ fecimus nos : ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos fecit.Tit.3.

Non poteſt palmes ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite.Ioan.15.

Gratia Dei ſum id , quod ſum : & gratia Dei in me vacua non fuit. 1.Cor.1.

Omnia opera noſtra operatus es in nobis. Eſa.26.

Qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio. 1.Cor 1.

Cor mundum crea in me Deus,& ſpiritum nouum innoua in viſceribus meis. Pſal.51.

Caſti-

Caſtigaſti me Domine & eruditus ſum,quaſi iuuenculus indomitus.Conuerte me Domine & cõuertar. Quia tu Deus meus:poſtquam cõuertiſti me egi pœnitentiam,& poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meũ,cõfuſus ſum & erubui.Hier.31.

Nec enim propter iuſtitias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris , vt poſſideas terras eorum: ſed quia illæ egerunt impie , introeunte te deletæ ſunt,& vt cõpleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob.Deut.9.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam.Pſal.5.

Non eſt homo iuſtus in terris,qui faciat bonum, & non peccet.Ezech. 7.

Reliquiæ Iſrael ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.Rom.11.

Si feceritis omnia,quæ præcepta ſunt vobis, dicite , Serui inutiles ſumus,quod debuimus facere, fecimus.Luc.17.

Non poteſt homo accipere quicquam niſi datum fuerit è cœlo.Ioan.3.

Ego ſum vitis vera , & pater meus agricola eſt: omnẽ palmitẽ in me non ferentem fructum,tollit:manete in me,& ego in vobis:ſicut palmes nõ poteſt ferre fructum à ſemetipſo , niſi manſerit in vite,ſic nec vos,niſi in me manſeritis: Ego ſum vitis , vos palmites, qui manſerit in me,hic fert fructum multum : ſine me nihil poteſtis facere. Ioan.15.

Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro in conſpectu eius.Rom.3.

Vitam æternam promiſit Deus,ante tempora æterna.Tit.1.

Gratia enim ſeruati eſtis per fidem , idque non ex vobis,Dei donum eſt,non ex operibus , ne quis

glorietur,nam ipſius ſumus figmentum,conditi in CHRISTO IESV ad opera bona ,quæ præparauit Deus,vt in eis ambularemus. Epheſ.2.

Iuſtificati gratis ,per gratiam ipſius hæredes efficimur,iuxta ſpem vitæ æternæ. Tit.3.

Hoc eſt opus Dei,vt credatis in eum,quem miſit ille. Ioan.6.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto,non intrabit in regnum Dei. Ioan.3.

Neque nos neque patres noſtri portare potuimus(legem)ſed per gratiã IESV CHRISTI credimus ſaluari,quemadmodum & illi. Act.15.

Confidens in hoc ipſum:quia qui cœpit in nobis opus bonum,perficiet & vſque ad diem Chriſti. Philip.1.

Deus enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Philip.2.

Perfice eam,quam plantauit dextera tua, & ſuper Filium hominis,quem confirmaſti tibi.Pſal.29.

Propter quem omnia detrimenta feci , & arbitror vt ſtercora,vt Chriſtum lucrifaciam, vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam,quæ eſt ex lege,ſed illam quæ eſt ex fide IESV CHRISTI. Philip.3.

Qui ſaluos nos fecit,non ſecundum opera noſtra,ſed ſecundum propoſitum ſuum , & gratiam, quæ data eſt. 2.Timoth.1.

PATRES.

Baſilius in Pſal.32.

Si per ſe iudicium Dei ſatis eſſet , ac ſeuere ex meritis noſtris nobiſcum ageret , quæ nobis ſpes reliqua eſſet?quis ex omnibus ſaluus eſſet?

Auguſtinus Pſal.142.

Nullus enim vnquam bonum opus fecit tanta cha-

charitate,quanta potuit & debuit. Quare quilibet iniuſtus remanſit: iniuſtus autem nō poteſt in opere iniuſto non peccare. *Ad Hiero. Epiſt.30.* Virtus eſt charitas,qua id quod diligendum eſt,diligitur. Hæc eſt in illis maior,in aliis minor,in aliis nulla: pleniſſima vero,quæ iam non poſſit augeri,quamdiu hic homo viuit,eſt in nemine,quamdiu autem augeri poteſt,profecto illud quod minus eſt quam debet, ex vitio eſt: ex quo vitio, non eſt iuſtus in terra qui facit bonum,& non peccet.

Gregor. ſup. Iob. lib.9. cap.1.

Non iuſtificatur homo compoſitus Deo, &c.) Sanctus autem vir,quia omne meritum virtutis noſtræ vitium eſſe conſpicit,ſi ab æterno arbitrio diſtricte iudicetur. Ideo recte ſubiungit: Si voluerit contendere cum eo,non poterit vnum reſpondere pro mille. *Idem in fine Moral.* Quis inter iſta remanet ſalutis locus? quando & mala noſtra, pura mala ſunt: & bona noſtra,quæ non haberi credimus,pura bona eſſe nequaquam poſſunt. *Idem lib. 9. cap.28.* Notandum vero,quod vir ſanctus non ait, Fulſerunt mundiſſimæ manus meæ: ſed, velut mundiſſimę manus meę. Quia quouſque corporea corruptione aſtringimur, quamlibet rectis operibus, veram mundiciem nequaquam apprehendimus, ſed initiamur. *Idē ibidem, cap.17.* Etſi ſimplex fuero, &c. Plerunque ſi ſcimus bona,quæ agimus,ad electionem ducimur: ſi neſcimus, minime ſequimur. Quis enim aut de virtutis ſuæ conſcientia non quantulumcunque ſuperbiat? *Idem in Moralibus.* Vę laudabili vitæ hominum, ſi remota pietate iudicetur. Quia diſtricte diſcuſſa inde ante oculos iudicis, vnde ſe placare ſuſpicatur, obruitur.

Hiero.contra Pelag.lib.1.

Quotquot enim perfecte hoc ſapimus,&c.Quid ergo ſapimus?imo quid ſapere debemus, qui perfecti non ſumus?Imperfectos nos eſſe confiteri, & nondum comprehendiſſe,nec dum accepiſſe :hæc eſt hominis vera ſapiẽtia,imperfectum eſſe ſe noſſe.Atque (vt ita loquar) cũctorum in carne iuſtorum imperfecta perfectio eſt.

Hilarius in Pſal.51.

Non illa iuſtitiæ opera ſufficiũt ad perfectæ beatitudinis meritum,niſi miſericordia Dei, etiam in hac iuſtitiæ voluntate humanarum demutationum & motuum vitia non reputet.

Ambroſius lib.1.de vita æterna.

Non habeo vnde gloriari in operibus meis poſſim,non habeo vnde me iactem:& ideo gloriabor in Chriſto.

Et Hieronymus li.14.comment.in Ezech.

Omnis homo , vniuerſa creatura , quamuis ad perfectionem venerit,tamen indiget miſericordia Dei : & plenam perfectionem ex gratia , non ex merito poſſidet.

Gregorius in 4.cap.Iob.lib.5.ca.23.

Nihil mihi conſcius ſum,&c.inquit Paulus.ac ſi diceret,Recta egiſſe me recolo , attamen de meritis non præſumo: quia ad eius examen vita noſtra ducitur , ſub quo noſtræ fortitudinis & oſſa turbantur.

Iſychius lib.4.in Leuit.cap.14.

Cum Deus genus humanum ad implenda legis opera infirmatum vidiſſet , iam non ex operibus ſaluare,ſed per gratiam hominem voluit.

Primaſius in 4.cap.ad Rom.

Quia non poſſunt , ſecundum legem iuſtificari, ſed Deus gratis ex fide iuſtificat,non ex operibus legis,in quibus illi gloriabantur.

Augu-

Auguſtinus de verbis Apoſtoli, Serm. 15.

Pro nihilo, inquit, ſaluos facies illos. Quid eſt, pro nihilo ſaluos facies? Nihil in eis inuenis vnde ſalues, & tamen ſaluas. Gratis das, gratis ſaluas. Omnia merita præcedis, vt dona tua conſequantur merita tua. Prorſus gratis das, gratis ſaluas, quia nihil inuenis vnde ſalues, & multum inuenis vnde damnes. *In Enchiridio. cap. 107.* Vnde & ipſam vitam æternam, quæ certa merces eſt operum bonorum, gratiam Dei appellat Apoſtolus: ſtipendiũ enim peccati, inquit, mors, gratia autem Dei, vita æterna in CHRISTO IESV Domino noſtro, &c. Gratia vero niſi gratis ſit gratia non eſt. Intelligẽdum eſt igitur etiam ipſa hominis bona merita, eſſe Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur? *Idem Pſal. 60.* Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas: miſericordia dicitur, quia non merita noſtra attendit Deus, ſed bonitatem ſuam, vt peccata nobis omnia dimitteret, & vitam æternam promitteret. Veritas autem, quia non fallit, reddit quæ promiſit. *Idem lib. 1. Retract.* Omnia mandata implentur, quicquid non impletur, ignoſcitur. *Idem lib. confeſſionum 9.* Væ hominũ vitæ, quantumlibet laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur.

Ambroſius de vocatione gentium.

Hoc conſtitutum eſt à Deo, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit ſine opere. Sola fide, gratis accipiens remiſſionem peccatorum.

Chryſoſtomus Homilia 3. In Matth. cap. 1.

Noli te putare quicquam feciſſe, cum feceris, & pleniſſime cuncta feciſti. *Et paulo infra.* Vis agnoſcere quemadmodum veræ Deo gratiæ referantur? Audi tres pueros in medio ignis lo-

quentes, Peccauimus, inique geſſimus, iuſtus es Domine in omnibus quæ feciſti nobis, quoniã in vero iudicio omnia induxiſti ſuper nos. Hoc eſt enim referre gratias Deo, peccata ei propria confiteri, vt & mille ſe aliquis reum fateatur malorũ, & tamen nulla pro his indigna ſe arbitretur pati ſupplicia, &c. *Idem de muliere Chananæa, Homilia* 16. Miſerere mei: non, inquit, habeo conſcientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam, ad miſericordiam confugio, &c.

Gregorius in Ezech. li. 1. Hom. 7.

Iuſtus igitur aduocatus noſter, iuſtos nõ defendet in iudicio, quia & noſmetipſos cognoſcimus & agnoſcimus iniuſtos. Non ergo in fletibus, non in actibus noſtris, ſed in aduocati noſtri allegatione confidamus.

Baſilius in ſermone de humilitate

Dicit autem Apoſtolus, qui gloriatur, in Domino glorietur. Hęc eſt enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque propter iuſtitiam ſuã aliquis effertur, ſed intelligit ſe indigere vera iuſtitia. Fide autem ſola in Chriſtum iuſtificari.

Bernhardus in annuntiatione beatæ Mariæ, Serm. 1.

Spiritus ipſe perhibet teſtimonium ſpiritui noſtro, porro hoc teſtimoniũ in tribus conſiſtere credo. Neceſſe eſt enim primo omniũ credere, quod remiſſionem peccatorũ habere non poſſis, niſi per indulgentiã Dei. Deinde quod nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremo, quod æternam vitam nullis potes operibꝰ promereri, niſi gratis detur & illa &c. Neq; enim talia ſunt hominũ merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret niſi eam donaret. *Idem ſuper cantica, Serm. 68.*

Si non

Si non eſt quod iam quæras,quibus meritis ſperemus bona,prępſertim eum audias apud prophetam, Non propter vos, ſed propter me ego faciam, dicit Dominus. Sufficit ad meritum,ſcire quod non ſufficiant merita. &c.Merita habere cures,habita data noueris,fructum ſperaueris, Dei miſericordiam & omne periculum euaſiſti. *Idem in Pſalmum, Qui habitat, &c.* Quoniam in me ſperauit, liberabo eum:Dulciſſima liberalitas,in ſe ſperantibus non deeſſe.Hoc enim totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſaluum facit. Et idem (vt habetur in eius vita) cum à Sathana improbis pulſaretur accuſationibus,ait,Fateor,non ſum dignus ego,nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cœlorum.Cæterum duplici iure illud obtinens,Dominus meus,hæreditate ſcilicet Patris,& merito paſſionis: Altero ipſe contentus, Alterum mihi donat, &c. Cuius dono iure aliquid mihi vendicans non confundor,&c.

Chryſoſtomus in oratione 4.contra Iudæos.

Non ex benefactis,nec laboribus,nec penſatione, ſed ex ſola gratia iuſtificauit genus noſtrum. *Et in homilia de loco Eſaiæ, Gaude Sion.* Cuius facti ſumus filii,non pro obſequiis noſtris, aut meritis:non pro bona actione,quam non fecimus,ſed pro eius miſericordia: & libertatem accepimus, & in adoptionem filiorum annumerati ſumus. *Item in 1.cap.ad Rom.Serm.2.* Non ſudoribus & laboribus illam comparabis, ſed ex diuino gratiæ dono, quod ex ſupernis eſt,gratis vt accipias oportet,vnum hoc ſolum afferens de tuo, nimirum vt credas. *Et in 4. cap. Rom. Serm. 8.* Fide ſaluari eum, qui opera non habeat, nihil fortaſſe fuerit inſolentiæ. Eum vero qui recte factis conſpicuum ſe fecerit,non ex ipſis, ſed ex fide iu-

ſtum fieri, hoc ſcilicet admirabile eſt,& quod maxime fidei potentiam manifeſtat.

Auguſtinus prima quinquagena ex prologo Pſal.31.

Quid eſt gratis datur?Gratis conſtat. Nihil boni feciſti, & datur tibi remiſſio peccatorum. Attenduntur opera tua & inueniuntur omnia mala. Si,quod debetur iſtis operibus, Deus redderet, vtique damnaret. Non tibi Deus reddit debitam pœnam,ſed donat indebitam gratiam.

Beda in Pſal.77.

Per iuſtitiam factorũ nullus ſaluabitur,ſed per ſolam iuſtitiam fidei.

Remigius in 18.Pſal.

Cœli enarrant gloriam Dei,hanc ſcilicet,quod non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos,ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.

Haymo ſuper 11.Pſal.

Nemo debet de meritis ſuis præſumere, ſed omnem ſaluationem ex Chriſti meritis expectare.

Et ſuper Euangel. Dominicale Septuageſimæ.

Vita æterna nulli per debitum redditur,ſed per gratuitam miſericordiam datur.

Remigius in 31.Pſal.

Reuera iſti ſoli beati,iſti ſoli ſalui ſunt, qui per gratiam iuſtificantur,& non ex meritis.

Theophylactus in 3.ca.ad Rom.

Nemo ex propriis operibus iuſtificatur,ſed alterius ope indiget, nimirum Chriſti IESV gratia.

Anshelmus de Menſurat.Crucis.

Si homo mille annis ſeruiret Deo, etiam feruentiſſime,non mereretur ex condigno,dimidiam

diem

diem eſſe in Regno cœlorum. *Et in 2. cap. ad Gal.* Opera ſunt ex gratia, ſed non ex operibus gratia: quia ipſa prima eſt, ex qua interpretantur cætera: ideo nullus aliquo modo iuſtificari valet ex operibus niſi per fidem, quæ procedit ex gratia.

Honorius in Pſal. 6.

Saluum me fac propter miſericordiam tuam, nõ propter meritum meum. *Item in Dialogo de præ-deſt. & libero arbitrio.* Regnum cœlorum non ſecundum merita: ſed ſecundum gratiã datur. Quid enim meretur homo niſi malum? vel pro quo merito expectat quis à Deo præmium?

Rupertus lib. 1. Comment. in Ioan. cap. 1.

Per ſolam gratiam ad regnum cœlorum ducimur, quod nullis operum noſtrorum meritis comparare poſſumus.

Haymo in 4. cap. ad Epheſios.

Data eſt gratia, id eſt, fides, remiſſio peccatorũ, & redemptio, & quicquid boni habemus. Et hæc omnia gratuito munere omnipotentis Dei largita ſunt nobis.

Auguſtinus ad Valentinum, Epiſt. 46.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcẽdens à Patre luminum. Nec quiſquam dicat meritis operum ſuorum, vel meritis orationum ſuarum, vel meritis fidei ſuæ, traditam Dei gratiam, & putetur verum eſſe quod illi Hæretici dicunt, gratiam Dei ſecũdum merita noſtra dari, quod omnino falſiſſimum eſt.

Plura teſtimonia ſunt in capite 7. de Iuſtificatio-

ne,eiuſque antithetis. Et cap.6.de Fide,antitheto 2.3.Item cap.3. de Lege,antitheto 4.6.cap.5.de Libero arbitrio.cap.10.de Satisfactione.

Macarius Homilia.37.

Non enim ſaluat hominem opus ſuum: ſed qui facultatem operandi largitur. *Item Homilia* 20. Qui in ſua tãtum iuſtitia atque redemptione perſiſtit,temere & fruſtra laborat.Nam omnis opinio iuſtitiæ ipſius in extrema die ſicut pannus mẽſtruatæ apparebit,vt ait Eſaias Propheta.Facta eſt vniuerſa iuſtitia noſtra tanquam pannus menſtruatæ.

DE SATISFACTIONE.

CAP. NONVM.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

Homo poteſt ſatisfacere pro peccatis Deo, ſecundum menſuram proportionis, licet offenſio ſit infinita, & ſatisfactio noſtra finita. Fol.328.327. Et in opere Catechiſtico Caniſii fol.273.

Et ibidem. Chriſtus noluit ſua paſſione & morte pœnitentiam agentibus ſtatim & culpam remittere & pœnam, ſed potius exigit aliquas ſatisfactiones: quas nos ipſi ſcelerum enormitati rependeremus.

ANTI-

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Homo, etiam regeneratus, nullam poteſt pro peccatis offerre Deo ſatiſfactionem quæ accepta ſit, præter meritum Chriſti, qui mortis & obedientiæ ſuæ virtute reatum & pœnam peccatis debitam ita ſuſtulit, vt coram Deo iuſti ſint quicunque beneficium iſtud viua fide amplexi ſunt.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum properate, emite abſque auro. &c. Eſa.55.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Matth.11.

In ſcientia ſui iuſtificabit ipſe Iuſtus meus multos. Eſa.53.

Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in me, non iudicatur, ſed habet vitam æternam. Ioan.3.

Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Ioan.7.

Chriſtus factus nobis à Deo ſapientia, iuſtitiaque, & ſanctificatio & redemptio: vt omnis, qui gloriatur, in Domino glorietur. 1.Cor.1.

Per ſanguinem Chriſti redemptionem, remiſſionemque omnium peccatorum habemus. Ephe.1.

Peccata multorum tulit, &c. per totum caput. Eſa.53.

Et vocabitur nomen eius IESVS. Hic ſaluum fa-

ciet populum ſuum à peccatis eorum. Mat.1.

Ait angelus, Annũtio vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. Luc.7.

Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: Rom.3.5.Pet.4.Ioan.6.Coloſſ.1.Ioan.1.

Et 20.Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis in Nomine ipſius, & vitam habeatis æternam.

Iuſtificati gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV, quem propoſuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipſius ſanguine, ad oſtendendam iuſtitiam ſuam in præſenti tempore, ad hoc, vt ipſe ſit iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide. Rom.5.

Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, per quem & contigit nobis, vt perducamur in gratiam hanc, in qua ſtamus & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei. Chriſtus enim, cum adhuc infirmi eſſemus, pro impiis mortuus eſt, &c. per totũ caput.

Omnia ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per IESVM Chriſtum, deditque nobis miniſterium reconciliationis. 2.Corinth.5.

Gratia vobis & pax à Deo patre, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos a præſenti ſeculi malo. Gala.1.

Et 2.3.Et nos credimus in Chriſtum, vt iuſtificemur ex fide, &c. per totam adeo Epiſtolam.

Deus qui diues eſt miſericordia, propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos etiam cum eſſemus mortui per delicta, conuiuificauit nos cum Chriſto (per gratiam eſtis ſaluati) Epheſ.2.

Arbitror omnia damnum eſſe pro Chriſto, vt Chriſtum lucrifaciam, reperiarque in illo, non habens meam iuſtitiam ex lege, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti. Philip.3.

Qui

Qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit in regnum Filii ſui ſibi dilecti, per quem habemus redemptionem, per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum. Coloſſ.1.

Et 3. Et vos cum eſſetis mortui per delicta, per præputium carnis veſtræ, ſimul cum illo viuificat, condonans nobis omnia delicta, deleto, &c.

Neque cōſtituit nos, vt iram nobis concitemus, ſed vt ſalutem conſequeremur per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis. 1. Theſſ.5.

Certus ſermo & dignus, quem modis omnibus cōplectamur, quod IESVS Chriſtus venit in hunc mundum, vt peccatores ſaluos faceret, quorum primus ego ſum. 1. Tim.1.

Apparuit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus, &c. qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate. Tit.2.

Et 3. Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.

Et 4. Cum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, vos quoque iuxta eandem cogitationem armemini.

Liuore eius ſanati ſumus omnes: nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrorum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Eſa.53.

Et præcipitabit in monte iſto faciē vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam, quam ſortitus eſt, ſuper omnes nationes, præcipitabit mortem in ſempiternum, &c. Et opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra: quia Dominus loquutus eſt, & dicent in illa die: Ecce Deus noſter, expectabimus eum, & ſaluabit nos. Eſa.25.

Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras,

attritus eſt propter ſcelera noſtra. Eſa.53.

Et vos cum eſſetis mortui per delicta, & præputium carnis veſtræ, ſimul cum illo viuificauit, condonans vobis omnia delicta: deleto, quod aduerſus vos erat, Chirographo: quod erat contrarium vobis per decreta, & illud ſuſtulit e medio, &c. ibidem plura. Coloſſ.2.

Tradidi enim vobis in primis, quod & acceperam, quod Chriſtus mortuus fuerit pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas. 1.Cor.15.

Nam ſi ſanguis hircorum aut taurorum, & cinis iuuencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad purificationem, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, purgabit conſcientiam veſtram à mortuariis operibus, ad ſeruiendum Deo viuēti: & ob id noui Teſtamenti reconciliator eſt, vt morte intercedente ad redemptionem earum præuaricationum, quæ fuerant ſub priori Teſtamento, hi, qui vocati ſunt, promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis. Heb.9.

Omnia fere ſecundum Legem ſanguine purificabantur, & abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Heb.9.

Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, quo peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus. 1.Pet.2.

Miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. 1.Ioan.4.

Sanguis IESV Chriſti eius Filii emundauit nos ab omni peccato. 1.Ioan.1.

In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius in remiſſionem peccatorum. Epheſ.1.

Non auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti, præcogniti quidem ante mundi

conſtitutionem.1.Pet.1.

Homo Chriſtus IESVS, qui dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus. Vide plura in capite 8.de Bonis operibus.Et cap. 5. de Libero arbitrio.Et cap.7.de Iuſtificatione,eiuſque Antitheta. Item cap.6.de Fide,cum eius Antithetis.

Et Ephe.2.1.Theſ.5.Facti eſtis prope in ſanguine Chriſti,vt reconciliet ambos in vno corpore Deo.

Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem,IESVM,Chriſtum iuſtum,& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum,ſed etiam pro totius mundi.1.Ioan.2.

Non ſicut per vnum peccatum,ita & donum.Nã iudicium ex vno in condemnationem, gratia autẽ ex multis delictis in iuſtificationem.Rom.5.

Ibidem: Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum IESVM CHRISTVM.

Ibidem:Lex ſubintrauit,vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.

Vide reliqua in capite 7.de Iuſtificatione:& ca. 8.de Bonis operibus.

PATRES.

Auguſti.de pec mer.& remiſſ.cap.13.libro 1.

Ab Adam,in quo omnes peccauimus,nõ omnino noſtra peccata, ſed tantum originale traduxim⁹:in Chriſto vero,in quo omnes iuſtificamur, nõ illius tantum originalis,ſed etiam cæterorum,quę ipſi addidimus,peccatorum remiſſionem cõſequimur.Ideo non ſicut per vnum peccatum, ita eſt vt donum. Nam iudicium quidem ex vno delicto ſi

non remittitur, id eſt, originali, in condemnatioñé iã poteſt ducere: gratia vero ex multis delictis remiſſis hoc eſt, non ſolùm illo originali, verum etiã omnibus cæteris ad iuſtificationem perducit. *Et cap.20.lib.20.* Chriſti corpus ſolum mortuum, & ſine peccato: vt fuſo ſanguine ſine culpa, omnium culparum chirographa delerentur, quibus debitores, qui in eum credunt, à diabolo antea tenebantur. *Ad Hilar. contra Pelag. & Manich. Epiſt. 89.* Quid eſt enim ex vno delicto in condemnationem, niſi illo delicto, quo deliquit Adam? Et quid eſt ex multis delictis in iuſtificationem: niſi quia Chriſti gratia non ſolum illud delictum ſoluit, quo obſtringũtur infantes, ex illo vno homine procreati, ſed etiam multa delicta, quæ cum creuerint homines, addũt malis moribus ſuis. *Ad Dardan. cap. 12.* Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors aculeus tuus? Quid eſt autem mortis aculeus, niſi peccatum? Propter quod nũc etiam renati ex aqua & Spiritu, omnibuſque peccatis ſiue originis ex Adam, in quo omnes peccauerunt, ſiue factorum, dictorum, cogitationum noſtrarum in illius lauacri mundatione deletis: tamen quia manemus in hac vita humana, quæ tentatio eſt ſuper terram, merito dicimus, Dimitte nobis debita noſtra. *De baptiſ. paruulorum.* Regenerante autem carne, tantùmmodo contrahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu ſancto, non ſolum originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum. *Contra Iulian. lib. 2.* Nemo tollit peccata mundi, niſi ſolus Chriſtus, qui eſt agnus tollens peccata mundi: tollit autem & dimittẽdo quæ facta ſunt, vbi & originale continetur: & adiuuando, ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi

fieri

ſieri omnino non poſſunt. *Contra Iud. Pagan. & Arianos lib.*4.*cap.*13. Qui poſſit non mori ſi nollet, proculdubio quia voluit mortuus eſt. Et ideo principatus & poteſtates explicauit, fiducialiter triũphans eas in ſemetipſo. Morte ſua quippe, vno veriſſimo ſacrificio pro nobis oblato, quicquid culparum erat, vnde nos principatus ac poteſtates ad luenda ſupplicia iure detinebant, purgauit, aboleuit, extinxit, & ſua reſurrectione in nouam vitam nos prædeſtinatos vocauit, vocatos iuſtificauit, iuſtificatos glorificauit. *Lib. quæſt. vet. & nou. Teſt. quæſtione* 82. Motus Dominus miſericordia, miſit filium ſuum, qui ſe pro illis offerens, mortem deſtruẽs, data omnibus remiſſione peccatorum, Deo patri illos iuſtificatos offerret. *In lib. art. falſo impoſi. art.*1. Chriſtus liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, pro peccatotibus, & debitoribus mortuus eſt. Sanguis Chriſti, redemptio totius mundi. *In Iohan. tract.*84. Nullius martyris ſanguis in remiſſionem peccatorum fuſus eſt. Hoc ſolius Chriſti opus fuit.

*Hieronymus in Eſa.*53.

Ille (Chriſtus) vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, vt ſuo vulnere noſtra vulnera curaret: factuſque pro nobis maledictum, vt nos liberaret de maledicto. Maledictus enim omnis homo, qui pendet in ligno. Vnde diſciplina pacis noſtræ ſuper eum eſt, Quod enim nos pro noſtris debebamus ſceleribus ſuſtinere, ille pro nobis paſſus eſt, pacificans per ſanguinem crucis ſuę, ſiue quæ in terra, ſiue quæ in

cœlis ſunt.

Alcuinus de Trinitate, cap. 12.

Nullus plane veram pacem cum Deo habere poterit, niſi per mediatorem Dominum Chriſtum, qui eſt in duobus naturis verus Deus, veruſque homo, vnus Chriſtus: idem ſacerdos & ſacrificium veniens ad nos, offerre pro nobis, quod ſumſit ex nobis, vt auferret à nobis, quod inuenit in nobis, id eſt, peccata.

Chryſoſt. Rom. cap. 5. Serm. 10.

Et quid eſt quod dicitur? Quod ſcilicet mortem & condemnationem peccatum quidem introducere potuerit, gratia vero non illud vnicum ſolum abſtulerit peccatum, ſed & ea quæ poſt illud ingreſſa ſunt? Ne enim illud, vt & quemadmodum, quod poſuit, non videatur bonorum menſuram maiorum inferre, quam malorum intuliſſent illa mala, peccatum videlicet & mors: ne cum Adamum audis, vnicum illius tantum, quod ipſe primum commiſit, auferri peccatum arbitreris, multorum delictorum factam eſſe ſublationem dicit. Vnde hoc patet? ex eo videlicet quod poſt iã multa & infinita peccata, ſimul cum eo quod in Paradiſo commiſſum eſt, cauſa eſt gratiæ beneficio ad iuſtitiam deuenit. Vbi vero iuſtitia eſt neceſſario ſequitur omnino & vita ſimul cum bonis innumeris: quemadmodum vbicunque peccatum fuerit, mors quoque ſubſequitur. Pluris enim eſt iuſtitia quam vita, quãdoquidem ipſa radix eſt vitæ. Quod igitur plura inuecta ſint bona, & non ſolum ſublatum illud vnicum Adami peccatum, ſed & reliqua omnia, oſtendit Apoſtolus, dicens: Donum vero ex multis delictis in iuſtitiam. Vnde & neceſſario ſimul comprobatum eſt, mortem quoque radicitus

euulſam. Neceſſe vero fuerit, & deinceps illud aſtruere, quandoquidem dixit alterum illud priore maius eſſe. Et primum illud commemorauerat, dicẽs. Quoniam ſi vnius peccatum occidit omnes, multo magis vnius etiam gratia ſeruare poterit. Deinde oſtenderat, quod non ſolum illud peccatũ per gratiam eſt ablatum, ſed vt reliqua omnia: neque tantum peccata ſint ſublata, ſed & multo plus & magis. *Ibidem.* Non enim ſolummodo tantum accepimus ex gratia, quãtum ad ſublationem peccati opus habebamus, ſed multo plus. Etenim vt à pœna liberati ſumus, & malitiam depoſuimus omnem, regeneratique ſumus è ſupernis, reſurreximus vetere ſepulto homine, redempti ſumus, ſanctificatique & in adoptionem filiorum Dei inducti ſumus: Iuſtificati quoque, & fratres facti ſumus, cohęredeſque vnigeniti, imo & eiuſdem cum illo corporis, inque carnem illius cenſemur: & quemadmodum capiti corpus, ita illi coadunati ſumus. Hæc itaque omnia exuberantiam gratiæ vocauit Paulus, oſtendens, quod non ſolum par vulneri pharmacum acceperimus: ſed & ſanitatem, & pulchritudinem, honorem quoque & gloriam, & in ſumma, dignitates naturam noſtram multum tranſcendentes. Erat autem vnum quodque iſtorũ per ſe ſufficiens ad diſſoluendam mortem. Quum vero omnia ſimul concurrere videantur, iã deinceps illius neque veſtigium aliquod, neque vmbra poterit apparere, eo quod omnino ſit abolita. *In 1. Corinth. cap. 10. Homilia 24.* Interroga ipſum diabolum, & dicito: Vnde inſanabile vulnus accepiſti? vnde vires amiſiſti? vnde captus es? à quo detineris? à quo fugis? Nihil aliud reſpondebit, quam, à corpore (Chriſti) crucifixo. Per hoc, ſtimulus ipſius confractus eſt: per hoc, caput contritum: per hoc, principatus & poteſtates eius coercitæ ſunt. Spo-

ſians enim, inquit Apoſtolus, principatus & poteſtates traduxit, confidenter palam de illis triumphans in ſemetipſo. Interroga mortem, & dicas: Vnde periit ſtimulus tuus? vnde diſſoluta eſt victoria tua? vnde inciſi ſunt nerui tui? & pueris & puellis ridicula facta es, quę & tyrannis & iuſtis omnibus ante hac eras formidoloſa: & corpus hoc horum omnium cauſam eſſe profitebitur.

Theophylactus in Iohan. cap. 1.

Porro agnus Dei dicitur Chriſtus, ſiue quod Deus acceperit mortem Chriſti pro noſtra ſalute, ſiue quod Deus tradiderit illum pro nobis ad mortem, quemadmodum dicere ſolemus, ſacrificium hoc illius eſt, hoc eſt, ille ſacrificium hoc obtulit. Sic igitur & Dominus dicitur agnus Dei, eo quod Deus pater propter charitatem ſuam erga nos, illum dederit ad mortem. Non dixit autem, Qui abſtulit peccatũ: ſed qui tollit, in præſenti, peccata noſtra. Quotidie enim tollit peccata noſtra, & aliorum quidem per baptiſmum, aliorum autem per pœnitentiam. Et agni quidem qui in veteri lege immolabantur, nullius peccatum omnino abolebant: hic autem totius mundi peccatum tollit è medio, & abolet. Quare autem non dixit peccata, ſed peccatum? fortaſſe quidem per hoc, quod dixit peccatum, in genere dixit, & de omnibus. Sicut enim dicere ſolemus, defecit homo: hoc eſt, omnis humanitas à Deo: ita & hoc loco dicens peccatum omnia peccata ſignificauit.

Bernardus Sermone 38. ſuper Cantica.

Peccata tua maxima ſunt & nimium multa. Nequaquam pro tot & tantis, nec ſi te excories, ſufficies ſatisfacere.

Bonauentura in lib. 4. Senten. diſtinct. 15. quæſt. 1.

Quia

Quia homo non potuit pro tanta offenſa ſatisfacere, ideo Deus dedit Saluatorem & Mediatoré, qui ſatisfaceret pro offenſa. Vnde in ſola fide paſſionis Chriſti remittitur omnis culpa, & ſine fide eius nullus iuſtificatur.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

CAPVT DECIMVM.

L. Vives in Augustin. lib. 8. de ciuitate Dei. cap. 27. [illegible]

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

Sancti inuocandi ſunt, vt pro nobis apud Deum intercedant. *Fol.*229. Cenſ. *Item: Orationem Dominicam fundimus ſanctis, fol.*208. Et in catechiſmo Caniſij. Fol. 81. 82.

*Et fol.*230. *Scriptura quidem nuſquam docet Sanctorum inuocationem, & tamen nihilominus eſt credenda, recipienda, & ſeruanda.*

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS

Deus ſolus inuocandus eſt. Nec alium med[illegible]torem apud Patrem cœleſtem habet Eccle-

ſia quam Ieſum Chriſtum.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor. Eſa. 43.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, fur eſt & latro. Ioan. 10.

Et rurſus: Si quis per me ingreditur, ſaluabitur, & paſcua inueniet.

Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem niſi per me Ioan. 14.

Et ibidem: Si quid petieritis Patrem in Nomine meo dabit vobis.

Venite ad ME OMNES, qui laboratis, & onerati eſtis. Mat. 11.

Iuſtificati gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV, quem propoſuit DEVS Reconciliatorem. Roma. 5.

Vnus eſt Mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS: qui dedit ſemetipſum precium redemptionis pro omnibus: 1. Timoth. 2.

Si quis peccauerit, aduocatum habemus IESVM Chriſtum iuſtum, propitiatorem pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. 1 Ioan. 2.

Per illum habemus aditum vtrique in vno ſpiritu ad Patrem. Ephe. 2.

Ecce dedi te in lucem gentium. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem & præceptorem in gentibus. Eſa. 55.

Et erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & ſeruus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum. Ezech. 37.

Per

Per quem habemus redemptionem per ſanguinem eius in remiſsionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ ſuæ, &c. Vt ſummatim inſtauraret omnia per Chriſtum,& quæ in cœlo ſunt,& quæ in terra per eundem, per quem & in ſortem aſciti ſumus. Epheſ.1.

Cum igitur fratres habeamus libertatē adeundi in ſancta per ſanguinem IESV, eam viam, quam dedicauit nobis recentem ac viuentem per velamentum, hoc eſt, per carnem ſuam: cumque habeamus ſacerdotem magnum præfectum Domui Dei, accedimus cum vero corde in certitudine Fidei. Heb.10.

Tu enim pater noſter, & Abrahā neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. Tu Domine pater noſter redemptor noſter, a ſeculo nomen tuum. Eſa.63.

Non habebis Deos alienos in conſpectu meo: Non facies tibi ſculptile, non ſimilitudinem omnem, quæ in cœlo ſunt ſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra, non adorabis, ea & nō coles, Ego ſum Dominus Deus tuus, Deus æmulator. Deut.5.

Videte, quod ego ſum ſolus,& nō ſit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciā, percutiam,& ego ſanabo, & nō eſt qui de manu mea poſsit eruere. Deut.32.

Cui aſsimilaſtis me, æquaſtis & cōparaſtis me, & feciſtis ſimilem, qui conuertitis aurum in ſacculo,& argentum in ſtatera ponderatis, cōducentes artificem, vt faciat Deum,& procidunt & adorant, portant illum in humeris, geſtantes & ponentes in loco ſuo,& ſtabit ac de loco ſuo nō mouebitur,&c. Eſa.46.

Quod ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terra, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt. Matth.18. Luc.11

Si non condemnat nos cor noſtrum, fiduciam habemus erga Deum,& quicquid petierimus,accipiemus ab eo. 1.Ioan.3.

At hic,quod idem maneat in æternum, perpetuum habet ſacerdotium,vnde & ſaluos facere ad plenum poteſt,qui per ipſum adeunt Deum, ſemper viuens ad hoc,vt interpellet pro illis.Hebr.7.

Non eſt aliud Nomen ſub cœlo datũ inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Act.4.

In IESV Domino noſtro, in quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius. Eph.3.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius,vt miſericordiam conſequamur,& gratiã inueniamus in auxilio opportuno. Heb.4.

Per quem & acceſſum habemus per fidẽ in gratiam iſtam,in qua ſtamus. Rom.5.

Chriſtus IESVS,qui mortuus eſt,qui etiã interpellat pro nobis. Rom.8.

Quãto & melioris teſtamẽti mediator eſt,quod in melioribus ſancitum eſt. Heb.8.9.

Chriſtus noui Teſtamẽti mediator eſt,vt morte intercedente,&c. Heb.12.

Ego ſum Dominus,& non eſt abſque me ſaluator. Eſa 45.

Ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, & Deum abſque me neſcies,& ſaluator non eſt præter me. Oſeæ.13.

Scimus quod nullum eſt ſimulachrum in mundo, & quod nullus ſit Deus alius,niſi vnus. 1.Corin.8.

Ego primus & nouiſſimus,& abſque me nõ eſt Deus. Eſa.44.

Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipſe Deus eſt in cœlo ſurſum, & in terra deorſum,& non eſt alius. Deut.4.

Adorabis

Adorabis Dominum Deum tuum,& illi ſoli ſeruies. Deut.6.

Adorabunt eum omnes reges,& omnes gentes ſeruient ei ſoli. Pſal:71.

Omnes gentes,quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt te,& glorificabunt nomen tuũ.Pſal.85.

Adorate eum,qui cœlum & terrã,mare,& fontes aquarum,&c. Apocal.14.

Dominum Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies. Matth.4.

Cecidi vt adorarem ante pedes Angeli,& dixit mihi:Vide ne feceris:Conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum habentium teſtimonium IESV: Deum adora. Apoc.19.& 20.

PATRES.

Aug.de vera relig.cap.6.Tibi.

Non diligamus viſibilia ſpectacula, ne ab ipſa veritate aberrando,& amando vmbras, in tenebras proiiciamur.Non ſit nobis religio fantaſmatibus noſtris, melius eſt enim qualecunque verum,quam omne quod pro arbitrio fingi poteſt. Non ſit nobis religio cultus hominũ mortuorum, quia ſi pie vixerint,non ſic habentur,vt tales quęrant honores,ſed illum a nobis coli volunt, quo illuminante,lætantur meriti ſui nos eſſe cõſeruos. Honorandi ergo ſunt, propter imitationem: non adorandi propter religionem. *Sequitur.* Hoc etiam ipſos optimos angelos, & excellentiſſima Dei miniſteria velle credamus, vt vnum cum ipſis colamus Deum, cuius contemplatione beati ſunt. Neque enim & nos videndo angelos beati ſumus, ſed videndo veritatem, qua etiam ipſos diligimus angelos, & his congratulamur. Quare honoramus eos charitate, non ſeruitute.

Nec eis templa conſtruimus. Nolunt enim ſe ſic honorari à nobis: quia nos ipſos, cum boni ſumus, templa ſummi Dei nouerunt. Recte itaque ſcribitur, hominem ab angelo prohibitum, ne ſe adoraret: ſed vnum Deum, ſub quo eſſet, & illi cõſeruus. Apoc. 19. & 22. *In Iohan. Tract.* 13. *cap.* 5. Hæc eſt religio Chriſtiana, vt colatur vnus Deus, & non multi dii: quia nõ facit animam beatam, niſi vnus Deus. Participatione Dei fit beata, non participatione ſanctæ animæ fit beata infirma anima: nec participatione angeli fit beata ſancta anima: ſed ſi quærit beata eſſe infirma anima, quærat vnde beata fit ſancta anima. Non enim beatus efficieris ex angelo tu: ſed vnde angelus beatus, inde & tu, &c.

Chryſ. 6. hom. de profectu Euangelij.

Magna eſt fides tua.) Vides quomodo mulier, quæ indigna erat, ex aſſiduitate facta eſt digna? vis diſcere, quod etiam per nos ipſos orantes apud Deum plus efficimus, quam dũ alii pro nobis orãt? Clamauit hæc & acceſſerunt diſcipuli, dicunt: dimitte eam, quia clamat poſt nos. Et ad illos dixit, Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael. Quando autem ipſamet acceſſit, & perſeuerauit, clamans, & dicẽs: Etiam Domine, nam & catelli edunt de menſa dominorum ſuorum: tum beneficium dedit, & ait, fiat tibi ſicut vis. Vides quomodo repulit, cum alii precarentur, vbi vero ipſamet orans pro dono, clamauit, annuit. Illis inquit, non ſum miſſus niſi ad oues. Huic autem, Mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. *Idem Homil. eadem.* Cæterũ, non opus eſt patronis apud Deum, neque multo diſcurſu, vt blãdiare alii. Sed licet ſolus ſis, patronoque careas & per teipſum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro

nobis

nobis orant, vt cum ipſimet oramus, etiamſi plurimis malis ſimus pleni.

Ambroſ. ad Rom. 1.

Solent pudorem tamen paſſi, neglecti Dei miſera vti excuſatione, dicentes, per iſtos poſſe ire ad Deum, ſicut per comites peruenitur ad regem. Age, nunquid tam demens eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, vt honorificentiam regis vendicet comiti? cum de hac re ſi qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maieſtatis. Et iſti ſe non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conſeruos adorant: quaſi ſit aliquid plus, cui ſeruiatur Deo? Nunc ideo ad regem per tribunos & comites itur, quia homo eſt vtique rex, & neſcit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem promerendum, quem vtique nihil latet (omnia enim merita nouit) ſuffragatore non eſt opus, ſed mente deuota. *Idem, ibidem.* Mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem hominum, vt forma corruptibilis hominis Deus ab his vocetur: hoc eſt ſimulacrum hominis, vt quos viuos nomine donare non audent, mortuorum imagines in gloriam Dei rapiant. Quanta hebetudo, quanta ſtultitia, hos ſe ſapientes appellare, ad ſuam damnationem, apud quos plus mortui poſſunt quam viui, & mortui ſunt potiores viuis? A viuo enim Deo recedentes, mortuis fauent. *Idem ad Coloſſ. cap. 1.* Idcirco enim omnipotentia magnitudinis quanta ſit Chriſti, & quam infinita, ab initio declarauit, vt doceret in ipſo ſolo ſpem ponendam, quia ipſius ſunt omnia: & quia nihil ſine ipſo poteſt viuere, neque in cœlo neque in terra. Ante omnes enim eſt: & cuncta in ipſo conſtant, quia in omnibus ipſe primatum tenet. Vt ſi quis alicui elemētorum, aut angelorum, vel poteſtatum deuotum ſe debere eſſe putet, errare ſe ſciat. *Sequitur*: Itaque hic vnus au-

diendus eſt,& colendus, nec ad hunc æſtimandus eſt quiſquam. Quia qui caput tenet, reliquam partem ſubiectam tenet. Nam qui ſe ſubiectis humiliat, totus errat: quia non tenens caput, truncus eſt, ex quo totum corpus continetur ad vitam.

Auguſtinus libro 10. *de ciuitate Dei.*

Merito illi in cœleſtibus ſedibus conſtituti, immortales & beati, qui creatoris ſui participatione congaudent, cuius æternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere ſancti ſunt: quoniam nos mortales & miſeros, vt immortales beatique ſimus, miſericorditer diligunt: nolunt nos ſibi ſacrificari, ſed ei, cuius & ipſi nobiſcum ſacrificium ſe nouerunt. Cum ipſis enim ſumus vna ciuitas Dei, cui in Pſalmo dicitur: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.

Epiphanius lib. 3. *Tom.* 2. *cap.* 78. *contra Antidicomarianitas.*

Grauiter inuehitur in eos, qui Mariam matrem diuinis honoribus coluerunt, & ei Collyridem ſeu placentam obtulerunt, & in nomen eius ſacra celebrauerunt per mulieres, quod totum impium eſſe ac nefarium ait, alienum à prædicatione Spiritus ſancti, & addit: Totum hoc opus eſt diabolicum, & Spiritus immundi doctrina. Impletur enim in his hoc, Deficient quidam a ſana doctrina, attendentes fabulis & doctrinis Dæmoniorum. Erunt enim, inquit, Mortuis cultum diuinum præſtantes, quemadmodum etiam in Iſrael coluerunt. *Idem.* Non conuenit colere ſanctos vltra decorum, ſed honorare ipſorum Dominum. Ceſſet itaque error ſeductorum. Neque enim Deus eſt Maria, neque de cœlo corpus habet. *Idem in ſequenti capite aduerſus Collyridianos.* Reuera virgo erat ipſa virgo & honorata, ſed non ad adorationem nobis data, ſed ipſa adorans eum, qui ex ipſa

ex ipſa carne genitus eſt,de cœlis vero ex ſinubus paternis acceſſit. *Idem ibidem.* Quæ vera ſcriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari,nedum mulierem? Sed neque Helias,neque Ioannes,neque Thecla , neque quiſquam ſanctus adoratur.Non enim dominabitur nobis antiquus error , vt relinquamus viuentem, & adoremus ea quæ ab ipſo facta ſunt. Coluerunt enim & adorauerunt creaturam , præter creatorem,& ſtulti facti ſunt.Sit in honore Maria: Pater & Filius & Spiritus ſanctus adoretur: Mariam nemo adoret , non dico mulierem , imo nec virum.Deo debetur hoc myſterium,neque angeli rapiunt talem glorificationem.

Hieronymus aduerſus Vigilantium,ad Riparium Preſbyterum.

Nos non dico martyrum reliquias , ſed nec ſolem quidem & lunam,non Angelos,non Archangelos,non Cherubim,non Seraphim,& omne nomen quod nominatur in præſenti ſeculo & in futuro,colimus & adoramus , ne ſeruiamus creaturæ potius quam creatori,qui eſt benedictus in ſecula.Honoramus autem reliquias Martyrum , vt eum cuius ſunt martyres,adoremus.

Auguſtinus in Epiſtolam beati Ioannis Tractatu 1.

Clama,Aduocatum habemus apud Patrem.Videte ipſum Ioannem ſeruantem humilitatem,certe vir iuſtus erat & magnus,qui de pectore Domini myſteriorum ſecreta bibebat,ille qui in bibendo de pectore Domini diuinitatē ructauit.In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: ille talis vir non dixit , Aduocatum habetis apud

Patrem:ſed,Si quis peccauerit, Aduocatum, inquit,habemus, non dixit,habetis. Nec me habetis,dixit,nec ipſum Chriſtum habetis dixit, ſed & Chriſtus poſuit,non ſe,& Habemus dixit, non Habetis.Maluit ſe ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Chriſtum, quam ponere ſe pro Chriſto aduocatum,&c. *Idem de libero arbitrio.lib.3.* Non enim ad creaturam iubemur tendere,vt efficiamur beati,ſed ad ipſum creatorem.

Chryſoſtomus Homil.44. in capite Geneſ.19.

Cum hæc omnia non ignoremus,poſt hac licet peccatores ſimus,& indigni in quos conferantur beneficia,licet ſoli ſimus & interceſſoribus careamus,ne deficiamus orando, ne deſpondeamus animum,ſcientes magnum apud Deum patrocinium eſſe per ſemetipſum magna alacritate ad Deum ipſum contendere,&c. *Idem Homil.16. De muliere Chananæa.* Vide philoſophicam mulieris animam,dicentis:Miſerere mei. Non inquit, habeo conſcientiam bonorũ operum, nec rectę vitæ fiduciam,ad miſericordiam confugio,ad tranquillum portum peccantiũ, ad miſericordiã confugio, vbi ceſſat iudicium: ad miſericordiã cõfugio, vbi ineffabilis ſalus eſt. Dic mihi mulier, quemadmodum auſa es,cum ſis peccatrix & iniqua,accedere ad eum? Ego,inquit,noui quid agam. Vide prudentiam mulieris. Non rogat Iacobum,non obſecrat Iohannem, neque pergit ad Petrum neque intendit Apoſtolorum Chorum, nõ quæſiuit mediatorem,ſed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & ſic ad ſummum fontẽ perrexit. Propterea,inquit, deſcendit, propterea carnem aſſumpſit, & homo factus eſt,vt & ego audeam ei loqui.

Cyrillus ad Reginas de recta fide ex Euangelio Ioannis.

Aſſumptus eſt in cœlum,ſed vt Deus,Annũtiatur præſtare petitiones adorantium, ſi in nomine eius fecerint preces.Iam cui magis conuenit facere compotes votorum ſanctos,& largiri quod petunt, quam ei, qui ſolus natura & vere eſt DEUS?

Idem contra Iulianum,lib.6.

Sanctos martyres neque Deos eſſe dicimus,neque adorare cõſueuimus:laudamus autem eos potius ſummis honoribus,quod pro veritate ſtrenue certauerint, & fidei ſinceritatem ſeruauerint, ita vt & ſuam animam contempſerint, & mortis terroribus valedicentes, præualuerint in ſummis periculis,tantæque fuerint fortitudinis, quaſi ſtatuas ſibi ſuæ vitæ excitaturi. Proinde non eſt indignũ, imo etiam neceſſarium, eos qui tam claris operibus glorioſi ſunt perpetuis honorari laudibus.

Remigius in Pſal.96.

Cõfundantur,qui gloriantur in ſimulachris ſuis &c.Quia non ſunt adoranda ſimulachra. Nec etiã Angelus adorandus eſt. Quia legitur in Apocalypſi:cum quidam voluiſſet adorare Angelum pro miraculis, quæ fecit, quod ipſe prohibuiſſet,ne adoraretur, dicens, vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum & fratrum tuorum.

Auguſtinus contra Epiſt.Parmeniani lib.2.cap.8.

Nã ſi eſſet mediator Paulus, eſſent vtique & cæteri coapoſtoli eius:ac ſi multi mediatores eſſent, nec ipſi Paulo conſtaret ratio, qua dixerat: vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS.

Claudius Epiſcopus aduerſus Theodemirum Abbatem in Apologia.

Quid eſt dicere: Si fuerint in medio eius Noe, & Daniel, & Iacob: id eſt, ſi tantæ ſanctitatis, tantæ iuſtitiæ, tantique meriti ſunt, quanti illi fuerunt, nō liberabunt filium, neque, &c. Hæc idcirco, vt nemo de merito vel interceſſione Sanctorum confidat. Quia niſi eandem fidem, iuſtitiam, veritatem teneat, quam illi tenuerunt, per quam placuerunt Deo, ſaluus eſſe non poterit.

Iterum Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 10.

Illi talibus diis ſuis & templa ædificarunt, & ſtatuerunt aras, & ſacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt. Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut Diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed vni Deo & martyrum & noſtro ſacrificium immolamus, ad quod ſacrificiū, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur.

Epiphanius contra Aerium.

Etſi & ipſe nonnihil hæret in communi errore, tamen perſpicue docet ſanctorum mentionem in Eccleſia fieri, non vt inuocentur, ſed potius, vt nō inuocentur, nec Chriſto in honore æquentur.

Sedulius in 1. cap. ad Rom.

Adorare alium præter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, impietatis crimen eſt.

DE

DE COENA DOMINI.

CAP. VNDECIMVM.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

Negant quod filius Dei ſumptione Euchariſtiæ, ſingulis vera fide ea vtentibus, largiatur, applicet, & obſignet illa beneficia, quæ traditione ſui corporis & effuſione ſui ſanguinis promeruit. In Cenſ. folio 285.

Et fol. 286. *Similiter negant: quod credentes perceptione Euchariſtiæ certi reddantur de peccatorum ſuorum remiſſione.*

Et fol. 287. *inquiunt: Sacramenti iſtius primarius effectus non eſt remiſſio peccatorum grauiorum, quibus mors affertur animo.*

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Et ſeipſum & omnia ſua beneficia largitur Chriſtus iis qui vera fide ſymbola corporis & ſanguinis illius ſumunt iuxta inſtitutionem ab Euangeliſtis & Paulo deſcriptam. Tam certo enim illius fiunt participes fide & efficacia Spiritus

ſancti, quam vere panem & vinum ſumunt. Qui autem Chriſto vniũtur, certiſſimum remiſſionis peccatorum pignus poſſident, quandoquidem nulla eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu.

Teſtes

APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Dicit Dominus ipſe, effectum & vtilitatem Euchariſtiæ, eſſe remiſſionem peccatorum, quam donat cuilibet in ſpecie, qui fide percipit cœnam. Accipite, inquit, & comedite: Hoc eſt corpus meum: quod pro vobis tradetur: Et, bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus Noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro mea vere eſt cibus: & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem: in me manet & ego in illo. Ioan. 6.

Accipite, edite: Hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur. 1. Cor. 11.

PATRES.

Ambroſius lib. 4. de Sacramento, cap. 5.

Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remiſſio peccatorum, & non mouebitur in æternum.

Hieronymus lib 14. comment. in Ezechielem.

Sanguis Chriſti eſt precioſus, in quo redimimur in paſſione Domini Saluatoris, cuius carnibus alimur, & cruore potamur.

Iterum Ambroſius lib. de pœnitentia. capite 3.

Quotieſcunque peccata donantur, corporis eius

ſacramen-

ſacramentum ſumimus, vt per ſanguinem eius fiat peccatorum remiſſio.

Chryſoſtomus in 1. Corinth. cap. 10. Homilia 24.

Ipſa namque menſa animæ noſtræ vis eſt, nerui mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, ſpes, ſalus, lux, vita noſtra. Si hinc hoc ſacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia ſanctum aſcendemus veſtibulum, tanquam aureis quibuſdam ve ſtibus vndique contecti. Et quid futura commemoro? Nam dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium.

Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 24.

Præter Baptiſmum (ait) & participationem Dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenquã hominum peruenire. *Et lib. 3. cap. 6.* Sanguis Chriſti, qui à nobis in ſacramento ſumitur, pro nobis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum.

Haymo ſuper 22. Pſal.

Non ſolum Dominico corpore à vitiis mundamur, virtutibus replemur, ſed etiam contra omnẽ perſecutionem ſuſtentamur.

Iuo Epiſtola 43.

Corpus & ſanguis Domini, ſunt noſtræ reconciliationis Sacramenta, & vulnerum noſtrorum medicamenta ad edendum, bibendũ, in ſui cõmemorationem faciendum diſcipulis commendata.

II.

IESVITÆ.

Nõ diuini, ſed humani iuris eſt, Laicos ſub vna, vel vtraque communicare ſpecie. In Cenſ. ipſorum, fol. 289.

Et fol.302.dicunt, *Institutionē cœnæ Dominicæ, Matth.26. Mar.14. Luc. 22. pertinere non ad Laicos, ſed ad Apoſtolos & eorum ſucceſſores, hoc eſt, ad ſacerdotes. Illis nūquā dictū eſſe: Hoc facite.*

Et fol.295.ſcribunt, adeo omnia eſſe arbitraria in cœna Dominica, vt etiam liceat ſolum vini ſpecimen præbere communicantibus.

Et fol.289. Temporibus Chriſti & Apoſtolorū fideles, aiunt, laicos alterius tantum ſpeciei communicationem percepiſſe.

Et fol.289.308.309.&c. Quicunque ſub vtraque ſpecie communicant, non ſolum non fructum aliquem ſalutis, aut gloriam, ſed perditionem æternam, ac perpetuam reportant ignominiam.

II.

IESVS.

Cœna Domini ad omnes in Chriſtum credētes, qui ſe ipſos probare poſſunt, pertinet: & diuini iuris præceptique eſt Laicos panem & vinum, ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti, recipere debere.

Teſtes

APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Matth.26. Marc.14. Luc.22.

Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus IESVS, in qua nocte tradebatur,

tur,accepit panem,& gratias agens, fregit & dixit: Accipite,& manducate,hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter & calicẽ, poſtquam cœnauit,dicens. Hic calix nouum Teſtamẽtum eſt in meo ſanguine,hoc facite,quotieſcunq; bibitis,in meam commemorationem. 1.Cor.11.

Ibidem. Quotieſcunque manducabitis panem hunc,& calicem bibetis,mortem Domini annuntiabitis,donec veniet.

Ibidem. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autẽ ſeipſum homo,& ſic de pane edat, & de calice bibat. Nã qui edit & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Paulus toti Eccleſiæ Corinthiorum,etiam Laicorum præcipit,vt digne panẽ & corpus Chriſti edant, & vinum & ſanguinem eius bibant.

PATRES.

Gregor. Nazianzenus Oratione 4. in Sanctum Paſcha.

Abſque confuſione & dubio comede corpus, & bibe ſanguinem, ſi ſaltem vitæ deſiderio teneris.

Baſilius in ſermone de Baptiſmo.

Oportet accedentem ad corpus ac ſanguinem Domini,&c.

Carolus magnus. li. 3. de Imaginibus. c. 4. 6.

Sanguis Chriſti,qui à nobis in Sacramento ſumitur, pro nobis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum.

Item lib. 4. cap. 14.

Corporis & ſanguinis Dominici myſterium quotidie in ſacramento à fidelibus ſumitur.

Iuſtinus Martyr in Apologia 2.

Communionem ſub vtraque ſpecie traditam ab Apoſtolis, etiam Laicis ſuo tempore exhibitam fuiſſe narrat.

Dionyſ. de Eccleſ. Hierar.

Sane opertum panem & indiuiduum aperit (venerandus antiſtes) in fruſta concidens, & ſingularem calicem omnibus impartiens, vnitatem ſignanter multiplicat, atque diſtribuit, inque his conſummat cœleſte myſterium.

Cyprianus ad Cornelium Epiſtola ſecunda.

Quomodo docemus aut prouocamus eos in cõfeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguiné denegamus? Aut quomodo ad myſterij palmam idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in Eccleſia poculum Domini, iure communicaturos admittimus?

Hierony. in Sophon. cap. 3.

Sacerdotes qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis eius diuidunt, impie agunt in legem Chriſti, putantes Euchariſtiam imprecantis facere verba, non vitam.

Ambroſ. in 1. Corinth. 11.

Valet ad tuitioné corporis & animæ, quod præcipimus: quia caro Chriſti pro ſalute corporis, ſãguis vero pro anima noſtra offertur, ſicut præfigurauit Moſes. Caro, inquit, pro corpore veſtro offertur, ſanguis pro anima. Sed tamen ſub vtraque ſpecie ſumitur, quod ad vtrunque valet: quia ſub vtraque ſumitur ipſe totus Chriſtus. Sed ſi in altera tantum ſumeretur, ad alterius tantum, id eſt, animæ vel corporis, non vtriuſque pariter tuitionem valere ſignificaretur.

Chryſoſt.

Chryſoſt. in 2. Cor. 8. Hom. 18.

Non ſicut in vetere lege partem quidem ſacerdos comedebat, partem vero populus: verum OMNIBVS corpus vnum proponitur, & poculum vnum. Ea quæ ſunt Euchariſtiæ communia ſunt omnia inter ſacerdotem & populum.

Proſper. in Sent.

Dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiuſque ſanguinis de latere effuſio deſignatur.

Auguſt. de conſec. diſt. 2. Quia paſſ.

Vos poſt illa ieiunia, poſt labores, poſt humilitatem & contritionem, in nomine Chriſti iã tanquam ad Chriſti calicem veniſtis, & ibi vos eſtis in menſa, & in calice nobiſcum vos eſtis: ſimul enim hoc ſumimus, ſimul bibimus, quia ſimul viuimus.

Gelaſius Papa de conſec. diſt. 2.

Comperimus autem quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant: qui proculdubio (quoniã neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi) aut integrum ſacrum percipiãt, aut ab integris arceantur. Quia diuiſio vnius eiuſdem myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.

Gloſſa ibidem.

Nec ſuperflue ſumitur ſub vtraque ſpecie: nam ſpecies panis ad carnem, & ſpecies vini ad animam refertur, cum vnum ſit ſacramentum ſan-

guinis,in quo eſt ſedes animæ. Iamq; ſumitur ſub vtraque ſpecie, vt ſignificetur, quod vtrunque Chriſtus aſſumſit,carnem & animam:& quod tam animæ quam corpori participatio valeat. Vnde ſi ſub vna tantum ſpecie ſumeretur,ad tuitionem alterius non valere ſignificaretur.

Gregor.in Homil.Paſchali.

Chriſti ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur.

Cyprianus in Serm.de Lapſis.

Vbi vero ſolennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit,& accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem ſuam inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere,os labiis obturantibus præmere, calicem recuſare:præſtitit tamē Diaconus,& reluctanti licet de ſacramento calicis infudit. *Idem ad Cornelium pap.epiſt.2.* Non inermes & nudos relinquamus morientes, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus.

Gregor.in Hom.Paſch.

Quid ſit ſanguis agni,non iam in audiendo ſed bibendo didiciſtis:qui ſanguis ſuper vtrūque poſtem ponitur,quando non ſolum ore corporis,ſed etiam ore cordis hauritur.

Hieron.in 1.Corinth.11.

Dominica cœna omnibus debet eſſe communis:quia ille omnibus diſcipulis qui aderāt,æqualiter tradidit ſacramenta.

In Can.2.

In concilio Toletano tertio conſtitutum eſt,vt omnes Hiſpaniarum,& Gallicæ Eccleſiæ,omni ſacrificii tempore,ante cōmunicationem corporis Chriſti & ſanguinis,vnanimiter clara voce ſacratiſſimum fidei recenſeant ſymbolum, vt primum populi,quam fidem teneant,fateantur:& ſic corda fide purificata,ad Chriſti corpus & ſanguinē percipien-

cipiendum exhibeant.

Theodoret.in Eccleſ.hiſt.cap.18.lib.5.

O Imperator & princeps conſeruorum (inquit D.Ambroſius ad Theodoſium) vnus eſt enim omnium Dominus, rex omnium & creator. Quibus igitur oculis aſpicies communis Domini templum? Quomodo manus extendes, de quibus adhuc ſanguis (nam ſeptem hominum milia erāt occiſa Theſſalonicæ iuſſu Theodoſii Imperatoris) ſtillat iniuſtus? Quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Dei corpus? Qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis precioſi percipies? quādo furore verborum tuorum tantus iniuſte eſt ſanguis effuſus, &c.

De conſecrat. diſt.2.cap. Si quotieſcunque: verba Ambroſii.

Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſsionem peccatorum effunditur: debeo merito ſemper accipere. Qui ſemper pecco: debeo ſemper medicinam accipere. *Ibidem, cap. in Cœna.* In Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur, quæ in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his, quibus pro grauibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit. Eccleſiaſticus vſus demonſtrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis Domini ſacramenta reconcilientur.

Cyprianus ad Felicem Epiſt.8

Adulterinum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcunque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Procul ab huiuſmodi hominum contagione diſcedite, & ſermones eorū veluti cancer & peſtem fugiendo vitate.

Ambroſius in 11.caput Corinth. Epiſt.1.

Cœna Dominica cōmunis debet eſſe omnibus

Chriſtianis, ſicut Chriſtus cũ ſuis diſcipulis communiter cœnauit.

III.

IESVITÆ.

Primaria (inquiunt) inſtitutionis ratio eſt, vt ſacrificium haberemus, quod Deo patri offeratur. Fol. 304. Cenſ.

III.

IESVS.

Vnico Chriſti in morte ſacrificio plene reconciliantur fideles: & pro reconciliatione peccatorum aliquid præterea nequeunt offerre.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt præbeatis corda veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, acceptam Deo, rationalem cultum veſtrum. Rom. 12.

Veluti viui lapides ædificemini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per IESVM Chriſtum. 1. Petr. 2

Chriſtus pontifex futurorum bonorum, nõ per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinẽ introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Sanguis taurorum & hircorum ſanctificat ad carnis purificationem, quãto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum obtulit ſeipſum immaculatum Deo, purgabit conſcien-

conſcientiam veſtram a mortuis operibus ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ob id Noui teſtamenti conciliator eſt, vt morte intercedente, ad redemptionem earum præuaricationum, quæ fuerunt ſub priori Teſtamento, ii, qui vocati ſunt, promiſſionem accipiant hæreditatis æternæ. Non in manifeſta ſancta introiuit IESVS, exemplaria veterum, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro votis, non vt ſæpius offerat ſeipſum, quemadmodum pontifex ingreditur in ſancta ſingulis annis per ſanguinem alienum. Nunc autem ſemel ſub cōſummationem ſeculorum ad profligationem peccati, per immolationem ſui ipſius apparuit. Omnis ſacerdos aſſiſtit quotidie peragens, & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic vero vna pro peccatis victima oblata, perpetuo ſedet ad dexteram Dei. Heb.9.

Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelſo. Nunquid offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos? nunquid placari poteſt dominus, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animę meę? Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Mich.6.

Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Mat.9.

Immola Deo ſacrificium laudis, redde altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Pſal.50.

Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem: vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Dominus non deſpiciet. Pſal.51.

Facere miſericordiam & iudiciũ, magis placet Domino, quam victimæ. Prou.21.

Miſericordiam volui, & non ſacrificiũ, & ſcientiam Dei plus quam haulocauſtomata. Oſeæ 6.

Talis enim decebat, vt eſſet nobis põtifex, pius, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & ſublimior cœlis factus: cui non ſit quotidie neceſſe, quemadmodum illis pontificibus, prius pro ſuis peccatis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit ſemel, cum ſeipſum obtulit. Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes. Porro ſermo iuſiurandi, qui ſupra Legem fuit, filium conſtituit in æternũ conſummatum. Heb.7.

Sãctificati ſumus per oblationem corporis IESV Chriſti ſemel peractam: & omnis quidem ſacerdos aſſiſtit qnotidie ſacra peragens, & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſſint auferre peccata. Hic vero vna pro peccatis delata victima, perpetuo ſedet ad dexteram Dei, id quod ſupereſt expectans, donec reddãtur inimici ipſius ſcabellum pedum eius: vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui ſanctificantur. Teſtificatur autem nobis & ipſe Spiritus ſanctus: Nimirum cum prædixerit: Hoc eſt teſtamentum, quod condam erga illos poſt dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in corde illorum, & in mentibus illorum inſcribam eas, & peccatorum atque iniquitatum illorum non recordabor amplius. Porro vbi horum remiſſio, non eſt amplius oblatio pro peccato. Hebr.10.

Vide plura in capite de Purgatorio.

PATRES.

Euſebius de Demonſtratione Euangelica lib.1.cap.6.

Quod

Quod in omni loco dicit incenſum & ſacrificium offerri Deo, quid aliud ſignificat, niſi non Hieroſolymis, neque definito in hoc aut illo loco id futurum: ſed in omni regione, & in omnibus gentibus, quæ quidem & orationis incenſum, & ſacrificium, quod mundum dictũ eſt, non per cruores, ſed per pias actiones ſummo Deo eſſent oblaturæ. *Item eodem lib. cap.* 10. Ab ortu ſolis (dicit Deus) vſque ad occaſum Nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & hoſtia munda. Sacrificamus igitur (addit Euſebius) Deo altiſsimo ſacrificium laudis, ſacrificamus Deo plenum & odorem offerens ſacroſanctum ſacrificium: ſacrificamus nouo more, ſecundum Nouum Teſtamentum, hoſtiam mundam. *Et ſtatim.* Igitur & ſacrificamus & incendimus, alias quidem memoriam magni illius ſacrificij, ſecundum ea, quæ ab ipſa tradita ſunt, myſteria celebrãtes, & gratias Deo pro ſalute noſtra agentes, religioſoſque hymnos & orationes ſanctas illi offerentes: alias nos ipſos totos ei conſecrantes, eiuſque pontifici, ipſi vtique Verbo, corpore animoque dicantes. Eadem & plura lege in eiuſdem lib. 3. de demonſtratione Euangelica. cap. 4. 5. lib. 4. cap. 5.

Chryſoſtom. in Homil. de patre & duobus filiis.

Dominum noſtrum IESVM Chriſtum dedit pater in victimam, pro ſalute noſtra: quem vitulum nominat, propter hoſtiam corporis immolati. Saginatum autem vere dixit: quia pinguis & opimus in tantum eſt, vt pro totius mundi ſalute ſufficiens ſit ad odorẽ ſuauitatis, & nitorẽ immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. *In Heb. cap. 7. Hom.* 13. Noli igitur putare, Pontificem

eum audiens, quod ſemper pontificiali fungatur officio. Semel quippe functus eſt pontificatu: deinde iam conſidet. Ne putes eum ſurſum ſtare, & miniſtrum eſſe. Vnde oſtendit, quia non diſpenſationis res facta eſt. Sicut enim ſeruus factus eſt, ſic & pontifex & miniſter. Sed ſicut ſeruus factus eſt, non manſit ſeruus: ſic & miniſter factus, non manſit miniſter. Non enim miniſtri eſt ſedere, ſed ſtare. Hoc ergo hic ſignificat, magnitudinem ſacrificii, oſtendens, quod ſufficiat, quanuis vnum eſſet, & ſemel eſſet oblatum: & tantum præualuit, quantum omnia cætera non valebant. *Ibidem.* Non eſt aliud ſacrificium: vnum nos purgauit: poſt illud, ignis & gehenna. Etenim propterea ſurſum & deorſum reuoluit, dicens: vnum ſacerdotem, vnum ſacrificium: ne quis putans multa eſſe, ſiue timere delinquat. *In Hebr. cap.* 10. *Homil.* 18. Si Deus dimiſit peccata per vnam hoſtiam, nec dum opus iam eſt ſecunda. *In Rom. cap.* 5. *Serm.* 10. Multo ſiquidem plura, quam debeamus, Chriſtus pro nobis ſoluit: tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excellit immenſum. *In Epheſ. cap.* 2. *Serm.* 6. Mors Chriſti inimicitiam interemit, vulnerauit ac perdidit. Non præcipit alii cuiquam hoc negotii: neque facere tantum, ſed & pati voluit.

Fauſtus Epiſto. de gratia Dei, libro 1. *capite* 16.

Cum dicat Chriſtus in Euangelio, Caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita, dubitare penitus non debemus, quod pro toto mundo ſe impenderit: qui plus dedit, quam totus mundus valebat. Sicut & B. Ioannes Euangeliſta teſtatur: ipſe eſt enim propitiatio non ſolum pro peccatis noſtris, ſed & pro totius mundi.

Auguſti-

Auguſti.in Ioan.

Fratres vt à peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur. Quomodo qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto, non peribant morſibus ſerpentum: ſic qui intuentur fide Chriſti mortem, ſanantur morſibus peccatorum.

Leo Papa in Serm.7.

Effuſio pro iniuſtis ſanguinis iuſti, tam potens fuit ad priuilegium, tã diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.

Theophyla. in Hebr.cap.10.

Vna nobis immolatio eſt, non multæ, quandoquidem eſt & ille (Chriſtus) ſemel oblatus.

Bernardus in Cant.

Paſſio tua Domine IESV vltimum eſt refugiũ, ſingulare remedium. Deficiente ſapientia, iuſtitia non ſufficiente, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, illa ſuccurrit. Cũ defecerit virtus mea, non cõturbabor, non diffido. Scio quid faciam: calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. *Idem Serm.62.* Quid tam efficax ad curandum conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam aciem mentis, quam Chriſti vulnerum ſedula meditatio? *Idem, in quodam Serm.* Scio quod merita mea mihi nõ ſufficiunt, quod mihi deeſt, audacter vſurpo ex viſceribus Chriſti, quæ miſericordia affluunt: nec deſunt foramina, per quæ defluant.

Haymo in Heb.cap.7.

Magnitudinem ſacrificij Chriſti hic oſtẽdit (Apoſtolus) quod ſemel oblatum tantum prçualuit, quantum omnia ſacrificia legalia non valuerunt. Vnum enim fuit, & ſemel oblatum: & ſufficit in ſempiternum ad tollenda omnia peccata credentium.

Auguſtinus contra Fauſtum, lib. 20. cap. 18.

Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eiuſdem ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. *Idem in lib. de fide ad Petrum Diaconum, cap.* 18. In illis carnalibus victimis, figuratio fuit corporis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis quem erat effuſurus in remiſſionem peccatorũ noſtrorum. In ipſo autem ſacrificio, gratiarum actio ac commemoratio eſt carnis Chriſti, quã pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in Act. Apoſt. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Deĩ, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. In illis ergo ſacrificiis quid nobis eſſet donãdum, figuratè ſignificabatur: in hoc autem ſacrificio, quid nobis iam donatum ſit, euidenter oſtenditur. In illis ſacrificiis prænũtiabatur filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annũtiatur occiſus, teſtante Apoſtolo. Quia Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tẽpus, pro impiis mortuus eſt: & quia cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. *Idem contra Fauſtum, lib.* 20 *cap.* 21. Huius ſacrificij caro & ſanguis ante aduentum Chriſti, per victimas ſimilitudinũ promittebatur: in paſſione Chriſti, per ipſam veritatem reddebatur: poſt aſcenſum Chriſti, per ſacramentum memoriæ celebratur.

Am-

Ambroſius in epiſt. ad Hebr.

In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius.

Iuſtinus Martyr.

Oblatio quæ tradita eſt, vt offerretur pro mundatis à lepra, Typus fuit panis Euchariſtiæ, quem Dominus noſter IESVS CHRISTVS facere iuſſit in memoriam, & commemorationem paſſionis, quam ſubiit pro hominibus purgãdis in anima ab omni vitio: vt ſimul Euchariſtômen, id eſt, gratias agamus Deo, tum quod mundum condidit, cum vniuerſis quæ in illo exiſtunt, propter hominem: tum quod liberauit nos à vitio & peccato, in quo eramus, & perfecta deſtructione deſtruxit principatus, & poteſtates, per eum qui paſſibilis factus eſt ſecundum ipſius conſilium.

Theodor. in Heb. cap. 8.

Si ergo & ſacerdotium, quod eſt ex lege, finem accepit, & ſacerdos qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, obtulit ſacrificium, & effecit vt alia ſacrificia non eſſent neceſſaria: cur noui Teſtamẽti ſacerdos myſticam liturgiã ſeu ſacrificium peragunt? Sed clarum eſt iis qui ſunt in rebus diuinis eruditi, nos non aliud ſacrificium offerre, ſed illius vnius & ſalutaris memoriã peragere. Hoc enim nobis præcepit ipſe Dominus: Hoc facite in meã recordationem: vt per figurarum contemplationem, earum quæ pro nobis ſuſceptæ ſunt perpeſſionum recordemur, & in benefactorem beneuolentiam conſeruemus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus.

Theophyl. in Hebr. cap. 10.

Vna nobis immolatio eſt, non multæ, quandoquidem eſt & ille ſemel oblatus. Eundem itaque

ſemper offerimus, quin potius immolationis illius memoriam facimus, perinde ac ſi eſſet hoc tempore immolatus. Quo circa conſtat vtique vnum eſſe noſtrum ſacrificium, legis vero multiplex, quo & frequentius offerebatur, vt plurimum & multis prodeſſet: noſtrum vero vnicum eſt, & ſemel oblatum.

De conſec. diſt. 2.

Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus & tamen quotidie immolatur in ſacramento. Gloſſa: Immolatur, id eſt, eius immolatio repræſentitur, & fit memoria paſſionis Chriſti.

Paſchaſius Papa. Ibidem.

Quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus myſtice pro nobis immolatur: & paſſio Chriſti in myſterio traditur. Gloſſa: Chriſti immolatio facta pro nobis in ſacramento corporis & ſanguinis eius repræſentatur.

Proſper in ſententiis.

Cœleſtis panis, qui Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cum res vera ſit ſacramentum corporis Chriſti: vocaturque illa immolatio carnis quæ ſacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio.

Chryſoſt. in Matth. Hom. 26. cap. 8.

Optima quippe beneficiorum cuſtos eſt, ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confeſſio. Propterea & reuerenda, ac ſalutaria illa myſteria, quę in omni certe Eccleſię congregatione celebramus, Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio nominatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum diuæ erga nos charitatis oſtendunt.

Auguſt. lib. quæſt. 83. cap. 61.

Dominus noſter IESVS CHRISTVS oſtenditur rex noſter. Ipſe eſt etiam ſacerdos noſter in æter-

num ſecũdum ordinem Melchiſedech, qui ſemetipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris: & eius ſacrificij ſimilitudinem celebrandam, in ſuæ paſſionis memoriam commendauit, vt illud quod Melchiſedech obtulit Deo iam per totũ orbem terrarũ Chriſti in Eccleſia videamus offerri.

Primaſius in 10.cap.ad Hebr.

Neque enim Chriſtus, qui eſt hoſtia noſtra, iterum immolandus eſt, pro peccatis noſtris. Hoc enim ſemel factum eſt, & ſecundo opus non eſt: ſed magis quidem opus eſt poſt acceptam gratiam permanere in fide recta, & mundicia bonorum operum.

Cyrillus lib.10.contra Iulianum.

Copioſe deſcribit ſacrificium Noui Teſtamẽti. *Item*, Rabanus lib.1.cap.32.de Inſtitutione Clericorum. Remigius in 55. Pſal.& innumeri Patres alij: quorum teſtimonia breuitatis cauſa omitto.

Epiphanius lib.1.Tom.3.

Scribit, quod Deus per aduentum Chriſti ſui omnem ſacrificiorum vſum ſuſtulerit, vno ſacrificio omnia quæ antea fuerunt, complente ac perficiente, quod eſt ſacrificium & victima Chriſti. Nã Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Hæc Epiphanius.

D.Gregorius lib.7.Regeſti, cap.63.

Mos, inquit, Apoſtolorum fuit, vt ad Dominicam ſolummodo orationem hoſtiam conſecrarẽt.

Clemens Alexandr.Stromat.7.

Sin autem gaudet Deus honorari, cum natura nullius indigeat, non abs re nos Deum, precibus honoramus, & hoc ſacrificium optimum & ſanctiſſimum cum iuſtitia emittimus, iuſtiſſimi verbo eum honorantes, per quem accipimus cognitionem, ea quæ didicimus per eum glorificantes. Eſt ergo quod hic apud nos eſt altare,

terreſtris congregatio eorum, qui incumbunt orationibus, qui veluti vnam vocem habent communem & vnam mentem. *Et mox ait.* Eſt enim Ecclesiæ ſacrificium, verbum quod à ſanctis exhalatur animis, cum ſacrificium ſimul aperiatur & tota mẽs DEO. Et paulo poſt: ait Arã eſſe animã iuſtam.

DE TRADITIONIBVS.

CAP. DVODECIMVM.

ANTITHETON PRIMVM. IESVITÆ.

Ea quæ ſub titulo & prætextu Traditionum Eccleſiæ (Romanæ) obtrudũtur, licet ex ſcriptura probare non poſſint, habere tamen parem auctoritatẽ, & eadem fide eſſe credenda, ſicut illa, quæ manifeſta habẽt in ſcriptura teſtimonia. Hæc illi fo. 230. Et in opere Catechiſtico Caniſij. fol. 124. 126.

Item: *Nunc poſt tot concilia, non eſt diſputandum de traditionibus: ſed impliciter credendum, ſine vlla probatione, quod ſint vere Apoſtolicæ, licet manifeſte pugnent cum ſcriptura.*

ANTITHETON PRIMVM. IESVS.

Omnia dogmata Chriſtianæ fidei neceſſaria in libris

libris Canonicis veteris & noui teſtamenti continentur: ita vt fundamento iſto Prophetarum & Apoſtolorum prorſus nitatur Dei Eccleſia.

Teſtes,

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Quare (ait IESVS ad Phariſæos) & vos mandatum Dei tranſgredimini propter Traditionem veſtam? Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum. Matth.15. Mar.7.

Et ibidem. Hypocritæ (ait ad eoſdē) bene propheauit de vobis Eſaias dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. In vanum autem colunt me, docentes doctrinas & nandata hominum.

Obſecro vos fratres, vt cōſideretis eos, qui diſſidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinetis ab illis. Nam qui eiuſmodi ſunt, Domino Ieſu Chriſto non ſeruiūt, ſed ſuo ventri, & per aſſentationem, & blandiloquentiam decipiunt corda ſimplicium. Rom.16.

Non facietis ſinguli, quod vobis rectum videbitur: ſed quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquid, nec minuas. Deu.12.

Ne quis vos iudicet aut in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, &c. Col.2.

Bonum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt iis, qui verſati ſunt in illis. Heb.13.

Non veniet regnum Dei cum obſeruatione. Luc.17.

In Eccleſia volo quinque verba mente mea loqui, vt & alios inſtituam potius, quam decem milia verborū in lingua. Si neſciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbar⁹, & qui loquitur apud me bar-

barus. Ergo quandoquidem ſectatores ſpirituum eſtis, ad ædificationem Eccleſiæ quærite vt excellatis.1.Cor.14.

Cauete à pſeudoprophetis,qui veniunt ad vos, &c.Matth.7.

Cauete à fermento & doctrina Phariſæorum. Matth.6.Mar.8.

Pretio empti eſtis. Nolite fieri ſerui hominum, id eſt ſerui doctrinarum humanarum. 1. Corint.16

Denuncies quibuſdam ne ſequantur diuerſa doctrinas.1.Tim.1.

Prophanas & aniles fabulas deuita.Cap.4.

Si quis diuerſam ſequitur doctrinam,& non accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri IESV Chriſti,&c.Cap.6.

Item:Propoſitum ſerua, deuitans prophanas vocum nouitates,&c.

Formam habeto ſanorum ſermonum,quos a me didiciſti.1.Timo.1.

Cap.2.Hęc admone,conteſtans coram Domino, ne verborum pugnas ſequantur.

Stultas & incredulas quæſtiones deuita.

Cap.3.Tu vero permane in his,quæ didiciſti.

Appropinquauit populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt à me, & timuerunt me mandato hominum,& doctrinis. Ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic,miraculo grandi & ſtupẽdo. Peribit enim ſapientia a ſapientibus eius, & intellectus prudẽtium eius abſcondetur.Eſa.29.

Propheta qui habet ſomnium,narrat ſomnium, & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonẽ meum vere : quid paleis ad triticum, dicit Dominus?Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis: dicit Dominus? & quaſi malleus conterens Petram, Hierem.23.

Væ ſi-

Væ filii deſertores, vt faceretis conſilium, & nō ex me, ordiremini telam, & non per Spiritum meum: & os meum non interrogaſtis. Propterea, Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea, vnuſquiſque a proximo ſuo, &c. Eſa.30.

Omnis plantatio, quā non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. Matth.15.

Omiſſo præcepto Dei, tenetis conſtitutiones hominum, in vanum me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum: bene reiicitis præceptum Dei, vt conſtitutionem veſtram ſeruetis. Mar.7.

Vt non amplius ſimus pueri, qui fluctuemus, & circumferamur quouis vento doctrinæ per verſutiam hominum, per aſtutiam, qua vos adoriuntur, vt imponant vobis. Epheſ.4.

Ne quis vos decipiat inanibus ſermonibus. Epheſ.5.

Videte ne quis ſit, qui vos depredetur per philoſophiam inanem, & deceptionem, iuxta conſtitutionem hominum, id eſt iuxta elementa mundi, & non iuxta Chriſtum. Coloſ.2.

Quam ob cauſam redarguito illos ſeueriter, vt ſani ſint in fide, non attendentes fabulis Iudaicis, & præceptis hominum auerſantium veritatem. Tit.1.

Qui veſcitur, Domino veſcitur, gratias enim agit Deo: & qui non veſcitur, Domino nō veſcitur, & gratias agit Deo. Rom.14.

Ibidem: Noui ſiquidem, & perſuaſum habeo, per Dominum IESVM, nihil eſſe commune per ſe, niſi ei, qui exiſtimat aliquid eſſe commune, illi commune eſt: verum ſi propter cibum frater tuus contriſtatur, non iam ſecundum charitatem ambulas: ne cibo tuo illum perdas, pro quo Chriſtus

mortuus eſt. Ne veſtrum igitur bonum, hominum maledicentiæ obnoxium ſit. Non enim eſt regnũ Dei cibus & potus: ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Ne cibi cauſa deſtruas opus Dei. Omnia quidem pura, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum veſcitur. Bonum eſt non edere carnem, neque bibere vinum, neque quicquam, per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur. Tu fidem habes, apud temet ipſum habe: Beatus qui non iudicat ſeipſum, in eo, quod probat. At qui diiudicat, ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam non edit ex fide. Porro quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt.

Omnia mihi licent, at non omnia conducunt. 1. Corinth. 10.

Atqui eſca nos non commendat Deo, neque ſi comedamus, aliquid nobis ſupereſt neque ſi non comedamus aliquid nobis deeſt. Sed videte, ne quomodo facultas iſta veſtra, offendiculo ſit iis, qui infirmati ſunt, &c. Sic autem peccantes in fratres, & eorum conſcientias vulnerantes infirmas, in Chriſtum peccatis, quapropter ſi eſca offendit fratrem, haud quaquam veſcar carnibus in æternum, ne fratri meo ſim offendiculo. 1. Cor. 8.

Quod intrat in os, non coinquinat hominẽ: ſed hoc, quod procedit ex ore, coinquinat hominem. Matth. 15. Mar. 7.

Omne, quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam, &c. Domini ſiquidem eſt terra & plenitudo eius. Quod ſi, vocat vos quis infidelium, & vultis ire, quicquid apponitur vobis edite, nihil interrogãtes propter conſcientiam, &c. Porro conſcientiam dico non tuam, ſed illius alterius. Cur libertas mea iudicatur ab alia conſcientia, quod ego cum gratia percipio: cur ob id mihi male dicitur, pro quo ego

gratias

gratias ago? Siue igitur editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, in gloriam Dei facite. Tales eſtote, vt nullum præbeatis offendiculum, neque Iudæis, neque Græcis, neque Eccleſiæ Dei. 1. Cor. 10.

Hic autem iudicat, diem ad diem conferens, ille autem idem iudicat, de quouis die: vnicuique ſua mens ſatisfaciat, qui curat diem, Domino curat. Rom. 14.

Erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato, Eſa. vltimo.

Surge Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus, abſit Domine: quia nunquam manducaui omne cōmune. Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Act. 11.

Omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum: ſed iniquinata mēs eorum & conſcientia. Tit. 1.

Dies obſeruatis & menſes, & tempora & annos. Gala. 4.

Nihil eſt extra hominem introiēs in eum, quod poſſit eum coinquinare. Mar. 7.

Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, fodierunt ſibi ciſternas. Hier. 2.

Docentes ſeruare, quæ ego præcipio vobis. Mat. 28.

Conſule primum librum Samuelis Prophetæ, ſiue Regum, & vide inſignem hiſtoriam de Saulo rege Iſrael, addente ad verbum Dei. Quamobrem regno ſuo, & diademate deſtituebatur, & Dauid a Domino in regem vngebatur per Samuelē Prophetam. 1. Reg. 15.

Cuſtodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis ad dexterā, neque ad ſiniſtram, ſed per viam quam pręcepit Dominus meus veſter ambulabitis. Deut. 5.

Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus omnibus

ſperātibus in ſe. Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniariſque mendax. Prou.30.

Doctrinis variis ac peregrinis ne circumferamini. Heb.13.

Vnus eſt legiſlator, qui poteſt perdere ac ſaluare. Iacob.4.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt, hunc audite. Mat.3.

Audite vocem meam, &c. & ambulate in via, quam mandaui vobis, vt bene ſit vobis. Hier.7.

Ne ſitis ſicut patres veſtri: ad nos clamabāt Prophetæ priores, dicentes, &c. Zach.1.

In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis. 2.Ezech.20.

Nolite indurare ceruices veſtras, ſicut patres veſtri. 2.Pa.30.

Ibidem. Nolite fieri ſicut patres veſtri & fratres, qui receſſerūnt à Domino Deo patrum ſuorum.

Vſque in præſentem diem moré ſequuntur antiquum, non timent Dominum, neque cuſtodiunt cæremonias, atque iudicia, & legem, & mādatum, quod præceperat Dominus filiis Iacob, quem cognominauit Iſrael, &c. 4.Reg.17.

Ibidem. Illi vero non audierunt, ſed iuxta cōſuetudinem ſuam priſtinam perpetrabant. Fuerūt igitur gentes iſtæ timentes Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruientes.

Doceatis filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus ſum ad eos per manum Moſi. Leu.10.

Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis. Deut.4.

Non enim me pudet Euāgelii Chriſti: potentia ſiquidem eſt Dei, ad ſaluté omni credenti. Rom.1.

Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui me miſit. Ioan.12. Et 1.Pet.1.

Si

Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes mundo diſcernitis? ne tetigeritis, neque guſtaueritis, quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu, ſecundum præcepta, & doctrinas hominum, quæ ſunt rationē quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Col.2.

Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. Matth.23.

Spiritus manifeſte dicit, quod in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam ſuam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus & his, qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. 1.Timot.4.

Quære plura in cap.1.de S.Scriptura, antitheto 2.de Traditionibus. Item cap.6.antithet. 1. & cap. 17.antith.2.

PATRES.

Irenæus aduerſus hæreſes lib.3.cap.1.

Apoſtoli Euangelium præconiauerunt, poſtea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum. *Item lib.5.* Oportet confugere ad Eccleſiam & eius ſinu educari, & dominicis ſcripturis enutriri. Plantatus eſt Eccleſiæ paradiſus in hoc mundo. De omni ligno paradiſi eſcas man-

ducabis, inquit ſpiritus Dei: hoc eſt, de omni Scri-
ptura dominica manducate.

Iuſtinus Martyr in colloquio cum Tryphone.

Trypho dicit Iuſtinum ſemper Scripturis hærere, quo incedat tutior. *Iuſtinus, paulo poſt addit*, non ſequor homines aut doctrinas humanas, ſed Deum & quæ ille docuit. Antea dixerat, optarim eandem mentem & cæteris, ne a ſeruatoris verbis diſcederent.

Origenes in Ieremiam.

Neceſſe nobis eſt Scripturas Sanctas in teſtimonium vocare: ſenſus quippe noſtri & enatrationes ſine his teſtibus non habent fidem.

Tertullianus de reſurrectione carnis.

Aufer hæreticis quæ cum Ethnicis ſapiunt, vt de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant & ſtare non poterunt. *Et de præſcript.* Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Euangelium. Cum credimus nihil deſideramus vltra credere: hoc enim primum credimus non eſſe quod vltra credere debeamus. *Et adu. Hermogenem*, doceat Hermogenes Scriptum eſſe: ſi non eſt Scriptum, timeat væ illud, adiicientibus aut detrahentibus deſtinatum.

Athanaſius contra Idol.

Sufficiunt ſanctæ & diuinitus inſpiratæ Scripturæ ad veritatis iudicationem.

Hilarius de Trinitate, lib. 3.

Bene habet vt iis quæ ſcripta ſunt contenti ſimus.

Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 68.

Non omnia quæ fecit Dominus ſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes putauerunt ſufficere tam ad mores quam ad dogmata.

Chryſoſtomus in 2. ad Timoth. hom. 9.

Si quid vel diſcere, vel ignorare opus ſit, in Scri-
pturis

pturis diſcemus. *De Sanct. & ador. Spiritu.* Si quis eorum, qui dicuntur habere ſpiritum ſanctum, dicat aliquid ex ſeipſo, & non ex Euangeliis, ne credite. Manes dicit quod Sol & Luna opifices ſunt, vbi legiſti hæc? Ex quo non legit hæc ſcripta, ſed a ſeipſo loquitur, manifeſtum eſt quod non habet ſpiritum ſanctum. *In Matth. hom. 49.* Qui ſunt in Chriſtianitate conferant ſe ad Scripturas, quia nulla alia probatio poterit eſſe vere Chriſtianitatis quam Scripturæ diuinæ.

Baſilius in tract. de vera ac pia Fide.

Manifeſtiſſimum infidelitatis argumentum, ſignúmque ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum quæ ſcripta ſunt aliquid velit reiicere, aut eorum quæ non ſcripta ſunt aliquid introducere, cum Dominus noſter dicat: Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non ſequuntur. *Item.* Apoſtolus ſumpto ab hominibus exemplo (Galat. 3.) vehementiſſime interdicit ne quid eorum quæ in diuinis literis habentur, deleatur, aut (quod abſit) addatur. In moralib. reg. 26.

Quidquid vel dicimus, vel facimus, id teſtimonio diuinarum literarum confirmari debet. *Et reg. 80.* Si omne quod ex fide non eſt, peccatum eſt, fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei: ſine dubio, cum quicquid extra diuinam Scripturam ſit, ex fide non ſit, id peccatum eſt. *Et Epi. 80.* Stemus arbitratu inſpiratæ à Deo Scripturæ, & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis conſona, illis omnis veritatis adiudicetur ſententia. *Et in reg. breuior. interr. 1.* Eorum quæ apud nos in vſu ſunt, tam verborum quam rerum, alia diſtincte ſunt tradita in Scripturis, alia prætermiſſa. Scripta nullo modo omittenda ſunt: de iis autem quæ prætermiſſa ſunt, regulam habemus à Paulo traditam: omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.

Hieronymus in Michæam, lib. 1. cap. 1.

Eccleſia Chriſti in toto orbe Eccleſias poſſidés; ſpiritus vnitate coniuncta eſt, & habet vrbes Legis, Prophetarum, Euãgelii & Apoſtolorum. Non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt de Scripturis Sanctis. *Et in Agg. cap. 1.* Quæ abſque authoritate & teſtimoniis Scripturarum quaſi traditione Apoſtolica ſponte confugiunt, percutit gladius Dei. *Et in Mat cap. 23.* Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur.

Auguſtinus contra Maxim. lib. cap. 14.

Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præiudicaturus proferre Concilium: nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris Scripturarum authoritatibus: res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. *Et contra Creſconium, libr. 2.* Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt ad quem Prophetarum & Apoſtolorum libri pertinent, ſecundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium iudicemus. *Et contra Fauſtum Manich. lib. 2. cap. 5.* Dominus nihil credi voluit aduerſus confirmatam Scripturarum authoritatem. *Et de bap. contra Donatiſt. lib. 2.* Afferamus diuinam ſtateram de Scripturis ſanctis, & in illis quid ſit grauius appendamus.

Damaſcenus de orth. fid. lib. 4. cap. 18.

Vt arbor plantata ſecus decurſus aquarum, ſic anima irrigata diuina Scriptura maturum affert fructum, fidem orthodoxam. *Et lib. 1. cap. 1.* Cuncta quę tradita ſunt per legem, per Prophetas, per Euangeliſtas & Apoſtolos, ſuſcipimus, cognoſcimus, veneramur, nihil vltra illa perquirentes.

DE

DE IMAGINIBVS

CAP. DECIMVM TERTIVM.

ANTITHETON PRIMVM. IESVITÆ.

Circumferimus (inquiunt fol.55. & 68.) ſtatuas, exiſtimantes hinc ſanctis nonnihil honoris accedere. Non enim ſumus neſcij, quantum Ciceroni accreuerit ad Iouis puluinaria proceſſiſſe. Teſtamur, his ceremonijs nos inuocare ſanctorum præſidia, vt nobis apud Deum ſuis orationibus opem ferant. Lumina illis accendimus, vt qui dum viuerent, virtutibus fulſerunt, nobis quoque apud Deum precibus, verum fidei lumen & charitatis ignem impetrent.

Et fol.65. Hiſtorias imaginum honoro, & palam adoro.

Et fol.66. Concilium vult pari honore Chriſti imaginem, cum ſacris Euangeliorum libris adorandam eſſe. Hæc illi. Vide etiam opus catechiſticum Caniſij, fol.97.& 101.102.103.104.105. 106.107.

ANTITHETON PRIMVM. IESVS.

Deus ſuam Eccleſiam non mutis ſimulachris

ſed viua prædicatione ſui Verbi vult erudiri. Nulla ratione effingi debet aut poteſt ipſius maieſtas. Creaturas autem etſi exprimere quidem licet, vetat tamen Deus earum imagines fingi aut haberi, quo vel ipſas, vel deum, vel dei ſeruos per ipſas colamus, aut honoremus.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt ſub cœlo: non adorabis ea & nõ coles. Exod. 20.

Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael, Dominus Deus cum eo eſt. Nũ. 23.

Caue ne quãdo obliuiſcaris pacti Domini Dei tui, & facias tibi ſculptam ſimilitudinem. Deut. 4.

Non habebis Deos alienos in conſpectu meo. Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium, quæ in cœlo ſunt. Deut. 5.

Cap. 7. Aras eorum ſubuertite & confringite, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite, quia populus ſanctus es Domino.

Cap. 12. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentes Deos ſuos ſuper montes excelſos, & ſuper omne lignum frondoſum. Diſſipate aras eorum, & confringite ſtatuas, & idola comminuite, diſperdite nomina eorum de locis illis.

Cap. 13. Propheta conuertens & alliciens ad idola colenda, interficiatur.

Cap. 17. Adorans Deos alienos interficiatur.

Cap. 27. Maledictus qui facit ſculptile & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, po[illegible] [illegible], & [illegible] bit om[illegible]

Fecit Aſa rectum in conſpectu Domini, & abſtulit omnes effœminatos de terra, vniuerſas ſordes idolorum purgauit. Egreſſus eſt ſub Ezechia omnis populus,& fregerũt ſimulachra. Ioſias poſt pœnitentiam demolitus eſt omnia idola, quæ fecerat.2.Par.15. 3.Reg.15.Par.31.

Contriuit quoque omnia ſimulachra, & vniuerſa ſculptilia in regno.2.Par.34.

Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginẽ ponetis ei. Nunquid ſculptile conflabit faber,aut aurifex auro figurabit illud,&c.Eſa.40.

Et 42. Confundantur confuſione,qui confidunt in ſculptile. Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo,& laudem meam ſculptilibus.

Omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igni, & omnia idola eius peribunt in perditione.Mich.1.

C.5.In die illa perire faciam ſculptilia tua & ſtatuas de medio tui,& non adorabis vltra opus manuum tuarum.

Fugite à cultura idolorum.1.Cor.10.

Quis conſenſus templo Dei cum idolis?2.Cor.6.

Conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris.1.Theſ.1.

Cuſtodite vos à ſimulachris.1.Ioan.5.

Reprobat idololatriam Paulus.Act.15.

Et 21.Præcipit altaria idolorum ſubuerti.

Et eleuabitur Dominus ſolus in illa die,& idola penitus conterentur.Eſa.7.

In die illa abiiciet [illegible] la argenti ſui,& idola auri ſui, quæ fecer[illegible] manus veſtræ in peccatum.Eſa.31.

Non hoc ſciti[illegible] ſcortator, aut immundus,aut au[illegible] mulachrorum cultor, nõ habet hær[illegible] gno D[illegible] Eph.5. Col.3.

Manifeſta[illegible] hæc,adul[illegible],ſco[illegible] ulachro-

rum cultus,veneficium,immũditiæ, æmulationes, iræ,inuidiæ,ſectæ,cædes , ebrietates , comeſſationes, & his ſimilia,quod qui talia agunt,regni Dei hæredes non erunt. Gal.5.

Neque ſimulachrorum ſitis cultores, ſicut quidam illorum,quemadmodum ſcriptum eſt : ſedit populus,vt ederet & biberet , & ſurrexerunt ad ludendum. 1.Cor.10.

Si quis,cum frater appelletur , fuerit ſcortator, aut auarus,aut ſimulachrorum cultor , aut conuiciator,aut ebrioſus,aut rapax,cum eiuſmodi ne cibum quidem capiatis. 1.Cor.5.

Non vidiſtis áliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis,ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem,aut imaginem maſculi vel fœminæ, ſimilitudinem omnium iumentorum quæ ſunt ſuper terram vel auium ſub cœlo volantium ,atque reptilium quę mouentur in terra,ſiue piſcium quę ſub terra morantur in aquis:ne forte leuatis oculis ad cœlum,videas Solem & Lunã, omnia aſtra cœli,& errore deceptus adores ea & colas , quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cœlo ſunt. Deut.4.

Item: Caue nequando obliuiſcaris pacti Domini Dei tui,quod pepigit tecum,& facias tibi ſculptam ſimilitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit:quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt,Deus æmulator. Si genueritis filios ac nepotes,& morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam ſimilitudinem,patrãtes malum coram Domino Deo veſtro,vt eum ad iracundiam prouocetis , teſtes inuoco hodie cœlum & terram,cito perituros vos eſſe de terra, quam trãſito Iordane poſſeſſuri eſtis: non habitabitis in ea longo tempore,ſed delebit vos Dominus , atque diſper-

diſperget in omnes gentes,& remanebitis pauci in nationibus ad quas vos ducturus eſt DOMINUS, ibique ſeruietis diis qui hominum manu fabricati ſunt,ligno & lapidi, qui non vident, nec audiunt,nec comedunt,nec odorantur.

Ipſe diſſipauit excelſa ,& contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moſes,ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum, vocauitque nomen eius Nohuſtan.4.Regum 18.

Maledictus homo,qui facit ſculptile & conflatile,abominationem DOMINI, opus manuum artificum,ponetque illud in abſcondito : & reſpondebit omnis populus,& dicet,Amen. Deut.27.

Simulachra illorum ſunt argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent,& non loquuntur,oculos habent,ſed non vident, aures habent,ſed nō audiunt,nares habent, ſed non odorant,manus habent,ſed non palpant:pedes habēt, ſed non ambulant,non meditantur in gutture ſuo. Similes hominum ſunt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Pſal.115.

Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum non proderunt eis : ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident,neque intelligunt vt confundantur.Quis formauit Deum,& ſculptile conflauit ad nihil vtile?Ecce omnes participes eius confundētur:fabri enim ſunt ex hominibus. Conueniunt enim omnes ſtabunt & pauebunt, & confundētur ſimul.Faber ferrarius lima operatus eſt in prunis, &in malleis formauit illud,& operatus eſt in brachio fortitudinis ſuę.Eſuriet & deficiet,non bibet aquam,& laſceſſet. Artifex lignarius extendit normam,formauit illud in runcina, fecit illud in angularibus,& in circino tornauit illud,& fecit imaginem viri quaſi ſpecioſum hominem, habitātem

in domo. Succidit cedras, tulit ilicem, quercum quæ ſteterat inter ligna ſaltus. Plantauit pinum quam pluuia nutriuit, & facta eſt hominibus in focum. Sumpſit ex eis, & calefactus eſt & ſuccendit & coxit panes: De aliquo autem operatus eſt Deum, & adorauit: fecit ſculptile & curuatus eſt ante illud. Medium eius combuſſit igni, & de medio eius carnes coxit & comedit, coxit pulmentũ, & ſaturatus eſt & calefactus eſt, & dixit: Vah, calefactus ſum, vidi focum. Reliquum autem eius, Deũ fecit & ſculptile ſibi. Curuatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat, dicens: libera me, quia Deus meus es tu. Neſcierunt, neque intellexerũt. Obliti enim ſunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant in corde ſuo. Non recogitant in mente ſua neque cognoſcunt, neque ſentiunt, vt dicāt: Medietatem eius combuſſi igni, & coxi ſuper carbones eius panes, & coxi carnes & comedi, & de reliquo eius idolum faciam, ante truncum ligni procidam, pars eius cinis eſt. Cor inſpiciens adorabit illud, & non liberabit animam ſuam, neque dicet forte mendacium eſt in dextra mea. Eſa. 44.

Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis me, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? Qui confertis aurum de ſacculo & argentum in ſtatera ponderatis, conducentes artificem vt faciat Deum, & procidunt & adorant, portant illum in humeris geſtantes, & portantes in loco ſuo ſtabit, & de loco ſuo non mouebitur. Sed & cum clamauerint ad eum, non audiet, de tribulatione non ſaluabit eos. Mementote, & confundamini. Eſaiæ 46.

Quia lignum de ſaltu præcidit opus manus artificis in aſcia: argento & auro decorauit illud, clauis & malleis compegit, vt non diſſoluatur. In ſimilitudinem palmę fabricata ſunt & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent

Noli.

Nolite ergo timere ea,quia nec male poſſunt facere,nec bene. Hier.10.

Item. Doctrina vanitatis eorum lignum eſt, argentum inuolutum de Tharſis affertur, aurum de Ophir,opus artificis,& manus ærarij, hyacintus,& purpura indumentum eorum. *Ibidem item*: Confuſus eſt artifex omnis in ſculptili, quoniam falſum eſt quod conflauit, & non eſt ſpiritus in eis.Vana ſunt,& opus riſu dignum In tempore viſitationis ſuæ peribunt. *Ibidem.*

Et ca.51. Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia. Confuſus eſt omnis conflator in ſculptili:quia mẽdax eſt conflatio eius,nec eſt ſpiritus in eis: vana ſunt opera & riſu digna, in tempore viſitationis ſuæ peribunt.

PATRES.

Remigius in 96. Pſal.

Confundantur, qui gloriantur in ſimulachris ſuis &c.Quia non ſunt adoranda ſimulachra. Nec etiam angelus adorandus eſt.

Vide Origen lib. 7 contra Cels. fol. 788 789. Pag... Massoni annales fol. 119.120.

Claudius Epiſcopus Taurinenſis aduerſus Theodemirum Abbatem.

Si opera manuum Dei non ſunt adoranda & colenda,quanto magis opera manuũ hominum adoranda & colenda non ſunt prorſus,nec in honore eorum,quorum ſimilitudines eſſe dicuntur. *Et ſtatim in eadem Apologia.* Quid te ad falſas imagines humilias & inclinas?quid ad inepta ſimulachra,& figmenta terrena captiua corpus incuruas?rectum te Deus fecit,& cum cætera animalia prona & ad terram ſitu vergente depreſſa ſint,tibi ſublimis ſtatus & ad cœlũ atq; ad Dominũ vultus erectus eſt. Illuc intuere,illuc oculos tuos erige, in ſupernis Deum quære:vt carere inferis poſſis,ad alta & cœleſtia ſuſpenſum pectus attolle. *Et mox ait.*

Sed dicunt iſti falſæ religionis atque ſuperſtitionis cultores: nos ob retardationem Saluatoris noſtri Crucem pictam atque in eius honorem imaginatā colimus, veneramur, atque adoramus, &c. Contra quos reſpondendum eſt: quia ſi omne lignum ſchemate crucis factum volūt adorare, pro eo quod Chriſtus in cruce pependit, & alia multa illis conueniunt, quæ Chriſtus egit per carnem. Vix enim ſex horis in cruce pependit, & tamē nouem menſibus lunaribus & ſuper vndecim diebus in vtero virginis fuit, qui ſimul ſunt dies lunares ducenti ſeptuaginta ſex, id eſt, nouem menſes, & ſupra dies ſex. Adorētur ergo puellę virgines, quia virgo peperit Chriſtum. Adorentur & præſepia: quia mox natus in præſepio eſt reclinatus. Adorētur & veteres panni, quia continuo cum natus eſſet, pannis veteribus eſt inuolutus. Adorentur & naues: quia frequenter in nauibus nauigauit, & de nauicula turbas docuit, & in naui dormiuit, & in dextra nauigij rete mittere iuſſit, quando prępeditis illa magna captura facta eſt piſcium. Adorentur aſini: quia aſellum inſidendo ad Hieruſalem vſque peruenit. Lege plura in eodem Apolegetico contra imagines omnes, earumque cultus.

Amphilochus Iconij Epiſcopus.

Non enim nobis, inquit, Sanctorum corporales vultus in tabulis coloribus effigiare curę eſt. Quoniam his opus non habemus, ſed politiæ illorum virtutum memores eſſe debemus.

Clemens Papa lib. 5. de cultu imaginum.

Nos ad honorem inuiſibilis Dei imagines viſibiles adoramus. Quod certe falſum. Si enim velletis Dei imaginem colere, homini benefacientes, verā in eo Dei imaginē coleretis. *Et mox.* Quis ergo iſte honor Dei eſt, per lapideas & ligneas formas diſcurrere, & inanes atq; exanimes figuras tā-

quam

quam numina venerari:& hominem in quo vera Dei imago eſt,ſpernere.

Concilium Elibertinum antè 1270. annos, & Conſtantinopolitanum.

Damnauerunt imagines, Sanctorum reliquias, earumque cultus.

Epiphanius in Epiſtola ad Ioannem, Ieroſolymitanum Patriarcham.

Audiui,inquit,quoſdam murmurare cōtra me: quia quādo ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel,vt ibi collectum tecū ex more Eccleſiaſtico facerem , & veniſſem ad villam, quæ dicitur Anablatha,vidiſſemque ibi præteriés lucernam ardentem, & interrogaſſem quis locus eſſet,didiciſſemque eſſe Eccleſiam,& intraſſem vt orarem,inueni ibi velum pendens in foribus eiuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum,& habens imaginem quaſi Chriſti,vel Sancti cuiuſdam,non enim ſatis memini cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra authoritatem ſcripturarum, hominis pendere imaginem, ſcidi illud,& magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem loci,vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent:illique contra murmurantes dixerunt.Si ſcindere voluerat , iuſtum erat vt aliud daret velum atque mutaret.Quod cum audiſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum & illico me miſſurum. Paululum autem moratum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere.Arbitrabar enim de Cypro mihi mittendum eſſe. Nūc autem mitto quod reperire potui,& precor vt iubeas preſbytero eiuſdem loci ſuſcipere velum a latore,quod a nobis miſſum eſt:& deinceps præcipere in Eccleſia Chriſti eiuſmodi vela , quæ con-

tra Religionem noſtram veniunt, non appendi. *Idem contra Encratitas.* Eſtote memores dilecti Filii, ne in Eccleſiam imagines inferatis, neque in Sanctorum cœmiteriis eas ſtatuatis: ſed perpetuo circumferte Deum in cordibus veſtris. Quin etiam neque in domo communi tolerentur. Non enim fas eſt, Chriſtianum per oculos ſuſpenſum teneri, ſed per occupationem mentis.

Gregorius magnus lib. 9. Regiſtri, Epiſtola 9. ad Serenum Maſſiliæ Epiſcopum, qui imagines e templis ſuſtulit, & excuſſit.

Frangi, ait, non debuit, quod non adorādum in Eccleſiis, ſed ad docendum tantum fuit collocatum. Quin potius ita tuis dixiſſes: ſi hanc inſtructionem ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere vultis in Eccleſia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. *Et mox.* Vnde ſi quis imagines facere voluerit, minime prohibe. Adorare vero imagines, omnibus modis deuita.

Theodorus Ancyræ Epiſcopus.

Sanctorum, dixit, formas & ſpecies ex materialibus coloribus formari, minime decorum putamus: horum autem virtutes, quæ per ſcripta traditæ ſunt, veluti viuas quaſdam imagines reficere ſubinde oportet. Ex his enim ad ſimilium imitationem & zelum peruenire poſſumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt ſtatuas, quænam vtilitas ex illis ad ſe redit? an quod qualiſcunque recordatio eos habet, ex tali ſpeciali contemplatione? Sed manifeſtum eſt, quod vana ſit eiuſmodi cogitatio, & Diabolicæ deceptionis inuentum.

Synodus

Synodus 7. Conſtantinopol.

Damnauit & ipſas imagines, earumque cultus, ac eas e templis eiecit.

Concilium Carthaginenſe 5. anno Domini 438. celebratum.

Conſtituit, vt ſacella & aræ ſanctorum, vbi non eſſent eorum corpora, diruantur, ſi periculum non eſt a tumultu populi. Sin metuitur tumultus, vt ſaltem concionatores dehortentur populum illa loca frequentare. Sacella quoque & aras diuorum ob ſõnia ſimileſque reuelationes fabricata, omnino reprobat.

Lactantius lib. 2.

Quæ igitur amentia eſt, aut ea fingere, quæ ipſi poſtmodum timeant, aut timere quæ finxerint? Non ipſa, inquiunt, timemus: ſed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt. Nempe ideo timetis, quod eos eſſe in cœlis arbitramini: neque enim ſi dii ſunt aliter fieri poteſt. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? & aduocatis deorum nominibus in aperto ſacrificia celebratis? cur ad parietes & ligna & lapides potiſſimum, quam illo ſpectatis, vbi illos eſſe creditis? Quid ſibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipſa ſimulachra? quæ aut mortuorum aut abſentium monimenta ſunt? Nam omnium fingẽdarum ſimilitudinum ratio, idcirco ab hominibus inuenta eſt, vt poſſet eorũ memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentia fuerũt ſeparati. Deos igitur in quorum numero reponemus? ſi in mortuorum, quis tam ſtultus, vt colat? ſi in abſentium, colendi ergo non ſunt: ſi nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur.

Ibidem lib. 2. cap. 19.

Non eſt dubium, quin religio nulla ſit, vbicunque ſimulacrum eſt. Nam ſi religio ex diuinis rebus eſt, diuini autem nihil eſt, niſi in cœleſtibus rebus: carent ergo religione ſimulachra: quia nihil poteſt eſſe cœleſte in ea re, quæ ſit ex terra.

DE COELIBATV ET MATRIMONIO.

CAP. DECIMVM QVARTVM.

ANTITHETON PRIMVM.
IESVITÆ.

Matrimonij doctrina impudicitiæ ianua aperitur, ac animis libidinis faces adminiſtrantur. Fol. 71. Cenſ.

ANTITHETON PRIMVM.
IESVS.

Honorabile inter omnes coniugium & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus.

Teſtes

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Dixit quoque Dominus Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Formatis igitur Dominus de humo cunctis animātibus terræ,&vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius: Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia,& vniuerſa volatilia cœli,& omnes beſtias terræ. Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Immiſitque Dominus Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit vnum de Coſtis eius & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam, dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis,& caro de carne mea.

Inueniens vxorem, inuenit bonum, & hauriet voluptatem à Domino. Prouerb. 18.

Et cap. 19. Domus & diuitiæ hæreditate obueniunt à parentibus, a Domino autem prudens vxor.

Ab initio maſculum & fœminā fecit eos Deus. Matth. 19. Mar 10.

Et ibidem: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Non mœchaberis. Matth. 5.

Chriſtus, Maria & cæteri diſcipuli interſunt nuptiis, eaſque miraculo ornat Chriſtus. Ioan. 2.

Comparat regnum cœlorum nuptiali ac regali conuiuio. Matth. 22.

Amplectitur pueros,eoſque ad ſe iubet venire. Matt.18.Marc.10.

Etiam Chriſtus voluit in coniugio naſci.Nam Maria erat deſponſata Ioſepho & vocatur eius coniux. Matth.1.

Eccleſiæ ſeu piorum congregationem, nuptias appellat.Item Eccleſia ibidem vxor dicitur. Apocal.9.

Redigentur enim duo in carnem vnā. 1.Cor.6.

Ita viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua.Qui ſuam vxoré diligit,ſeipſum diligit.Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit & fouet eam,ſicut & Chriſtus Eccleſiam:quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius.Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Veruntamen & vos ſinguli, vnuſquiſque vxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: vxor autem timeat virum ſuum. Eph.5.

Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino.Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. Filii obedite parentibus per omnia.Hoc enim placidum eſt in Domino. Col.3.

De quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat. Vxori vir debitum reddat:ſimiliter autem & vxor viro.Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir, ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas

Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium. Volo autem omnes vos homines eſſe ſicut meipſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam vri. Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non remittat. 1. Cor. 7.

Et mox ait: De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Deo, vt ſim fidelis. Exiſtimo enim hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem: quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem: ſi autem acceperis vxorem non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tãquam non gaudẽtes, & qui emunt, tanquã non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt: ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt; vt ſit ſancta corpore

& ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi: quomodo placeat viro. Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico: non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat, ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: nō peccat, ſi nubat. Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ volūtatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit melius facit. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt a lege: cui autem vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

Spiritus autem manifeſte dicit: quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmonicorum, in hypocriſi loquentium mēdacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentiū nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus. 1. Tim. 4.

Honorabile eſt inter omnes coniugium & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Hebr. 13.

PATRES.

Nazianzenus oratione de funere Sororis.

Mens eſt, quæ nuptiis & virginitati recte dominatur,

natur,& tanquam materiam rationi opifici hæc adoptat & ad virtutem operatur. Carni enim conglutinari, nequaquam ſeparat à ſpiritu, neque ſi qua caput habet virum, ideo caput primum ignorat: ſed parumper Mundo miniſtrat & naturæ quátum lex exigit carnis: ſeu illi potius qui carni legem hanc tulit, DEO. *Et oratione in S. Lauacrum.* Si carni colligatus es, ne timeas ſanctificationem, etiam poſt nuptias purus eris. Non enim quia virginitas honorabilior eſt, ideo nuptiæ inter ignominioſa.

v. d. Origenem tractatu 24 in cap. 23 Matth. tomo 2. fol. 117

Ambroſius de Virginibus. lib. 1.

Nuptias ego vero ſuadeo, & eos damno, qui diſſuadere cenſuerunt: vtpote qui Saræ ac Rebeccæ ac Rachel: cæterarumque veterum coniugia fœminarum, pro documentis ſingularium virtutum recenſere ſoleam. Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & ductam per ſucceſſionem ſeriem, generis ſocietatem damnat humani.

Epiphanius lib. 2. Tomo. 1.

Sancta Eccleſia nuptias habet reuerendas & colit eas.

Hieronymus in cap. 4. ad Timoth.

Omnis qui nuptias damnat, nō amator, ſed inimicus eſt caſtitatis, dum & continentibus laudē tollit, & incontinentibus ſublato nuptiarum remedio, fornicationis facit inire diſcrimen.

Chryſoſt. Hom. 20. in Matth.

Primus gradus caſtitatis eſt ſyncera virginitas: ſecūdus autē, fidele coniugium. Ergo ſpecies ſecunda virginitatis eſt, Matrimonij caſta dilectio.

Auguſtinus de hæreſibus ad Quodvult-Deum. cap. 25.

Taciani à Taciano quodam, qui & Encratitæ appellati ſunt, nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliiſque corruptionibus fa

ciunt, nec recipiunt in ſuorum numerum cōiugio vtentem, ſiue marem,ſiue fœminam:non veſcuntur carnibus,eaſque omnes abominantur. *De Eccleſiaſti.dogmatibus,capite.6*7.Malas dicere nuptias, vel fornicationi comparandas aut ſtupro, cibos quoque credere malos vel malitias cauſare percipientibus,nō eſt Chriſtianorum ſed proprie Hierarchitarum & Manichæorum.

*Concilium Bracarenſe.cap.*11.*Tomo* 2. *Concil.p.*219.

Si quis coniugia humana damnat,& procreationem naſcentium perhorreſcit,ſicut Manichæus,& Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

*Damaſcenus lib.*4.*de Orthodoxa fide, capite* 25.

Bona quidem liberorum procreatio, quam nuptiæ cōſtituunt,& bonæ nuptiæ ob fornicationes, quas præſcindunt: rabiem concupiſcentiæ per legitimam commixtionem non ſinentes ad iniquos furere actus.Bonæ nuptiæ,quibus non adeſt, cōtinendi gratia:melior autem virginitas.

*Clemens Alexandrinus Stromat.*7.

Iam de iis,qui matrimonium abhorrent,dicit B. Paulus:in nouiſſimis diebus deficient quidam à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorū,prohibentium nubere,abſtinere à cibis.

*Auguſtinus in Ioannem,Tract.*9.

Quod Dominus inuitatus venerit ad nuptias(etiam excepta myſtica ſignificatione) confirmare voluit,quod ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apoſtolus,prohibentes nubere,& dicentes,quod malum eſſent nuptiæ,&c.*Et ſtatim.* Et qui bene eruditi ſunt in fide Catholica nouerunt quod Deus fecerit nuptias: & ſicut coniunctio (maris & fœminæ) à Deo, ita diuortium à

Diabolo

Diabolo fit. *Idem de dogmatibus Eccleſiaſtic. capite* 63. Bonę ſunt nuptiæ, ſed cauſa filiorum, & compellendæ fornicationis obtentu.

S. Ignatius in Epiſtola ad Philadelphenſes.

Si quis hæc quidem confitetur, corruptionem & coinquinationem vocat legitimam commixtionem (in Matrimonio) & liberorum procreationem, aut aliquam eſcam execrabilem putat, talis inhabitantem habet Draconem Apoſtatam. *Et poſt aliqua.* Mulieres vero, inquit, ſubditæ eſtote viris veſtris in timore Dei, virgines Chriſto in incorruptione, non execrantes nuptias.

II.

IESVITÆ.

Condemnant folio 76. legitimas nuptias illorum, qui cœlibatum vouerunt & continere non poſſunt, appellandas eſſe concitam fornicationem, adulteriũ, inceſtum, ſummum nefas ac ſacrilegium. Et fol. 77. eos, qui cœlibatum vouerunt & donum continentiæ non habent etſi contrahant, fœdis libidinibus & obſcœnis voluptatibus eos operam dare & inuolui ſcribunt. Vide etiam opus catechiſticum Caniſij, fol. 334.

II.

IESVS.

Honorabile eſt inter quoſuis coniugium, & cubile impollutum: ſcortatores autem & adulteros damnabit Deus

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Bonum eſt homini vxorem non tangere, tamen propter ſtupra vitanda, ſuam quiſque vxorem habeat, ſuum quæque maritum. 1.Cor.7.

De virginibus præceptum non habeo. 1.Cor.7.

Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Geneſ.7. Matth.19. Epheſ.5. 1.Cor.7.

An non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, quemadmodum & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas. 1.Corin.9.

Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: Faciamus ei adiutorium ſimile ſui. Gen.2.

Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuã vxorem habeat. Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: Quod ſi ſe non continent, nubãt: melius eſt enim nubere quam vri. 1.Cor.7.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi. Si quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Tit.1.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Hebr.13.

Spiritus autem manifeſte dicit, quod in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendẽtes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, cauteriatam habentium conſcientiam ſuam, prohibentium nubere, &c. 1.Timoth.4.

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrũ vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore. 1.Theſſ.4.

Dicunt diſcipuli: Si ita eſt cauſa hominis cum

vxore,non expedit nubere:qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud,ſed quibus datum eſt. Matth.19.

Socrus autem Petri tenebatur magnis febribus. Matth.8.

Philippus Euangeliſta habuit quatuor filias. Act.22.

Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe vnius vxoris virum,(ne plures habeat,quemadmodum Iudæis permiſſum erat)ſobrium, prudẽtem,pudicum,ornatum,hoſpitalem,doctorem, non vinolentum,non percuſſorem,ſed modeſtum. Non litigioſum,non cupidum lucri,ſuæ domui bene præpoſitum,filios habentem ſubditos cũ omni caſtitate. Si quis autem ſuæ domui neſcit præeſſe, quomodo Eccleſiæ Dei curam habebit? 1.Tim.3.

Et ſtatim ſubiungit: Diaconi ſint vnius vxoris viri,quæ ſuis filiis bene præſint & ſuis domibus.

PATRES.

*Synodus 6.& habetur diſtin.*31.

Quoniam in Romanis ordine rationis eſſe cognouimus traditum,eos qui ordinati ſunt Diaconi vel presbyteri,confiteri quod non ſuis iam compulentur vxoribus:nos antiquum ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ, & conſtitutiones ſacrorum virorum,legales nuptias à modo valere volumus,nullo modo cum vxoribus ſuis eorum connubia diſſoluentes,aut priuantes eas familiaritate adinuicem,in tempore opportuno.Quicunque ergo diligens inuentus fuerit ſubdiaconali ordinatione,aut diaconali,aut ſacerdotali,ei nullo modo prohibentur ad talem aſcendere gradum,pro vxoris ſuæ cohabitatione:nec etiam tempore ordinationis ſuæ profiteri caſtitatem cogantur, quod

abſtinere debeant à legalis vxoris familiaritate. *Sequitur*: Si quis igitur præſumpſerit contra Apoſtolicos canones, aliquos presbyterorum & diaconorum priuare à contactu & communione legalis vxoris ſuæ, deponatur. Similiter & presbyter ac diaconus, qui religionis cauſa vxorem expellit, excommunicetur. Si vero in hoc permanſerit, deponatur.

Diſtiu.31.ex Tripar.hiſtor.

Nicena Synodus volens corrigere hominũ vitá in Eccleſiis commorantium poſuit leges, quas canones vocamus: in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem vt epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, cum coniugibus, quas ante conſecrationem duxerant, non dormirent. Surgés autem Paphnutius confeſſor contradixit, honorabiles confeſſus nuptias, & caſtitatem dicens eſſe cum propria coniuge concubitum. Suaſit itaque concilio, ne talem ponerent legem: grauem eſſę aſſerens cauſam, quę aut ipſis aut eorum coniugalibus occaſio fornicationis exiſteret. Et hoc quidẽ Paphnutius (licet nuptiarum eſſet inexpertus) expoſuit. Synoduſque laudauit ſententiam eius, & nihil ex hac parte ſanciuit: ſed hoc in vniuſcuiuſque voluntate, non neceſſitate permiſit. *Diſtinct. 26. Qui ſine.* Qui ſine crimine vnius vxoris eſt vir, tenet ad legem ſacerdotij ſuſcipiendi. Qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, ſed prærogatiua exuitur ſacerdotis. *Diſtinct. 26. verba Auguſt.* Quidam nubentes poſt votum, aſſerunt adulteros eſſe: ego autem dico vobis, quod grauiter peccant qui tales diuidunt.

Conci. Gangrenſe diſt. 30. Si quis.

Si qui nuptias in accuſationem duxerit & mulierem fidelem ac religioſam cum viro ſuo dormientem, abominandam crediderit, aut etiam accuſandam

cuſandam tanquam non poſſe coniugatos in regnum Dei ingredi, anathema ſit. *Canon Apoſtolorum.* Si qui docuerit ſacerdotem, ſub obtentu religionis propriam vxorem contemnere, anathema ſit. *Concil. Gangren. diſtinct. 28.* Si quis diſcernit presbyterum coniugatum, tanquam occaſione nuptiarum offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abſtinet, anathema ſit. *Concil. Toletan. cap. 33. quæſt. 2. placuit.* Placuit, vt ſi quorumcunque clericorum vxores peccauerint, ne forte licentiam peccandi plus habeant, accipiant mariti earum hanc poteſtatem, præter necē, cuſtodiendi & ligandi in domo ſua ad ieiunia ſalutaria, &c. Loquitur de mulieribus adulteris. 12. *quæſt. 2. Epiſcopus.* Epiſcopus qui filios habet, de bonis quę relinquit, ab hęredibus eius indennitatibus Eccleſiæ conſulatur. *Diſtin. 37. Legant. verba Hieronymi.* Legant Epiſcopi & presbyteri, qui filios ſuos ſecularibus erudiunt literis, & faciunt illos comœdias legere, mimorúmque turpia ſcripta cantare, de Eccleſiaſticis ſumptibus forſitan eruditos. &c. 32. *qu. 1. Integritas. verba Ambroſii.* Integritas corporis expetenda à nobis eſt, quam ego pro conſilio ſuadeo, non pro imperio præcipio: Sola enim virginitas eſt, quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt, res magis voti, quam præcepti eſt. (Voti,) Gloſ. Magis liberæ voluntatis eſt, quam coactionis. *6. Synodus, & eſt diſtin. 28.* Presbyterum non legalibus nuptiis detentum, cathedram quidem habere, ſed ab officio abſtinere prę cipimus: ſufficit enim eiuſmodi indulgentia ei. Quia benedicere aliis, eum qui vulnera ſua debet curare, conſequens non eſt. Benedictio enim, ſanctificationis traditio eſt. Qui vero hanc nõ habet, propter delictum ignorantiæ quomodo aliis tradet? Non enim publicè, neque priuate benedicet,

nec corpus Domini diſpenſet alijs,nec alio modo miniſtret.Sed ei ſufficiet,quod præſidet,& imploret à Deo, vt dimittatur ei iniquitas ignorantiæ ſuæ. *Diſtinct.31.ca. Aliter.* Quod autem in ſexta Synodo,presbyter non legitimis nuptiis detentus, punitur,non legales nuptiæ ſed ſecundæ intelligédæ ſunt: à quibus auctoritate canonica ſacerdos quilibet debet eſſe immunis.*Synodus Ancyritana, diſtin.28.*Diaconi qui in ordinatione ſua dicunt ſe velle habere vxores,ſi poſtea ad nuptias venerint, non prohibentur à miniſterio.*Ibidem.* Patet quod nec diaconi, nec ſubdiaconi ſunt prohibendi à coniugio. *Diſtinct.28.ca.de Syracuſan.* Pelagius ordinat Epiſcopum in Syracuſana vrbe, habentem vxorem & liberos. Siue ergo preſbyter,ſiue diaconus, ſiue ſubdiaconus fuerit, apparet quod in præfatis ordinibus conſtituti, licite matrimonio vti poſſunt.

Cyprianus Epiſtol.11.

Poſtulas,quid nobis videatur de virginibus,quę cum ſemel ſtatum ſuum continenter & firmiter tenere decreuerint, detectæ ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus vnum diaconum eſſe dicis. Quam graues multorũ ruinas hinc fieri videmus, & per huiuſmodi illicitas & periculoſas coniunctiones corrumpi plurimas virgines,cum ſummo animi dolore conſpicimus.Quod ſi ex fide ſe Chriſto dicauerint,pudicæ & caſtæ ſine vlla fabula perſeuerẽt,ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autẽ perſeuerare nolunt,vel non poſſunt, melius eſt vt nubant,quam vt in ignem deliciis ſuis cadãt:certe, nullum fratribus,aut ſororibus ſcandalum faciãt

Impera. Conſtan. L. Omnis ad perangariam, C. de Epiſcopis & clericis.

Ad perangariam quoque præſtationem non vocentur

centur eorum facultates, atque ſubſtantiæ: Omnibus clericis huiuſmodi prærogatiua ſuccurrant, vt & coniugia clericorum, ac liberi, eorum quoque miniſteria, id eſt, mares pariter & fœminæ, eorumque etiam & filij & filiæ, immunes ſemper ab huiuſmodi muneribus perſeuerent.

Tripart. hiſtoria lib. 9. cap. 38.

In oriente cuncti ſpontanea voluntate, & non aliqua neceſsitate, etiã Epiſcopi abſtineant. Plurimi enim eorum etiam epiſcopatus tempore, ex legitima vxore liberos habuerunt.

Eccleſ. hiſ. lib. 4. cap. 24.

Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ſcribit ad Gnoſios epiſtolam, in qua deprecatur Epiſcopum Pinitum, ne fratribus neceſsitatem compulſæ caſtitatis indicet, in qua nonnullorum periclitetur infirmitas. Illius ſententiam complectitur Pinitus. *Lib. 3. cap. 30* Clemens ſane, cuius voces hic annotauimus, ſcribens aduerſum eos, qui nuptias ſpernunt, inter cætera hæc dicit: An ne & Apoſtolos improbant? Petrus enim ac Philippus & vxores habuerunt, & filias etiam nuptum dederunt. Sequitur, aiunt (inquit Clemẽs lib. 7. eiuſdem partis) beatum Petrum cum vidiſſet vxorem ſuã duci ad paſſionem, gauiſum eſſe electionis gratia, & regreſſionis ad propriam domum: & exclamaſſe ad eam, cum duceretur, ac proprio nomine compellantem, dixiſſe: O coniunx, memento Domini. Talia coniugia ſanctorum erant, tam perfecta fuit affectio beatorum. *lib. 5. cap. 24.* Philippus Euangeliſta apud Hierapolim dormiuit: ſed & duæ filiæ eius virgines ſenuerũt: & alia eius filia Spiritu ſancto repleta, apud Epheſum permanſit. *Lib. 10. cap. 5.* Spiridion Cyprius Epiſcopus, vir vnus ex ordi-

ne Prophetarum, filiam habuit Irenem nomine: quæ cum ei bene adminiſtraret, virgo defuncta eſt. *Lib.3.ca.29.* Nicolaus, vnus ex illis qui ordinatus erat cum Stephano, vxorem habuit & liberos, Sylueriꝰ Papa filius fuit Hormiſdę Epiſcopi, vixit circa annum Chriſti 534. Papa Deusdedit, filius fuit Stephani ſubdiaconi: vixit circa annum 623. Papa Theodorus filius fuit Theodori Epiſcopi Hieroſolymitani: vixit circa annũ Chriſti 634. Papa Adrianus II. filius fuit Talari Epiſcopi: vixit circa annum Chriſti 813. Papa Ioan. XV. filius fuit Leonis preſbyteri: vixit circa annũ Chriſti 984. Fœlix Papa III. fuit filius Fœlicis preſbyteri Romani: vixit anno 474. Hoſius Papa, fuit filius Stephani ſubdiaconi. Bonifacius Papa, fuit filius Iucundi preſbyteri. Agapitus papa, fuit filius Gordiani preſbyteri: anno 534. Siluerius papa fuit filius Silverij Romani Epiſcopi: anno 544. Gelaſius papa, fuit filius Valerii Epiſcopi: anno 484. Ioannes X. papa, fuit filius Sergii papæ: anno 924. *lib.5. cap.24.* Sed & ego omnium veſtrûm minimus Polycrates, ſecundum traditionem parentum meorum obſeruabo, eorum duntaxat quos ab initio ſecutus ſum. Septem namque ex parentibus meis per ordinem fuerunt Epiſcopi, ego octauus: qui omnes ita obſeruauerunt hunc diem.

Diſtinct.31.cap. Ante triennium.
Verba Gregorii.

Ante triennium omnium Eccleſiarum ſubdiaconi Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ eccleſiæ ſuis vxoribus nullatenus miſceātur, quod mihi durum atque incompetens videtur: vt qui vſum continentiæ non inuenit, neque caſtitatem promiſit,

promiſit, compellatur a ſua vxore ſeparari, atque per hoc (quod abit) in deterius cadat. Inde videtur mihi, vt a præſenti die epiſcopis omnibus dicatur, vt nullum facere ſubdiaconum præſumant, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit: quatenus & prætęrita mala, quæ propoſito mentis appetitu non fiunt, violenter non exigantur, & futura mala caute caueantur. Qui vero poſt eandem prohibitionem, quæ ante triennium facta eſt, continenter cum ſuis vxoribus vixerint, laudandi atque remunerandi ſunt, & vt in bono permaneant, exhortandi. Eos autem, qui poſt prohibitionem factam, a ſuis vxoribus continere voluerint, ad ſacrum ordinem nolumus promoueri: quia nullus debet ad altaris miniſterium accedere, niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.

Athanaſius in Epi. ad Dracontium.

Scribit ſe nouiſſe monachos & Epiſcopos coniuges, & liberorum patres.

Hieronymus in Epi. ad Demetriadem.

Diues, ait, quidam presbiter duas filias in virginali propoſito relinqueret, &c. *Idem lib. 1. aduerſus Iouinianum.* Quaſi non hodie quoque plurimi ſacerdotes habeant matrimonia: & Apoſtolus Epiſcopum deſcribat, vnius vxoris virum, habentem filios cum omni caſtitate.

Victor in Hiſtoria Vandalica, lib. 2.

Mulier quædam cum periculo in exilium pergens orthodoxa, dicit ſe filiam eſſe quondam Zurinanæ ciuitatis Epiſcopi.

Olympiodorus in 3.cap. Eccleſiaſt.

Tempus amplexandi propriam vxorem, quãdo tempus orationis nõ impediat, aliave honeſta neceſſitas. Tempus eſt, inquam, licetque id nobis facere, ne videlicet libidine ſuccenſos, callidus hoſtis ad adulterium nos prouocet. Tempus vero abſiſtendi a complexibus, vel propter orationes Deo fundendas, vel vt grauidæ vxori parcamus.

Theophylactus ad Tit.cap.1.

Adeo pretioſa res eſt matrimonium, vt poſſit cũ eo ad ſanctum thronum Epiſcopalemque ſedem aſcendere. Similia lege ad Timot.cap.3.

Clemens Alexandrinus Stromat.7.

An etiam reprobant Apoſtolos? Petrus enim & Philippus filios procrearunt. Philippus autem filias quoque ſuas viris tradidit. Et Paulus quidem certe non veretur in quadam Epiſtola ſuam appellare coniugem, quam non circumferebat, quod nõ magno ei eſſet opus miniſterio. Hæc etiam Euſebius recenſet.

Augu. in Quæſtionibus vtriuſque Teſta.

Et Zacharias ſacerdos vir iuſtus in ſenectute ſua Dei nutu genuit filium, quo nondum nato meruit prophetare. Qua ergo ratione accuſatur Coniugium quod minime obeſſe probatur? Et quis neget bonum dici debere, quod neminem lædit? Et vt hoc loco aliquid de Apoſtolis dicatur, quod ad robur pertinet cauſæ, certe S. Ioan. caſtimonię fuit cuſtos: condiſcipulus autem eius, id eſt, S. Petrus vxorem habuiſſe cognoſcitur: & primatum vt acciperet inter Apoſtolos non ei obſtitit generatio filiorum.

filiorum. Quomodo ergo condemnandum putatur,quod non impedit meritum? Hinc Apoſtolus eum,qui vxorem habet, ſi in cæteris ſeruet mandata, Sacerdotem fieri poſſe ac debere oſtendit. Quod ſi illici um eſſet,non poterat vtique peccatorem dicere debere ſacerdotem fieri. Et quid tam apertum?Eiuſdem enim Apoſtoli vox eſt dicentis. De virginibus autem imperium Domini non habeo.

De bono viduitatis,capite.10.

Qui dicunt à propoſito caſtitatis prohibentium nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acute ac diligenter conſiderare quid dicant: fallit eos quippe ſimilitudo veritatis.

Lege plura in præcedenti Antitheto.

S.Ignatius Epiſtola ad Philadelphenſes.

Non detraho reliquos Beatos, qui nuptiis copulati fuere,horum mentionem facio nunc.Opto enim dignus Deo inuentus ad veſtigia eorum inueniri in Regno.Sicut Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Ioſeph, & Eſaias & alii Prophetæ, ſicut Petrus & Paulus, & alii Apoſtoli nuptiis fuerunt aſſociati.

DE PVRGATORIO.

CAP. DECIMVM QVINTVM.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVITÆ.

Defendunt ignem purgatorium. Fol. 532. & in opere Catechiſtico Caniſij, fol.30.32.284. 285.288.289.

ANTITHETON PRIMVM.

IESVS.

Sanguis Ieſu Chriſti purgat credentes ab omni peccato: ita vt è mundo diſcedentes, in vitam & quietem æternam recipiantur.

Teſtes.

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui non crediderit condemnabitur. Mar. vltimo

Nihil damnationis habent qui Chriſto IESV ſunt inſiti, qui non iuxta carnem verſantur. Rom. 8

Nolo vos ignorare fratres, de iis qui obdormiunt, ne doleatis quemadmodum & cæteri non habentes ſpem. 1. Theſ. 4.

Operemini dum dies eſt, venit nox quando nemo

mo operari poteſt. Ioan.9.

Qui credit in eum,non iudicatur,qui non credit,iam iudicatus eſt. Ioan.3.

Sic Deus dilexit mundum,vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat,ſed habeat vitam æternam.Non enim miſit Deus filium ſuum,vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in me, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt,quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei. Ioan.3.

Amen,amen dico vobis,quod qui verbũ meum audit,& credit ei,qui miſit me, habet vitam æternam,& in iudicium non venit,ſed tranſit à morte ad vitam Ioan.5.

Beati mortui,qui in Domino moriuntur, &c. opera enim illorum ſequuntur illos. Apoc.14.

Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ.Mortuus eſt autem & diues,& ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius: & ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei,& mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham, Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos,non poſſint,neque inde huc tranſmeare.

Volo vt vbi ego ſum,ibi etiam illi ſint mecum, & videant gloriã meam,quã dediſti mihi.Ioan.17.

In domo PATRIS mei manſiones multæ ſunt. Vado paraturus vobis locum: & ſi abiero ad parandum vobis locum: iterum veniam &

aſſumam vos ad meipſum:vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Ioan.14.

Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Philip.1.

Confidimus autem, & magis probamus peregre abeſſe a corpore, & præſentes adeſſe apud Deum. 2.Corin.5.

Animæ interfectorum ſub altari quieſcunt. Apocal.6.

Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.Et dixit IESVS:Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo. Luc.23.

Spiritus autem reuertatur ad Deum qui dedit illum. Eccl.12.

PATRES.

Hierony.in Galat.cap.6.

Dum in pręſenti ſeculo ſumus,ſiue orationibus, ſiue conſiliis, nos inuicem coadiuuare poſſumus. Cum autem ante tribunal Chriſti venerimus,non Iob, non Daniel, nec Noe rogare poterunt pro quoquam:ſed vnuſquiſque onus ſuum portabit.

Chryſoſt.in hom.de diuite & Lazaro.

Nec putemus nobis,cum illuc venerimus, miſericordiam eſſe tribuendam, qui non agimus vt veniam mereamur accipere:etſi Abraham pro nobis roget,etſi Noe,etſi Iob,etſi Daniel. Dum igitur eſt tempus in manibus, plurimam nobis apud Deum fiduciam præparemus. *Idem in Hebr.cap.2.Homil.*4. Neque enim qui in præſenti vita non abluerit peccata, poſtea conſolationem aliquam inuenturus eſt.In inferno enim,ait, quis confitebitur tibi? Et merito. Hoc enim cuneorum tempus eſt,& conflictuum:illud vero coronarum, retributionum & præmiorum. *Idem in Galat.cap.6.*

Quemad-

Quemadmodum nō ſemper eſt in noſtra poteſtate facere ſementem, ita nec dare eleemoſynam. Quum enim hinc fuerimus abducti, etiam ſi milies velimus, nihil effecerimus. Teſtes huius rei nobis ſunt & virgines illæ, quæ quamlibet promptam haberent voluntatem, tamen quoniam abierunt non ferentes ſecum largam eleemoſynam, excluſæ ſunt à thalamo ſponſi. Teſtis eſt & diues ille, qui Lazarum deſpexerat: qui quoniam hoc deſtitutus auxilio & plorans, & ſupplicans vehementer, nec à Patriarcha, nec ab alio quopiam miſericordiam impetrauit, ſed citra veniam omnem manſit in perpetuo flammæ cruciatu.

Theophil. in Matth. cap. 25.

Fatuæ autem virgines ideo, quod tunc requirēt oleum, cum non ſit negotiādi tempus. Porro prudētes dicunt: Ne forte nō ſufficiat nobis & vobis. Virtus enim proximi mei vix ſufficiet illi ad defēſionem: tantum abeſt, vt & mihi. Ex ſuis enim quique operibus iuſtificabuntur, non proximorum. *Idem in Luc. cap. 16.* Vel tarde ſentiamus, quo feramur: & quod cum dies illa venerit, neque laborare poterimus. Non enim erit tunc operandi tempus, neque tunc honeſtum erit mendicare. Stultæ enim virgines dicuntur, quæ mendicant.

Grego. Nazianzenus in oration.

Præſens tempus eſt operationis, futurum vero retributionis.

Cyprianus contra Demetrianum.

Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ eſt, nullus ſatisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur: hic ſaluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Nec quiſquā aut peccatis retardetur, aut annis, quominus veniat ad conſequendam ſalutem. In iſto adhuc mūdo manenti pœnitentia nulla ſera eſt. Patet ad in-

dulgentiam aditus: & quærentibus atque intelligẽtibus veritatem, facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licet exitu, & vitæ temporalis occaſu, roges Deum qui vnus & verus eſt, confeſſionem & fidem eius agnitionis implores: venia confitenti datur, & credenti indulgentia ſalutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte trãſitur. *Idem ſerm. de mortalitate*. Qualem te inuenit Deus, cum vocat, talem pariter & iudicat. *Ibidem* Ad refrigerium iuſti vocantur, ad ſupplicium rapiuntur iniuſti: datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna.

Sic D. Augusti. Ep. 11. l. 6. Ep. 80. tome 2.

Auguſt. de def. Eccleſ. dogmatum

Poſt aſcenſionem Domini ad cœlos, omnium ſanctorum animæ cum Chriſto ſunt: & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt, expectantes reſurrectionem corporis ſui, vt ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipſo pariter immutentur: ſicut & peccatorum animæ in inferno ſub timore poſitæ, expectant reſurrectionem corporis ſui, vt cum ipſo ad pœnam detrudantur æternam. *Ad Heſychium Epiſt.* 80. In quo quenque inuenerit ſuus nouiſſimus dies, in hoc comprehendet mundi nouiſſimus dies. Quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo iudicabitur. *Idem in Iohan. Tractat.* 49. Vnuſquiſque cum cauſa ſua dormit, & cum cauſa ſua reſurget.

Heſychius in Leuit. lib. 6. cap. 19.

In futuro ſeculo iam non licet operari: ſed qui nunc operati ſunt, illic ad retributionem veniunt.

Augu. in lib. 5. Hypognoſt.

Primum enim fides catholica diuina autoritate regnum eſſe credit cœlorum, vnde nõ baptizatus excipitur. Secundum, gehennam: vbi omnis apoſtata, vel à Chriſti fide alienus, ſupplicia experiatur. Tertium penitus ignoramus, imo nec eſſe in Scri-

pturis

pturis ſanctis inuenimus. *Idem de ver. Apoſt Serm.* 18. Duæ quip e habitationes ſunt: vna in igne ęterno, altera in regno æterno.

Chryſoſt. Hom. 2. de Lazaro.

Para ad exitum opera tua, & appara te ad viam. Si quid cui rapuiſti, redde, & dicito iuxta Zachæũ: Do quadruplum, ſi quid rapui. Si cui factus es inimicus, reconciliare priuſquã veniatur ad iudiciũ. Omnia hic diſſolue, vt citra moleſtiam illud videas tribunal. Donec hic fuerimus, ſpes habemus præclaras: ſimulac vero diſceſſerimus illa; non eſt poſtea in nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere.

Ambroſius de bono mortis. cap. 2.

Dauid tanquam peregrinus ad illam ſanctorum communem omniũ patriam feſtinabat, petens pro huius commorationis inquinamento, remitti ſibi peccata, priuſquam diſcederet de vita. Qui enim hic nõ acceperit remiſſionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam ęternã non potuerit peruenire, quia vita æterna remiſſio peccatorum eſt. Ideoque dicit: Remitte mihi vt refrigerer, priuſquam eam, & amplius non ero.

Chryſoſt. in ſerm. de Euchar. in Encæn, &c.

Veniet enim hora, quando theatrum vitæ huius ſoluetur, & nullus poſtea certabit. Non eſt poſt huius vitæ finem negotiatio. Diſſoluto hoc theatro, coronas mereri non datur. Hoc tempus eſt pœnitentiæ, illud iudicij. Hoc agonum, illud coronarũ. Hoc laboris, illud relaxationis. Hoc erumnæ, illud retributionis. *Idem in Hebr. Homi. 4. cap. 2.* Dic mihi quid ſibi volunt (in funere) lampades iſtæ feſtiuæ? nonne ſicut athletas eos (defunctos) producimus? Quid etiam hymni? nonne vt Deum glorificemus, & ei gratias agamus. quod iam coronauit diſcedẽtem, quod iam à laboribus

liberatum de ſeruitute ducens, apud ſe habet? Nonne propter hoc pſalmi & hymni? Nonne propter hoc Pſalmodia? Omnia iſta gaudentium ſunt.

Cyprianus in Sermo. de mortalitate.

Nobis quoque ipſis minimis & externis quoties reuelatum eſt? quam frequenter atque manifeſte de Dei dignatione præceptum eſt vt conteſtarer aſſidue, & publice prædicarem, fratres noſtros non eſſe lugendos auerſione Dominica, de ſeculo liberatos? cum ſciam non eos amitti, ſed præmitti? recedentes præcedere, vt proficiſcentes & nauigantes deſiderari eos deberi, non plangi: nec accipiendas eſſe hic atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba iam ſumſerunt: occaſionem dandam non eſſe Gentibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus: & fidem, quam ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio reprobemus.

Auguſtinus Sermo 66.

In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas, poſt mortem nulla correctionis eſt licentia.

Gregorius in 7. cap. Iob. lib. 8. cap. 8.

Cum humani caſus tempore ſiue Sanctus ſiue malignus ſpiritus egredientem animam clauſtra carnis acceperit, in æternum ſecum ſine vlla permutatione retinebit, vt nec exaltata ad ſuppliciũ proruat, nec merſa æternis ſuppliciis vltra ad remedium ereptionis aſcendat.

Apologia Græcorum contra ignem purgatorium exhibita in Concilio Baſilienſi anno Domini 1431.

Defendit nullum eſſe Purgatorium, nec vlla ratione probari poſſe. Lege Apologeticum illud ſcriptum.

DE

DE ECCLE-SIA.

CAP. DECIMVM SEXTVM.

ANTITHETON PRIMVM. IESVITÆ.

Pontificum Romanorum perpetua ſucceſſio apertum indicium eſt Eccleſiæ Catholicæ, & fidei Apoſtolicæ. Fo.240. In opere catechiſtico Caniſij, fol.131.

ANTITHETON PRIMVM. IESVS.

Sincera verbi Dei prædicatio fideles ad Chriſtum caput vnicum Eccleſiæ adducens, legitimus vſus ſacramentorum, obedientia debita miniſterio in his quæ ad miniſterium propriè pertinent, ſunt certiſſima indicia Eccleſiæ Chriſtianæ & veræ Catholicæ & fidei Apoſtolicæ, quæ certis locis & perſonis non eſt alligata.

Teſt es,

PROPHETÆ, APOSTOLI, EVANGELISTÆ.

In CHRISTO IESV per Euangelium vos genui. 1.Cor.4.

Deſtinata voluntate genuit nos in ſermone veritatis, vt eſſemus primitiæ quædam ſuarum creaturarum. Iac.1.

Veluti viui lapides ædificamini, domus ſpiritua-

lis,ſacerdotium ſanctum,&c.1.Pet.2.

Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei,quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Act.20.

Fundamentũ aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitũ eſt,quod eſt Ieſus Chriſtus.1.Cor.3.

Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Col.1.

Manete in me,& ego in vobis:ſicut palmes nõ poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite,ſic nec vos,niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis,vos palmites,qui manſerit in me,& ego in eo, hic fert fructum multum,quia ſine me nihil poteſtis facere. Ioan.10.

Deus pater,dedit filium ſuum, IESVM CHRISTVM, caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Epheſ.1.

Chriſtus dilexit Eccleſiam,& ſemetipſum expoſuit pro ea,vt illam ſanctificaret,mundatam lauacro aquæ, per verbum,vt exhiberet eam ſibi ipſi glorioſam Eccleſiam,non habentem maculam aut rugam aut quicquam eiuſmodi,ſed vt eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Epheſ.5.

Eccleſia eſt corpus Chriſti,cuius Eccleſiæ factus Paulus miniſter. Coloſ.1.

Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Chriſtum in ipſum,ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. Epheſ.1.

Ibidẽ:Quemadmodum elegit nos in ipſo,antequam iacerentur fundamenta mundi, vt eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram illo,per charitatem qua prædeſtinauit nos,vt adoptaret in filios, per IESVM Chriſtum,in ſeſe,iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ,vt laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos reddidit nos per dilectum, per quem habemus redemptionem,per ſanguinem ipſius, remiſſio-

miſſionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ ſuæ.

Iam igitur non eſtis hoſpites & incolæ,ſed con ciues ſanctorum,& domeſtici Dei, ſuperſtructi ſu per fundamenta Apoſtolorum ac Prophetarum, ſummo angulari lapide ipſo IESV Chriſto in quacunque ſtructura coagmentatur,ea creſcit in tem plum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei per Spiritum. Eph.2.

Adoleſcamus in illum per omnia,qui eſt caput, nempe Chriſtus,in quo totum corpus ſi coagmẽtetur,& compingatur, per omnem commiſſuram ſubminiſtrationis iuxta actum,in mẽſuram,vniuſcuiuſque partis,incrementum corporis facit, in ædificationem ſui ipſius per charitatem. Epheſ.4.

Hæc ſcribo tibi ſperans fore,vt veniam ad te cito:quod ſi tardius venero ,vt noris, quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis columna & baſis veritatis. 1.Tim.3.

Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.Qui crediderit & baptiſatus fuerit,ſaluus erit:qui vero non crediderit,con demnabitur. Mar.13.

Digito monſtrat Ioannes vrbem ROMAM, olim Eccleſiæ ſedem, tandem in ANTICHRISTI ſeu meretricis Babylonicæ domicilium,& Dęmoniorum cloacam & colluuiem degeneraturam: ꝙ Spiritus ſanctus non indicaret: ſi ſciret ad vrbem Romam alligatam eſſe Eccleſiam. Confirmat doctrinam hãc & Paulus,qui ſæpe docet, Deum perſonarum non eſſe acceptorem. Apocal.17.

PATRES.

Chryſoſt. ſupra Matth. cap.7.

A fructibus eorum cognoſcetis eos.)Fructus enim hominis eſt confeſſio fidei, & opera conuerſatio ipſius. Si ergo videris hominem Chriſtianum,ſtatim conſidera,ſi confeſſio eius conueniat

cum ſcripturis, verus eſt Chriſtianus. Si autem non eſt quemadmodum Chriſtus mandauit, falſus eſt. Indicium Chriſtianitatis non ad nomen retulit, ſed ad confeſſionem: quia non ſolum nomen Chriſti Chriſtianum facit, ſed veritas: quia in nomine Chriſti multi ambulant, in veritate autem pauci. *Idem in Matt. Homil. 4.* Omnes enim ſpecies iuſtitiæ, quas habent ſerui Dei in veritate, poſſunt habere & ſerui diaboli in ſimilitudine. Habet enim diabolus mãſuetos & humiles, habet caſtos & eleemoſynarios & ieiunos, & omnem ſpeciem boni, quam creauit Deus ad ſalutem hominum. Ipſas ſpecies & diabolus introduxit ad ſeductionem, vt inter bonum & bonum ſimulatum confuſio fiat: vt ſimplices homines, qui boni veri & boni ſimulati differentiam intelligere caute non poſſint, dum quærunt bonos Dei viros, incurrant in ſeductiones diaboli. Solam autem charitatem ſancti Spiritus non poteſt immundus ſpiritus imitari. Omnis ergo ſpecies iuſtitiæ in impoſtoribus inuenitur: ſolam autem gratiam veræ charitatis ſibi ſoli ſeruauit Spiritus ſanctus: vt per nullius iuſtitiam & teſtimonium ſic agnoſcatur vbi eſt Spiritus ſanctus, quemadmodum per gratiam charitatis.

Lyra in Matth. 19.

Et portæ inferi non præualebunt, &c. A vera fide ſcilicet ſubuertendo. Ex quo patet, quod Eccleſia non conſiſtit in hominibus ratione poteſtatis, vel dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſecularis: quia multi principes & ſummi pontifices, & alij inferiores, inuenti ſunt apoſtataſſe a fide: propter quod Eccleſia conſiſtit in illis perſonis in quibus eſt notitia vera, & confeſſio fidei & veritatis.

Auguſtinus Serm. 99. de temp.

Sancta Eccleſia nos ſumus. Sed non ſic dico nos, quaſi Ecce qui hic ſumus, qui me modo auditis: ſed

quot-

quotqnot hic ſumus Chriſtiani fideles in hac Eccleſia,id eſt,in hac ciuitate, quotquot ſunt in iſta regione,quotquot ſunt trans mare,quotquot ſunt toto orbe terrarum. Quoniam a ſolis ortu vſque ad occaſum laudatur nomen Domini.Sic ſe habet Eccleſia catholica,mater noſtra.Magna eſt ſponſi, & ſingularis dignatio:meretricem inuenit,& virginem fecit.In fide virgo eſt,in carne paucas habet virgines ſanctimoniales:in fide omnes virgines debet habere,& fœminas & viros.

Chryſoſt.in Matth.Homil.49.

Qui in Iudæa ſunt,fugiant ad montes,id eſt,qui ſunt in Chriſtianitate,conferant ſe ad Scripturas. *Sequitur*:Et quare iubet in tempore omnes Chriſtianos conferre ſe ad ſcripturas.Quia in tempore hoc,ex quo obtinuit hæreſis Eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis:neque refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud volentium cognoſcere,fidei veritatem,niſi ſcripturæ diuinæ. Antea enim multis modis oſtendebatur,quæ eſſet Eccleſia Chriſti,& quæ gẽtilitas.Nunc autẽ nullo modo cognoſcitur,volentibus cognoſcere quę ſit vera. Eccleſia Chriſti,niſi tantũmodo per ſcripturas.Quare? Quia omnia hæc quæ ſũt proprie Chriſti,in veritate habet,& hæreſes illæ in ſchiſmate, ſimiliter Eccleſias,ſimiliter& ipſas ſcripturas diuinas,ſimiliter epiſcopos,cæteroſque ordines clericorum : ſimiliter baptiſmum , ſimiliter Euchariſtiam,& cætera omnia,denique ipſum Chriſtum. Volens ergo quis cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti,vnde cognoſcit in tanta confuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per ſcripturas?item ex moribus ipſis prius intelligebatur Eccleſia Chriſti , quando conuerſio Chriſtianorum , aut omnium , aut multorum , erat ſancta , quæ apud

impios non erat. Nunc autem aut tales, aut peiores facti ſunt Chriſtiani, quales ſunt hæretici aut gentiles. Adhuc autem & maiore continentia apud illos inuenitur, quamuis in ſchiſmate, quam apud Chriſtianos. Qui ergo vult cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti vnde cognoſcat, niſi tantummodo per ſcripturas? Sciens ergo Dominus tantam confuſionem rerum in nouiſſimis diebus eſſe futuram: ideo mandat, vt chriſtiani qui ſunt, in chriſtianitate volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem confugiant, niſi ad ſcripturas, alioqui ſi ad alias reſpexerint, ſcandalizabuntur, & peribunt non intelligentes quæ ſit vera Eccleſia.

Augu. ſer. de om. ſanct.

Catholica mater Eccleſia per totum orbem lõge lateque diffuſa, in ipſo capite Chriſto IESV edocta, contumelias crucis & mortem didicit nõ timere: magis magiſque roborata eſt non reſiſtendo, ſed perferendo.

Damaſcenus 3. ſentent. cap. 33.

In vniuerſam terram Euangelium prædicatum eſt non baliſtis & armis, aut bellis aduerſarios deuincẽs, ſed pauci, nudi, & pauperes, illiterati, verberati, mortificati, ſapientibus præualuerunt.

Hilarius contra Auxentium Arrianum.

Primum miſerari licet noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum opiniones præſentes congemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuẽdam Chriſti Eccleſiam ambitione ſeculari laboratur. Oro vos Epiſcopos (qui hoc vos eſſe creditis) quibus nã ſuffragiis ad prædicandum Euangelium Apoſtoli vſi ſunt, quibus adiuti

adiuti poteſtatibus Chriſtũ prædicauerunt? Genteſque fere omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? An ne aliquam ſibi aſſumerent ex palatio dignitatem: hymnum Deo in carcere inter catenas poſt flagella cantantes? Edictis ne regis Paulus, cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat? Nerone ſe, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorũ in nos odiis confeſſio diuinæ prædicationis efflоruit. Illi manu atque opere ſe alentes, inter cœnacula ſecretaque coeuntes, vicos, caſtella, genteſque fere omnes, terram mari contra ſenatus conſulta & regum edicta peragrantes, claues (credo) regni cœlorum non habebant? aut nõ manifeſta ſe tum Dei virtus contra odia humana porrexit? Cum tãto magis Chriſtus prædicaretur, quãto magis prędicari inhiberetur? At nunc proh dolor diuinam fidem ſuffragia commendant, inopſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Eccleſia, credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus eſt credita. Pendet ad dignationem communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore. Fugat ſacerdotes, quæ fugatis ſacerdotibus eſt propagata: diligique ſe gloriatur a mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet. Hæc de comparatione traditæ nobis olim Eccleſiæ, nũquam deperditæ re ipſa: Quæ in oculis omniũ eſt, atque ore clamabit.

Auguſtinus Tom. 2. Epiſto. 165.

In ſcripturis didicimus Chriſtum, in ſcripturis didicimus Eccleſiam, has ſcripturas communiter habemus. Quare non in eis & Chriſtum & Eccleſiam communiter retinemus? *Et Tom. 7. epiſtola contra epiſtolam Petiliani Donatiſtæ, cap. 2. 3. 4.*

Inter nos & Donatiſtas quæſtio eſt, vbi ſit Eccleſia. Quid ergo facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis capitis ſui, Domini noſtri IESV Chriſti? Puto quod in illius potius verbis quærere debemus, qui veritas eſt, & optime nouit corpus ſuum.

Hilarius in Pſal.51.

Eccleſia eſt Domus Dei, & omnes fidei Euangelicæ ſectatores.

Auguſtinus in Pſal.56.

Corpus autem eius eſt Eccleſia, non autem iſta, aut illa, ſed toto orbe diffuſa. Nec ea, quæ nunc eſt in hominibus, qui præſentem vitam agunt, ſed ad eam pertinentibus etiam iis, qui fuerũt ante nos, & iis qui futuri ſunt poſt nos, vſque in finem ſeculi. *Iterum Auguſt. in epiſt. Ioan Tract.* 10. Vbi remiſsio peccatorum, ibi Eccleſia eſt. Quomodo Eccleſia? Illi enim dictum eſt: Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ſolueris in te ra, ſoluta erunt in cælis. Quà diffunditur iſta remiſsio peccatorum? per omnes gentes, incipientes ab Hieruſalem.

Iſidorus lib.7. Etymolog. cap.9.

Petrus à Petra nomen accepit, hoc eſt, à Chriſto, ſuper quem fundata eſt Eccleſia. Non enim a Petro Petra, ſed Petrus a Petra nomẽ ſortitus eſt: ſicut non Chriſtus a Chriſtiano, ſed Chriſtianus a Chriſto vocatur. Ideoque ait Dominus: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: quia dixerat Petrus, Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Deinde, ei Dominus: Super hãc Petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam.

Petra

Petra enim erat Chriſtus:ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus.

Cyrillus lib.4.Dial.de eodem Chriſti dicto.

Petram,ait,opinor,per agnominationem aliud nihil quam inconcuſſam & firmiſſimam diſcipuli fidem vocauit,in qua Eccleſia Chriſti ita fundata & firmata eſſet,vt cum laberetur, & eſſet inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens.

Et Hilarius lib.2.6.de Trinitate.

Super hanc confeſſionis Petram Eccleſiæ ædificatio eſt:ſcilicet,Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Hæc Fides Eccleſiæ eſt fundamentum , per hanc fidem infirmę aduerſus eam ſunt portę inferorum.

Ambroſius lib.2.de Iacob.cap.7.

Ibi Eccleſia , in qua apparet Deus & loquitur cum ſeruis ſuis:ibi eripiuntur & abſconduntur ſimulachra gentium. Fides enim Eccleſiæ omnem obſeruantiam gentilitatis aboleuit.

Idem Beda 26.cap.Exod.

Bene autem baſes, Prophetæ & Apoſtoli ſunt. Super fundamentum enim Prophetarum & Apoſtolorum ſancti Doctores Eccleſiam collocant. *Et in 8.Pſal.* Præcepta diuinorum librorum ſunt fundamentum,& vniuerſalis Eccleſiæ, & ſingularum Eccleſiarum,quibus ipſæ roborantur & ſubſtentantur , velut ædificium à fundamento. *Item in 17.Pſal.* Per Apoſtolos expoſita ſunt ſcripta prophetarum quæ fundamentum Eccleſiæ fuerunt.

Haymo ſuper.44.Pſal.

Eccleſia ſuper Prophetarum & Apoſtolorum fidem fundatur. *Idem in 16.cap.Matth.* Petram ſeu fundamentũ,ſuper quod extructa ſit Eccleſia,

confeſſionem ſeu doctrinam Chriſti exponit. Ita enim ait: Quia enim cõfeſſus erat eum Dei filium Petrus, dixit, quod hæc confeſſio, quam confeſſus eſt, fundamentum erit futurum credentium, ita vt omnis homo extructurus fidei domum, hoc iacturus ſit fundamentum.

Auguſtinus de verbis Domini ſecundum Matthæum, Sermone 31.

Tu es Petrus, Simon quippe ante vocabatur. Hoc autem nomen ei, vt Petrus appellaretur à Domino impoſitum eſt, & hoc vt ea figura ſignificaret Eccleſiam. Quia enim Chriſtus Petra, Petrus populus Chriſtianus. Petra enim principale nomen eſt, ideo Petrus a Petra, non Petra a Petro, quomodo non a Chriſtiano Chriſtus, ſed Chriſtianus a Chriſto vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus & ſuper hanc Petram, quam confeſſus es, ſuper hanc Petram, quam cognouiſti dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui: ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, ſuper meipſum Filium Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te.

II.

IESVITÆ.

Penes Eccleſiam eſt, quædam etiam in ſacris literis expreſſa commutandi, auctoritas nonnulla inſtituendi par facultas. Ac proinde, non minor illi, quam expreſſo Dei verbo vindicanda eſt auctoritas. Hæc illi folio 240. Et in opere Catechiſtico Caniſii, fol. 153. 156. &c.

II.

IESVS.

Chriſtiana & vere Catholica Eccleſia nullam habet authoritatem commutandi quædam in Sacris literis expreſſa, aut facultatem condendi dogmata ad ſalutem neceſſaria: ſed vocem paſtoris Chriſti humiliter audit. Proinde ſolo Dei Verbo in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis expreſſo vindicanda eſt ad ſalutem credentium authoritas. Quæ vero inſtituit Eccleſia ad doctrinam & diſciplinam conſeruandam, eiuſmodi eſſe debent, vt a ſinceritate doctrinæ Legis & Euangelii minime recedant. Si ſecus accidit, paſtores tunc pſeudoprophetæ & impoſtores euadunt.

Teſtes

PROPHETÆ, APOSTOLI,

EVANGELISTÆ.

Omnis qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro prudenti. Matth. 7.

Euntes prædicate, appropinquauit regnum cœlorum. Matth. 10.

Qui in teram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructũ facit. Mat. 13.

Docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Matth. 28.

In omnes gẽtes oportet prædicari Euangelium. Marc. 13.

Prædicate Euangelium omni creaturæ. Marc. 16.

Mater mea, & frater, hi ſunt qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Luc. 11.

Prædicate pœnitentiam & remiſſionẽ peccato-

rum in nomine meo Luc.24.

Qui audit verba mea,& credit ei,qui miſit me, habet vitam æternam. Ioan.5.

Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis. Ioan.8.

Item. Qui ex Deo eſt,verba Dei audit.

Hic eſt Filius meus dilectus: in quo mihi bene complacui:Ipſum audite. Matth.17.

Et alias oues habeo,quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere & vocem meam audient. Ioan.10.

Item: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas,& ſequuntur me.

Si diligitis me,mandata mea ſeruate Ioan.14

Item: Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt,qui diligit me.

Item. Si quis diligit me , ſermonem meum ſeruabit,& pater meus diliget eum , & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.

Si manſeritis in me,& verba mea in vobis manſerint,quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Ioan.15.

Item. Si præcepta mea ſeruaueritis , manebitis in dilectione mea.

Item. Vos amici mei eſtis,ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.

Ego dedi eis ſermonem tuum. Ioan.17.

Item. Sanctifica eos in veritate tua:ſermo tuus eſt veritas

Item.Non pro eis rogo tantum , ſed pro omnibus qui credituri ſunt per verbum eorum in me.

Item: Notum eis feci nomen tuum,& notum faciam,vt dilectio qua dilexiſti me,in eis ſit, & ego in ipſis.

Omnis, qui eſt ex veritate,audit vocem meam. Ioan.8.

Eritis

Eritis mihi teſtes Hieroſolymis,& in Iudæa,Samariaque,denique vſque ad finem orbis terrarum. Act.1.

Habeo quod glorier,per CHRISTVM IESVM in his quæ ad Deũ pertinent.Nõ enim auſim loqui quicquam eorum,quę non effecit Chriſtus per me in obedientiam gentium verbo & facto per poten tiam ſignorum ac prodigiorum, per potentiam Spiritus Dei,vt ab Hieruſalem & circumiacentibus regionibus vſque ad Illiricum impleuerim Euangelium Chriſti. Rom.15.

Si quis loquitur,loquatur vt eloquia Dei.1.Pet.4.

Qui animas veſtras purificatis obediendo veritati per Spiritum. 1.Pet.1.

Qui ſeruat præcepta eius,in illo manet, & ipſe in eo. 1.Ioan.3.

Per hoc cognoſcite ſpiritum DEI. Omnis ſpiritus,qui confitetur Chriſtum carne veniſſe,ex Deo eſt. 1.Ioan.4.

Et rurſus:Nos ex Deo ſumus : qui nouit Deum audit nos:qui non eſt ex Deo non audit nos : per hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.

Et rurſus : Quiſquis confeſſus fuerit quod Ieſus ſit filius Dei,Deus in eo manet,& ipſe in Deo.

Qui manet in doctrina Chriſti,hic & patrem & filium habet. 2.Ioan.

Tenes nomen meum & non negaſti fidem meam. Apoc.2.

Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam,introibo ad illum. Apoc.3.

Ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & ſermonem teſtimonij ſui. Apoc.12.

Nos accepimus ſpiritum qui ex DEO eſt,vt ſciamus, quæ à Chriſto donata ſint nobis, quæ & loquimur,&c. 1.Cor.2.

Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt IESVS CHRISTVS. 1.Cor.3.

Notum vobis faciam Euangelium, quod euangelizaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalutem conſequimini. 1.Cor.5.

Poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. 2.Cor.5.

Quicunque iuxta regulam hanc incedunt, pax ſuper eos, & miſericordia. Gal.6.

Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Epheſ.2.

Accipite gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei. Epheſ.6.

Inter quos lucete tanquam luminaria in mundo ſermonem vitæ ſuſtinentes. Phil.2.

Sermo Chriſti inhabitet in vobis opulenter. Coloſſ.3.

Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aſpernemini. 1.The.5.

Eccleſia columna veritatis dicitur, eo quod cuſtos eſt veræ & ſynceræ doctrinæ à DEO patefactæ. 1.Timoth.3.

Recipite inſitum ſermonem, qui poteſt ſaluas facere animas veſtras. Iac.1.

Si nos, aut Angelus de cœlo, prædicauerit vobis Euangelium, præter id, quod prædicauimus vobis, anathema ſit. Gal.1.

Nolite cuiuis ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus num ex DEO ſint. 1.Ioan.4.

Omnia probate, quod bonum eſt tenete. 1.Theſſ.4.

PATRES.

Auguſtinus in Epiſtola ad Fortunatum. Epiſtola 165.

Neque

Neque quorundam (inquit) diſputationes, quamuis catholicorum, & laudatorum hominum velut ſcripturas Canonicas habere debemus, vt talibus non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorũ ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi forte inuenirem, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.

Hieronymus ad Theoph.

Aliter habeo Apoſtolos aliter reliquos ſcripturæ tractatores. Illos ſcio ſemper vera dicere: iſtos vt homines in quibuſdam errare. *Idem ad Tranquilinum.* Ego Origenem & nonnullos Eccleſiaſticos ſcriptores, Græcos pariter & Latinos ſic legẽdos eſſe arbitror, vt bona eorum eligamus, vitemuſque contraria, iuxta Apoſtoli dictum, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et in epiſtolam ad Galat. Spiritus ſancti doctrina eſt, quę Canonicis prodita eſt literis: contra quam, ſi quid ſtatuant Concilia, nefas duco.

Auguſtinus contra Fauſtum libro 33, *capite*.9.

Si Scripturarum autoritatem omnibus præferendam ſequi vultis, eam ſequamini, quæ ab ipſius præſentiæ Chriſti temporibus, per diſpenſationes Apoſtolorum, & cęteras ab eorum ſedibus ſucceſſiones Epiſcoporum vſque ad hæc tempora toto terrarum orbi cuſtodita, commendata, & clarificata peruenit. *Contra eundem, lib*.32.*cap*.19. Cur non Euangelicæ authoritati, tam fundatæ, tam ſtabilitæ, tanta gloria diffamatæ, atque ab Apoſtolorum temporibus vſque ad noſtra tempora per ſucceſſiones certiſſimas commendatæ, te non ſubdis vt credas & viuas? *In Epiſtola* 113.*ad Paulinam.* Neque

enim mihi ſic credis, quemadmodum Ambroſio, de cuius libris tanta illa teſtimonia poſui, aut ſi Ambroſius nobis æqua lance putat eſſe credendũ, nunquid vllo modo Euangelio nos comparabis, aut ſcripta noſtra ſcripturis canonicis coæquabis? Profectò ſi rectè in diiudicando ſapis, longe nos infra vides ab illa autoritate diſtare. Et me quidẽ longius; ſed vtrique noſtrum, quantumlibet credas, vtrumque illi excellentię nequaquam comparas. Diuinis etenim ſcripturis, etiam nondum perſpicue intellectis, credendum eſſe non dubitas. *Item*: Nolo authoritatem meam ſequaris, vt ideo tibi putes aliquid neceſſe eſſe credere, quoniam à me dicitur: ſed aut Scripturis Canonicis credas, ſi quid nondum quod verum ſit vides, aut verius demonſtranti veritati, vt hoc plane videas. *Et in Pſalmum 66.* Si ego dico, nemo audiat: ſi Chriſtus dicit, væ qui non audit. *Et de vnitate Eccleſiæ 3.* Non audiamus hæc dico, hæc dicit: ſed audiamus, hæc dicit Dominus.

Baſilius de inſtitutis Monachorum 3.

Miniſter Chriſti, & diſpenſator myſteriorum Dei, timens erit, ne præter voluntatem Dei, vel præter quod in ſcripturis ſanctis euidenter præcipitur, vel dicat aliquid, vel imperet, ne inueniatur tanquam falſus teſtis Dei, aut ſacrilegus, vel introducens alienam à Dei doctrina, vel certe ſubrelinquens & præteriens eorum, quæ Deo placita ſunt.

Cyrillus in Leuiticum, lib. 9.

Pontifex illa doceat, quæ ipſe à Deo didicerit: non ex proprio corde vel humano ſenſu, ſed quæ ſpiritus docet.

Tertullianus de præſcriptio.
Hæreticorum.

Nobis non licet noſtro arbitrio indulgere, ſed nec

nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus autores, qui nec, ipſi quicquam de ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceperunt à Chriſto doctrinam, quã fideliter nationibus aſſignarunt.

Chryſoſtomus in Epiſtolam ad Titum, Homilia 1.

Publice prædicamus ea ratione, vt nihil addamus, ſed ea tantum quæ audiuimus. Et quippe virtus præconis eſt, veraciter, quæ ſibi credita ſunt, omnia proſequi, non aliquid vel addere, aut immutare, aut auferre. *Idem in Matt.*29. Quia in Eccleſiis Chriſti frequenter exeunt ſeductores, propterea nullis omnino credendum eſt, niſi ea dicant vel faciant, quæ conuenientia ſunt ſcripturis.

*Origenes in Epiſtolam ad Rom. ca.*3.

Paulus de ſcripturis affirmat, quod dixerat Doctoribus Eccleſiæ præbens exemplum, vt ea quæ loquuntur ad populum, non propriis præſumpta ſententiis, ſed diuinis munita teſtimoniis proferant, non ſuas ſed Spiritus ſancti ſententias ſonet.

Auguſtinus contra Epiſtolam Petiliani, cap. 15.

Tenent enim Eccleſiæ Apoſtolico labore fundatæ, cum quanta cura ſibi prædictum ſit. Galát.1. Si quis vobis euangelizauerit, præter quam quod in ſcripturis legalibus & Euangelicis accepiſtis, anathema ſit. Perpetuo igitur, doctori aliorum, & magna diligentia, cauendum eſt, ne quod verbum temere illi excidat, quod fidem aut conſcientiam lædere poſſit, ne quid doceat alienum à doctrina Euangelij.

*Origenes in Hiere: Homi.*1.

Neceſſe eſt nobis Scripturas ſanctas in teſtimonium vocare: senſus quippe noſtri & enarrationes, ſine his teſtibus, non habent fidem.

Hieronymus in Matth.23.

Quod ſine autoritate ſcripturæ dicitur, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur.

Auguſtinus de nup. & cõcup. libro 2. capite 23.

Iſta controuerſia Iudicem quærit. Iudicet ergo Chriſtus, & cui rei mors eius profecerit, ipſe dicat. Hic eſt, inquit, ſanguis meus. *Idem contra Maxi. Arianor. Epiſcop. lib.3. cap.14.* Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præiudicaturus, proferre cõcilium: nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris: ſcripturarum autoritatibus, non quorumcumque propriis, ſed vtriſq; cõmunibus teſtibus res cũ re, cauſa cũ cauſa, ratio cũ ratione certet. *In prœm. lib.3. de Trinit.* Noli meis literis, quaſi Canonicis ſcripturis inſeruire: ſed in illis, & quod non credebas, cũ inueneris, incunctanter crede. In illis autẽ, quod certũ habebas, niſi certum intellexeris noli firme tenere. *Et ad Vincentium, lib.2.* Negare non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis maioribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio & nulla temeritate culpari. *Et rurſus in Epiſt. ad Hieron.* Alios (præter Canonicos Scriptores) autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, quantâue doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt ſed quia mihi per alios autores, vel per Canonicas vel probabiles rationes, quæ à vero non abhorreant, perſuadere potuerunt. *Et ſermone 119. de tempore.* Si quis aliquas ſcripturas præter eas, quas Catholica Eccleſia recepit, vel auctoritatem habendas eſſe crediderit, vel fuerit veneratus, anathema ſit.

ACA-

ACADEMIAE NEMAVSENSIS BREVIS ET MODESTA RESPONSIO,

Ad Profeſſorum Turnoniorum ſocietatis, vt aiunt, Ieſu aſſertiones, quas Theologicas & Philoſophicas appellant.

HIC grauiſsimæ quæſtiones, *De Verbi & Eccleſiæ Dei autoritate: De Imaginibus: De vera Chriſti præſentia, & communicatione in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento*, ex Verbo Dei & Catholicæ Eccleſiæ conſenſu breuiter & perſpicuè tractantur.

ACADEMIÆ NEMAVSENSIS BREVIS ET modeſta Reſponſio.

Ad profeſſorum Turnoniorum ſocietatis (vt aiunt) Ieſu aſſertiones, quas Theologicas & Philoſophicas appellant.

SVPERIORIBVS diebus, Profeſſores Turnonij, veſtræ quędam Theſes, quas aſſertiones theologicas & philoſophicas vocatis, veſtra, vt planè conſtat, opera atque induſtria, ad Academiam noſtram fuerunt delatæ. Cuiuſdam enim veſtrûm manu additus verſiculus, eas Nemauſi promulgandas eſſe ſignificabat: & is à quo nobis redditæ ſunt, ſe hoc à Rectore veſtro mandati habuiſſe affirmabat. Id à vobis compoſitò fuiſſe adornatum, oculati & prudentes viri continuò perſpexerunt. Prouocari nimirum noſtram à veſtra Academiam, id eſt à Cardinalitia Regiam, pugnæ ſigno paucis ante deſtinatum diſputationi diem horis tantùm dato, vt prouocata quidem à vobis illa, deſertæ tamen ſtationis rea eſſe intelligeretur: ob eámque rem tam fœdo parui profligatique animi argumento (quippe quæ ne conſpectum quidem veſtrum ſuſtinere auſa eſſet) vos parta ſcilicet victoria, de illa triumpharetis. At quum è picturatis illis ſtemmatis quę in aſſertionum illarum frontiſpicio, tanquam doctrinæ veſtrę demonſtrationes atque emblemata apparere voluiſtis, ad rem ipſam ventum eſt, id eſt perlecta præfatio veſtra, perlectæ aſſertiones illæ: tum verò repens ille terror qui in fortiſſimorum quorumque animos incognito hoſte ſolet cadere, ſic confeſtim euanuit,

nuit, vt in ſummam admirationem ſit conuerſus, qui fiat vt ex tantillis copiis tam facilè huius eruditi ſæculi hominibus imponatis. Hìc verò Pœni Hannibalis qui fallendo hoſti, alligatis ad boum cornua facibus, intempeſtæ noctis caligine abutens Romanum eluſit, repetita memoria eſt: eiúſque ludicri quod Maiorum noſtrorum temporibus eueniſſe refert Cominæus, Lodoico XI. Rege: quũ hoſtem prope in armis eſſe nuntiaretur, pro haſtis oblongiores carduos compertos fuiſſe. Itaque illi Academiæ noſtræ cuſtodes, primùm in ea erant ſententia, vt exiſtimarent meliorem mentem vobis precando hanc vnam vobis machinam opponendam; patientiam atque ſilentium: qua vna litura futurum eſſet vt famoſi illi veſtri libelli delerentur, & fumi in auras euaneſcerent. Hoc etiam efflagitare optatiſſimum hoc pacis tempus, quo tanquam poſt longam ſitim nunc auidè fruimur: & quidem ita vt ad omnem diſſidii rumuſculum totis animis perhorreſcamus. Satis etiam ſupérque eſſe nobis negotiorum domi, quibus bonas horas ad Patriæ Eccleſiæque vtilitatem, conſecraremus. Re tamen vltrò citróque agitata atque expenſa, non conſentaneum modò, ſed & planè neceſſarium eſt viſum veritati nullo noſtro merito per noſtra latera prouocatæ vti ne deeſſemus, quantùm quidem in nobis ſitum eſſet: quandoquidem vt illius palam docendæ, ita eiuſdem à calumniis conuitiíſque aſſerendæ atque vindicandæ Reg. Edictum tribuat nobis facultatem. Neque verò æquum erat ſilentium noſtrum Veritati eſſe fraudi, & veſtram illam Societatem quam per vniuerſum terrarum orbem longè latéque victricem eſſe prædicatis, nullò ſanguine, nec viſo quidem hoſté, in hac Occitania miniſterio veſtro triumphare. Quòd ſi bellum aduerſus Veritatem tan-

topere vobis arridet, vt eam vltrò laceſſere inſtitueritis, iuſti certaminis occaſio à vobis naſcatur: ac proinde Veritas aduerſus mendacium, ſolida germanáque Eruditio aduerſus cothurnatam Ignorantiam, id eſt vera Theologia veráque Philoſophia aduerſus Sophiſticam, iuſto Marte in poſterum congrediatur. Nobis autem, Profeſſores Turnonii, in hac reſpondendi quam nobis vltrò impoſuiſtis neceſſitate, inſtitutum plane eſt ita vobiſcum agere, vt quid nam in vobis deſideremus, verè, candidè, ſimpliciter, perſpicuè, modeſtè, nullo denique contradicendi ſtudio, ſed vnius veritatis illuſtrandæ gratia tantùm exponamus: non calumnias calumnijs, non nugas nugis, ſed veræ ſeriæque rationis momenta, ſolidum germanúmque Veritatis examen, ac certum publicæ vtilitatis promouendæ amorem vobis opponamus. Neque enim in Eccleſia Dei (quæ veritatis & modeſtiæ ſchola eſt) didicimus aut calumniari aut conuiciari. Hæc à vobis prouocati reſpondemus. Tota autem hæc oratio noſtra omnem aut importunè diſputandi, aut contentioſè rixandi inuidiam apud omnes æquos ſobrióſque iudices (vt ſperamus) à nobis amolietur, eámque in famoſorũ libellorum autores meritò deriuabit. Hæc veſtra ſunt verba.

Aſſertiones Theologicæ & Philoſophicæ.

Nos contrà, illas & Theologicas & Philoſophicas eſſe pernegamus: quantumuis verò humaniorum literarum elegãtiam commodúmque docendi ordinem proprio quodam iure vobis vendice-

dicetis, ineruditas quoque eſſe atque inſcitas eſſe dicimus, ideſt ἀθεολόγους, ἀφιλοσόφους, ἀπαιδεύτους: atque adeò in rebus, in tota docendi ratione, ipſóque ſciendi modo, in verbis etiam ipſis vos hic peccare affirmamus. An rectè, index præſtò eſt. Hic verò ſcriptionis iſtius fuerit ſtatus, hic finis, hic cardo. Pij, eruditi, ſobrii lectores iudicanto.

DE REBVS igitur ipſis primùm omnium (vti conſentaneum eſt) dicamus, ex quarum demonſtratione in ipſo etiam orationis noſtræ veſtibulo, conſtet quænam ſit illa veſtra ſiue Theologia ſiue Philoſophia, quam tantopere venditatis. Quàm neceſſe ſit pacem concordiámque in hoc ciuilibus diſſidiis lacero diſſipatóque Regno tandem aliquando firmari, ecquis non animaduertat? Ex omnibus verò vniuerſi Regni prouinciis hæc Occitania pace cum primis indiget. Omnium certè animos ita comparatos eſſe videmus, vt pacem trãquillitatémque publicam percupiant, Regiorúmque Edictorum autoritatem, cuius finibus atque cancellis omnium ordinum homines officia ſua, priuatas publicáſque actiones circumſcribant atque terminent, ciuili concordię inſtaurandæ atque retinendæ certam efficacémque rationem eſſe arbitrentur. In hoc communi omnium voto, quanta ſit huius Ciuitatis voluntas, fides & diligentia ad pacem conſeruandam, ii norunt qui illius ſtatum norunt. Non temerè autem verborum pugnas damnauit ſanctus Apoſtolus, tanquam fomites diſſidiorum. Num verò ferendi illi ſunt qui præpoſteræ cupiditatis œſtro perciti, Regiæ Maieſtatis ſacratiſſimarúmque legum (quantum in ipſis eſt) autoritatem auſint violare, & iniectis in hominum animos odio-

rum fomitibus, inciuilis diſcordiæ incendium moliantur, non ſeditioſarum tantùm concionum facibus, virorum, ſed in puluere quoque ſcholaſtico iuuentutis animos exquiſitis probrorum contumeliarúmque commentis inflammantes? Neque verò illud poteſtis aut debetis ignorare, Turnonij Profeſſores, diſertis Regiorum Edictorum verbis cautum eſſe, nequis inuidioſa factionum vocabula in priuatis etiam colloquiis vſurparet. Vos igitur deteſtanda probra per famoſos libellos typis expreſſos, & in compitis Vrbium affixos per calumniam iactare audetis? Nos enim in Theologicis illis theſibus (quæ veſtra eſt charitas & modeſtia) Hæreticos, Sicarios, Perditos, Pietatis hoſtes appellatis: Theodorum Bezam, Anteſignanum hæreticorum. Si quid in noſtra doctrina quam Apoſtolicam & Catholicam eſſe credimus & affirmamus, deſideratis, & nos in errore verſari arbitramini, errorem, agè, docete, demonſtrate: & eo quidem ſpiritu qui Veritatem decet, id eſt lenitatis & modeſtiæ. Vtri ſint Hæretici, vôſne an nos, tum demum appareret, ſi inſtituta coram æquis iudicibus legitimo modo diſputatione, in aciem prodiremus, ſemotíſque factionum præiudiciis & nominibus, nos Chriſtanos eſſe memores, Chriſtianæ religionis veritatem ex Chriſti verbo, cõmuni promouendæ ſalutis ſtudio quæreremus. Nihil facilius eſt quàm maledicere: neq; Veritas aut maledictis illuſtratur aut obſcuratur. Si probra probris opponẽda eſſent, id eſt ſi vos ſacro Ieſu nomine ad nouæ factionis nomẽ abutẽtes, non Ieſuitas, ſed Ieſumagiſtas, Ieſuzuvvidetos, id eſt, Chriſti hoſtes, Vomicas ſiue carcinomata generis humani, Pſeudoprophetas, Balamitas, vltimos Antichriſti crepitus, Bello-

rum

rum tubas & faces,Sophiſtas, Corruptores iuuentutis, Circulatores,quã plurimíſque aliis nominibus, quibus vulgò inſignimini, appellaremus: his ne appellationibus cauſam noſtram aut veriorem aut veriſimiliorem apud æquos iudices efficeremus? Veſtríſne etiam conuitiis & maledictis,Ieſuitæ, vos aut meliores eſtis,aut veſtra melior & verior doctrina?num noſtra deterior & incertior, nos autem deteriores? E reipſa conſtabit quo nomine vtrique noſtrûm ſimus digni: neque ſi verè, candidè & liberè loquimur, & ſcapham ſcapham appellamus, idcirco efficietis vti conuitia vobis regeramus. Neque verò Beza, quem Anteſignanum hæreticorum appellatis, aut deſinet eſſe fidelis Dei ſeruus:aut, vt ex ſe odium inuidiámque horum criminum in vos deriuet,Iambos aduerſus vos ſtringet,aut στηλιτευτικοῖς λόγοις nomina veſtra, vt facillimè poſſet, proſcindet: etiamſi nonnulli veſtrûm, obſcuri & nullius nominis homines, eâdem quærendi nominis ægritudine qua Eratoſtratus qui Dianæ Epheſinæ templum combuſſit, laborarent: vt ſummi cuiuſdam viri (qualem Bezam vniuerſus terrarũ orbis, vel ipſa teſte calumnia,agnoſcit) diris & deteſtationibus nomina ſua illuſtrari vellent. Neque Caluini,optimi Dei ſerui manes,cæterorúmque pietate & doctrina præſtantiſſimorum virorum,quos impudentiſſima calumnia planéque indecoro conuitio,Ieſuitæ,ſicarios appellatis, haudquaquam è mortuis excitabitis, vt noua in vos probra regerant:neque minus feliciter vigebit eorum in Eccleſia Dei memoria, laúſque ſempiterna. Beza certè veſtri miſerebitur,vobíſque mentem ſaniorem precatus, in meliorem frugem vos reuocare conabitur.Quòd ſi mentem non mutatis & obdu-

reſcitis,non impinget tamen notam maledicti,ſed obſtinato præfractóque conuitiatori dicet, Increpet te Dominus. Caluini autem laudatiſſimorúmque virorum quorum memorias Beza luculento elogio poſteritati commendauit, & ſcripta & facta apud omnes ſanos ſobrióſque iudices ab horum conuitiorum odio inuidiáque ipſos non modò liberabunt, ſed omnes has infamias amentiæ furoríſque haud dubiè condemnabunt. Nos quoque veſtris illis aduerſus nos conuitiis hoc vnum regerimus,vt meliorem vobis mentem ex animo precemur. Vos autem, Ieſuitæ, quàm lubenter hæc conuitioſa veſtra verba in rem longè diriorem conuerteretis,cogimur hîc oſten dere. Vetera non repetimus, quæ inter belli intemperies perpetrauiſtis, ne funeſtiſſimi temporis memoriam renouare videamur. Illúdne ſilebimus,quod nuper in hac publicæ tranquillitatis ſerenitate, quaſi omnia vobis licerent,Iuſtini Scoti è ſodalibus veſtris vnius opera & miniſterio egiſtis Andanciæ,Viuariatis vico ad Rhodani rippam ſito? Iannis Balęi piſcatoris,eo vno quòd Religionem ref. dum viueret,profeſſus eſſet cadauer effodi iuſſiſtis,& vt immanius eſſet facinus, ipſius liberis, vt id ipſi facerent, quinquaginta aureorum mulctę denũtiatione,edixiſtis: effoſſúmq; cadauer in Rhodanũ proieciſtis.Extant publica acta:conqueruntur Balęi heredes,etiam Catholici: ipſa honeſtas publica,ipſa Pax violatã ſe à vobis fuiſſe conqueritur.Hęccine eſt Theologia veſtra,aut Philoſophia,vt ſepulchrorũ ius quod Natura omniúmque nationum conſenſus ſacroſanctũ eſſe voluit, audacter violetis?Quòd ſi omnium earum rerum quas vos violenta audacia, impunitatis ſpe, in Turnonio illo veſtro imperio ſuperioribus annis per-

perpetrauiſtis, commentarius ederetur: perſpicuum eſſet, vos, ſcilicet nouum hominum genus, medendæ generis humani ſenectuti deſtinatum, de genere humano optimè meritos eſſe. At hoc profectò vernaculũ propriúmque factioni veſtrę eſt: hæc veſtræ illius exquiſitioris doctrinæ, quæ non-ſcripti illius Verbi quod tantopere prædicatis, monumentis continetur, myſteria efflagitant, vt non argumentis, ſed conuitiis, & ſi poteſtis, gladiis & ignibus Veritatem oppugnetis. Hæc veſtra ſunt arma, hæc inſignia, ita ſacrum Ieſu nomen prætexitis, immenſam illius lenitatem hac feritate repreſentatis, vt lucem viuis (ſi in veſtra poſitum eſſet poteſtate) auferatis, quum terram mortuis, vt Lactantius ait, denegetis. Veritatis & lenitatis ſpiritum, vt doctrinam, Apoſtolis reliquiſtis, illorum imagines cum enſibus & clauibus reſeruaſtis vobis: vt his ſpectris ſimplicium oculos animóſque teneretis, Veritatem his clamoribus conuitiiſque oppugnaretis. At iſtam fallendi efficacitatem certis terminis finibúſque circumſcriptam eſſe intelligimus, neque machinas veſtras tã tùm valituras credimus, vt piorum animos cõcutiant atque labefactent. Veritatẽ quoque è veſtrarum artium laqueis victricẽ fore ſperamus. Inter has bellorũ intemperies veſtra illa factio vehemẽter excreuit, & in Veritatem nihil huiuſmodi merentem bellorum cauſam hactenus deriuauit. His bellorum furoribus, quos ad Veritatis curſum impediendũ excitauit mendax ille & homicida Spiritus, tandem aliquando modũ imponet Dei opt. max. prouidentia, Eccleſiæ ſuæ Regníque huius (quod quam plurimorum electorum ſuorum reliquiis colligendis hoſpitium eſſe voluit) miſerti: & bellum ferreis æterníſque vinculis conſtrin-

get,vt quæ bello penè exularat Veritas, Pacis beneficio, in celebriores conuentus poſtliminiò tandem reuertatur. Haud quoque paſſuram exiſtimamus Reg. Maieſtatem, Regíſque ſapientiſſ. Miniſtros, vt illius inciuilis veſtræ inanitatis.i. ματαιολογίας ἀπολιτεύτου, importuna audacia, nouarum turbarum occaſiones ſerantur, ſeditioſiſque aut concionibus aut libellis populorum animi ad nouos furores inflammentur. Nos quidem ἀντικατηγοροῦντας, non ἀντιλοιδοροῦντας habebitis. De Veritate ex Veritate, id eſt purè, ſimpliciter, cordatè, moderatè denique agendum eſt. Eos decent inſani clamores qui cauſæ ſuæ bonitati diffidunt. Denique (vt hæc ſummatim complectamur) hoc primùm in vobis, quantùm ad rem quidem ipſam attinet, Ieſuitæ reprehendimus. Quòd probroſis vocabulis præter æquum & bonum diſertámque Regiorum Edictorum autoritatem, aduerſus noſtras Eccleſias vtamini: hiſque initiis noua contentionum incendia quæ errorem ac furorem nouis malorum generibus cumulent, eo etiam tempore quum maximè quieſcendum eſſet, non ferenda audacia moliamini. Verùm his ſuperatis ſalebris, ad rem ipſam propiùs accedamus.

MAGNAS eſſe grauéſque in Eccleſia Dei de religionis re cõtrouerſias, iuſto dolore pii omnes conqueruntur in hoc Regno maximè: in quo eò magis verendum eſt ne quid hac in re peccetur, quòd inde natus hominum furor impotentiùs eſt debacchatus. Verùm ecquis ſanus exiſtimauerit, Veritatem iurgiis & contumeliis illuſtrari poſſe? Omnes igitur pios oramus atque obteſtamur, per ſacrum Dei nomen, per & Veritatis & ſalutis amorem ſuæ, vt de tantis rebus pacatè & feriò agamus: non quærendi nominis, ſed Veritatis cauſa, hanc diſquiſitionem inſtituamus: non præiudi-

ciis

cijs opinionibúſque, ſed rationi, quæ ratio eſſe cõſtiterit, rerúm iſtarum maximarum auguſtiſſimarumque ſupremum iudicium tribuamus. Non, aut linguarum aut ſcientiarum humanarum cognitio agitur, ſed ſalus hominum agitur: ac proinde res vt omnibus hominibus communis, etiam huiuſmodi qua nihil in vniuerſa hominum vita prius antiquiuſque eſſe vllo modo aut poſſit aut debeat.

Hoc autem principiò teſtamur, noſtri non eſſe inſtituti plenas hiſce de rebus tractationes perſcribere: (quum id plane eſſet actum agere. hæc enim à noſtris hominibus ſępe fuerunt explicata.) Noſtri tantùm conſilij eſſe, ad eas quæſtionum circumſtantias reſpondere, quas in veſtris aſſertionibus notauiſtis: & eo quidem quem vos perſcripſiſtis ipſi, modo. Igitur de prima Quæſtione liberiùs (quando ita voluiſtis) de cæteris, breuiùs: de omnibus autem quantùm poterimus (id eſt rei dignitas noſtráque imbecillitas feret) & breuiſſimè & perſpicuè diſſeremus. Et quum Veritatis quæſtio ſit inſtituta, ex Verbi Dei veteriſque & Catholicæ Eccleſiæ diſertis teſtimoniis, quaſi præſcripta verborum formula, agemus: vt non nos quidem ipſi, ſed ipſa Veritas loqui omnino perſpiciatur.

TRES igitur aſſertionum illarum quas Theologicas appellatis, Quæſtiones ſunt hæ: *De verbi Dei & Eccleſiæ autoritate: De Idolis*, id eſt *imaginibus: De vera Chriſti præſẽtia, & cõmunicatione in ſacroſancto Euchariſtiæ ſiue Cœnæ Sacramento.* Ad has primarias quæſtiones cætera omnia reuocantur. De prima igitur Quæſtione, idque ex veſtris verbis, primùm omnium videamus.

Theſes Ieſuitarum.

Singulari Dei beneficio Chriſtianam Eccleſiam rerum ſacrarum monumenta, partim literis conſignata, partim ſine ſcripto tradita conſeruaſſe credimus: eorumque ad ſalutem conſequendam neceſſariam intelligentiam omnibus enodare ac proponere: vt mirum ſit noſtri temporis hæreticos, ſcripturas ſacras non ex Eccleſiæ præſcripto, ſed pro ſua libidine interpretari, bonamque earum partem (quam antiquitas approbauit) ex ſacro Codicum numero tollere.

2 Qui fidei res omnes ad ſcriptum Dei verbum reuocant, in eos ſe difficultatum laqueos inducunt, vt nullum planè exitum inuenire poſſint. Nã ſcripturam ipſam, quæ traditiones non-ſcriptas commendat, aſpernari, Eccleſiæ autoritatem eleuare, & nullam ſibi ad comprimendam aliorum inſolentiam, qui ſcripturis omnibus fidem planè derogant, præſidium reliquiſſe conuincuntur, imo & pleraque fidei dogmata (vt de perpetua Dei Matris Virginitate, ac infantum baptiſmo) repudiare coguntur.

3 Et quum ſe nihil niſi ſcripturas loqui profiteantur, pro fidei decretis hæreſiarcharum errores tanto ſtudio amplectuntur, vt ſatiùs ducant ſcripturas ipſas negare, quàm illorum ineptias repudiare. Quare & Machabæorum libros (quibus eorum qui ex hac vita exceſſerunt in piorum hominum

minum ad Deum, precibus, memoriæ, & purgatorij ignis imprimis ſtabiliatur fides) ex ſacrorum librorum Canone eſſe delendos contendunt: qua in re inſcitiam ſuam produnt, quum alia multa ſcripturarum teſtimonia ſuppetant, quæ purgatorium eſſe ignem, non obſcurè confirmant.

Reſponſio Academiæ.

Quandoquidem cum Ieſuitis (id eſt cum eo hominum genere qui in eo maximè artis ſuæ præſtantiam ponunt, vt ſubtiliſſimis diſputationum laqueis vel prudentiſſimorum ſolertiam circumueniant) nobis rem eſſe intelligimus, vt noſtra ſimplicitas nobis meritò ſuſpecta eſſe debeat: prouidendum etiam atque etiam à nobis initio eſt, vt rectè conſtituta quæſtione, diſputatio deinceps certiùs vtiliúſque progrediatur: ſiquis ex hac quidem diſputatione fructus poteſt exiſtere. Quorſum tamen euadat, non inutile de Veritate certamen exiſtimandum eſt, (ait Tertullianus) ex quo Veritatis aduerſarius obſtinatior atque inſolétior excedit. Quoſdã etiã veſtrûm cognitæ exploratæque Veritati nolle repugnare, charitas iubet vt exiſtimemus: cæteri, ne ſine hoſte & ſanguine, ſimplicibus imponant, ſpecie Veritatis, illud verò à nobis eſt omni ſtudio & opera elaborandum. Prolixæ igitur illæ & inſidioſæ propoſitionum veſtrarum ambages, Logices legibus definiendæ ſunt, vt ex inſidijs prodeant vernaculæ illæ & veſtræ genti peculiares fallaciæ: réſque adeò nullis inuolucris & fucis, ipſa, ſimplex & vera perſpiciatur. Cuius hæc eſt plana & perſpicua Ἀνάλυσις:

Explicatio primæ quæſtionis è Ieſuitarum aſſertionibus euoluta.

QVÆSTIO eſt, De Verbi Dei, & Eccleſiæ autoritate. Huic quæſtioni de veſtra ſententia explicandæ, adhibentur tres Aſſertiones: ſed ita deſertæ aut indiſertæ (dum elegantiam quandam affectantes, deſerunt veras leges Logices illius quam profitemini) vt hoc vnum noſtræ aduerſus veſtrum τὸ ἀμέθοδον reprehenſionis (de qua ſuo loco dicemus) exemplum ſobrio & erudito lectori abundè eſſe poſſit. Vos igitur iuuabimus, & vobis ipſis arma λογικώτερον expediemus. Sic nimirum veſtram hac de re ſententiam diſtinctiùs & magis logicè debebatis explicare.

1 *Verbum Dei est vel ſcriptum, vel non-ſcriptum.* Aut, vt totidem verbis dicitis, *Verbum Dei partim ſcriptis, partim traditionibus continetur.*

2 *Non omnes fidei res Verbo ſcripto continentur: ac proinde ij grauiter peccant, qui omnes res fidei ad Verbum ſcriptum reuocant.*

Ita de veſtra ſententia, Verbum Dei, eſt ἔγγραφον & ἄγραφον: ſicuti Ius ciuile. Hæc nimirum è veſtris verbis planè eliciuntur.

De Eccleſiæ autoritate veſtra è veſtris verbis ſententia ita euolui poteſt:

Eccleſia Dei, eſt cuſtos, & interpres verbi Dei.

Quam veſtram de verbi & Eccleſiæ Dei autoritate ſententiam ita explicatis, id eſt inuolute ſignificatis his verbis:

1 *Sin-*

1 *Singulari Dei beneficio Chriſtianã Eccleſiã rerũ ſacrarũ monumenta, partim literis cõſignata, partim per Chriſtianorũ hominũ manus, ſine ſcripto tradita cõſeruaſſe credimus.* Ita Eccleſiã Veritatis cuſtodem agnoſcitis. Illius autem eiuſdem Veritatis interpretem, his verbis: *Eorumque ad ſalutem conſequendam, neceſſariam intelligentiam omnibus enodare ac proponere.*

Hæc bona fide afferimus, quibus primariam de Verbi & Eccleſiæ Dei autoritate Quæſtionem exponitis. Cætera quæ additis, ſunt ψόγοι, non λόγοι : id eſt cauilli, non Theologo tantùm, ſed ne Philoſopho quidem digni : à rei, perſonarum, temporíſque circunſtantiis penitùs abhorrentes.

Poſſunt quidem liberè doctrinarum refutationes perſcribi pro arbitratu : ſed quid iuuat rem conuitiis onerare? Reprehenſiones poterant ſine conuitiis maiore cum perſpicuitate, hunc in modum à vobis exponi.

Prima Reprehenſio, *Peccatur ab iis qui res omnes fidei ad Verbum ſcriptum reuocant : Traditiones verò non-Scriptas negant.*

Secunda, *Ii quoque hallucinantur, qui negant verbi Dei interpretationem, ſalutaríſque adeò doctrinæ cognitionem ab vnius Eccleſiæ iudicio arbitrioque pendere.*

Abſurda item hæc ex veſtra quidem hypotheſi, poterant à vobis ita indicari:

Si traditiones non ſcriptæ tollũtur, eiſque denegatur fides, multùm decedit de Verbi Dei autoritate. &,

Si Eccleſia Dei non eſt cuſtos & interpres Verbi Dei, & ex illius autoritate, eorum omnium quæ

ad ſalutem noſtram neceſſaria ſunt, cognitio non pendet: hominum libidini & audaciæ patet aditus, ac proinde infinitum malum.

Quæ abſurda, id eſt ἀσύστατα, ex veſtris verbis ita conficeretis:

1 *Scriptura ipſa, ſiue Verbum ſcriptum, ipſas illas traditiones nō ſcriptas cōmendat. Ergo nō poſſunt hæ contēni, ſine Verbi illius ſcripti opprobrio.*

2 *Eccleſiæ autoritas eleuatur: quum Eccleſia illarum condendarum habeat poteſtatem.* &,

3 *Impiorum hominum qui ſcripturis omnibus fidem planè derogant, inſolentia comprimi non poteſt ſine autoritate Traditionum non ſcriptarum: quia videlicet ſcripti Verbi autoritas à non-ſcriptis traditionibus commendatur.*

4 *Plæraque fidei dogmata (vt de perpetua Dei Matris virginitate, ac infantum baptiſmo) repudiantur.* Quæ grauiſſima ſunt abſurda: atque adeò falſum illud principium, ex quo illa conſequuntur.

Hæc ſunt demonſtrationis veſtræ media, id eſt τὰ μέσα συνεχόμενα: quæ vos non logicè quidem, ſed rhetoricè, præter veras diſſerendi leges ita propoſuiſtis: vt in illa rhetorica occultatione, quā affectatis, rerum veritatem penitus occultetis. Verùm num illa ex Eccleſiarum noſtrarum doctrina verè à vobis dicantur, ſuis locis viderimus. Hæc certè affirmamus meras eſſe calumnias, quas nobis infligitis:

1 *Nos pro libidine ſacras ſcripturas interpretari:*

2 *Bonam earum partem, quam Antiquitas approbauit, è ſacrorum Codicum numero tollere.*

3 *Pro fidei decretis hæreſiarcharum errores tāto ſtudio amplecti, vt ſatius ducamus ſcripturas*

negae,

negare, quàm noſtras ineptias repudiare.

Hæc vos, Ieſuitæ, imponitis Eccleſiis noſtris: qua fide, ex ipſis rebus pius & prudens Lector mox iudicabit: nunc verò perſpicuè animaduertet, qua charitate, vos nullo modo à nobis prouocati, conuitiis non argumentis aduerſus nos agatis. Sed de conuitiis iam ſatis ſuperque quorum non ἀντιλοιδορίαν, ſed hanc ἀντιμισθίαν vobis rependimus, Veritatis ſalutíſque (ſi poſſumus) veſtræ promouendæ ſtudium. Conſtituta igitur Quæſtione, ad rem ipſam ita accedemus, ſi priùs vt veſtram, bona fide ſententiam recenſuimus, ſic noſtram fideliter ſimplicitérque referamus.

Eccleſiarum noſtrarum de Verbi & Eccleſiæ Dei autoritate ſententia.

1 Vnicum Dei verbum quo ſalutaris doctrina definitur, agnoſcimus Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam, veteris & noui Teſtamenti libris comprehenſam.

2 Illo Verbo Dei ſcripto omnia fidei dogmata ad ſalutẽ neceſſaria contineri credimus: neque ab eo vel quicquam demere, vel ad illud quidpiam adiungere, cuilibet creaturę fas eſſe affirmamus.

3 Credimus ſanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam Verbo illo ſcripto innixam, eſſe columnam & firmamentum, id eſt & cuſtodem & interpretem, Veritatis.

Hanc nimirum noſtrarum Eccleſiarum de Verbi & Eccleſiæ Dei autoritate eſſe ſententiam, teſtatur illarum Confeſſio poſt annos complures

edita, antequam vix ac ne vix quidem auditum eſſet in Gallia Ieſuitarum nomen: teſtantur noſtrorum hominum ſcripta hac de re luculenter iápridem vniuerſo terrarum Orbi cognita. Num verò grauiſſima illa abſurda quibus doctrinam noſtram inuritis, vel quæ nobis per calumniam imponi iam teſtati ſumus, ex ea conſequantur, ex ipſa re mox perſpiciemus.

Verbi & Eccleſiæ nomina primùm eſſe diſtinguenda.

Illuſtre eſt & planè auguſtum Verbi & Eccleſiæ Dei nomen, & ab vtriſque noſtrûm peræquè acceptum: ſed quum nō nomen aut imago rei, ſed ipſa res quæratur, & in tam varijs diſcrepantibúſque ſententijs, eorundem vocabulorum indicatione, periculum eſt ne variæ multiplicéſque res intelligantur: ipſa Verbi ſcripti, & non-ſcripti, ſiue Traditionum vocabula, ſunt priùs definienda, ne, Ambigui ſiue Æquiuoci inuolucro, id eſt, Ὁμωνυμίᾳ fallant. *Verbi Chriſti* appellatione, quin veteris & noui Teſtamenti ſiue fœderis libros, qui κατ᾽ ἐξοχὴν Biblia appellantur, nobiſcum intelligatis, minimè dubitamus. Quidnam autem *Verbi non ſcripti*, ſiue *Traditionum* nomine notetis, vos ipſi etiam explicatis, *Rerum ſacrarum monumenta per Chriſtianorum hominum manus ſine ſcripto tradita.* Genus eſt igitur, Verbum: cuius ſunt ſpecies duæ, & quidem ἀντιδιῃρημέναι, Scriptum & Non-ſcriptum. *De Eccleſiæ* appellatione maior eſt dubitatio: ex qua quoque altera de non-ſcripto Verbo controuerſia naſcitur: quum illius & autor & cuſtos Eccleſia à vobis eſſe dicatur.

Quid ergo vocatis Eccleſiam? *Chriſtianam*, reſpondetis, *Eccleſiam*. Nondum ſatis explicata eſt vocabuli controuerſi & ambigui notio. Nos enim

enim (quos vobis libet Hæreticos appellare) ad Chriſtianam quoque Eccleſiam nos pertinere affirmamus. Quin explicatiùs etiam loquimur, quum Eccleſiam illam, de cuius agitur autoritate, Catholicam & Apoſtolicam appellamus: & in illius nos eſſe & viuere, ſinu credimus & profitemur. Nondúm ne eſt vocis ambiguitas euoluta? *Romanam* adiungitis, tanquam definitionis conſtituendę formam, & differentiam ſpecificam, id eſt τὸ τί ἦν εἶναι, & λόγον οὐσίας: vt vocabulis è Peripato vobis benę cognitis vtamur. Hac verò exceptione ſiue limitatione quid nam dici poſſit à vero aut veriſimili magis alienum, id eſt magis ridiculum & abſurdum, vos negabitis? Eum qui vnam corporis partem totum corpus eſſe pronuntiaret, non exploderetis? Haud quaquam hæc eſt Petri doctrina (cuius ſucceſſionem Eccleſiæ illi Romanæ, quam Catholicam eſſe affirmatis, ampliſſimo ſuffragio attribuitis) vt vni Eccleſiæ fas ſit, non in cæteras tantùm Eccleſias imperium, ſed & Catholicæ nomen vſurpare: vt cæteræ ex illa Catholica-Romana, id eſt vniuerſali-particulari Catholicæ-Romanæ appellentur, precariò atque παρωνύμως. Erit igitur de veſtra ſententia, Eccleſia Catholica vna, Romana videlicet, cuius caput ſit Pontifex Romanus. Illa, præter Verbum ſcriptum, quod Prophetarum & Apoſtolorum libris continetur, nō ſcriptum quoddam Verbum depromet: & Verbum ſcriptum pro arbitrio ſuo interpretabitur. Hanc Catholicæ-Romanæ vultis eſſe autoritatem, quæ Eccleſiis per vniuerſum terrarum orbem variè diſtributis longè latéque dominetur, cuius iniuſſu nullæ vſpíam vſquam Eccleſiæ quicquam de religionis doctrina ſiue ritibus conſtituant, cuius denique decreta pro verbo Dei habeantur, id eſt *Orbem in Vrbe includitis atque*

circumſcribitis. Hæccine autoritas ei Eccleſiæ, quã ſanctam & Catholicam eſſe credimus, conueniat, mox videbimus: hoc certè pernegamus, *Catholicæ Eccleſiæ* nomen Romanæ Eccleſiæ rectè conuenire: Romanæ Eccleſiæ ſatis futurum aſſerimus, ſi Catholicæ Eccleſiæ membrum cenſeretur. πρωτοκαθεδρίας, id eſt primatus dignitatem, quantumlibet omnibus donorum generibus illuſtrium Eccleſiarum, Catholicę communioni repugnare, ipſe docuit Petrus (cuius cathedram nullo iure legitimo Eccleſia Romana ſibi vendicauit) dũ Presbyteros alloquens ſeipſum illorum συμπρεσβύτερον atque collegam eſſe profitetur: vnúmque ſummũ Paſtorem. i. Ἀρχιποιμένα Chriſtum agnoſcẽs, diſertè vetat, ne quis in Catholicę Eccleſię communione aduerſus particulares Eccleſias dominatum vſurpet. 1. *Pet*. 5. 1. Quidnam hodiè ex eiuſdem illius Veritatis regula, iis edicturum Petrum credibile eſt, qui Catholicę nomen proprio quodam iure ſibi vendicarent? Mittimus ea quę à noſtris hominibus opportunè in hoc argumẽto afferri ſolent, Petrus ne fuerit Romę: Ibi ne docuerit, & paſſus ſit: &, Si ita ſit, idcircóne conſequatur Romanæ Eccleſiæ primatum in cæteras Eccleſias deberi: quæ tamen ſi à nobis reponerentur, veſtra crambe ſæpiùs repetita, id à nobis meritò extorqueret. Hoc dicimus, etiamſi hodie Petrus Romę doceret, Romanáque Eccleſia primæuis illis auguſtíſque dotibus quibus olim floruit, etiamnum floreret, ei tamen in cæteras Eccleſias dominatum nullo modo deberi: & minùs quidem Catholicæ Eccleſiæ nomẽ per ſe & primò ei conuenire, vt ex ea poſtea omnes Eccleſiæ nomẽ precariò ſortirẽtur. Atqui & Romanam Eccleſiam maximis næuis laborare, ne ipſe quidem Gregorius Pontifex Romanus

manus negat: quippe quæ poſt Bernardi tempus (qui illius morbos Eugenio etiam Pontifici tam luculenter repræſentauit) melior aut emendatior haudquaquam euaſerit. Quid igitur? Si Romana Eccleſia à Catholicæ Eccleſiæ communione ſeſe ſeiunxerit, num Catholicæ Eccleſiæ nomen iure retinebit? E latebris igitur exeat veſter ille Æquiuocationis, id eſt Ὁμωνυμίας anguis, Ieſuitæ, quem ſub Chriſtianæ Eccleſiæ nomine & velo obtegebatis. Hoc diſertè profitemur, nos *Eccleſiæ* nomine Catholicam-Romanam illam Eccleſiam quæ ſub veſtra definitione intelligitur, haudquaquam intelligere. Ac præter quidem Petri cæterorúmque Apoſtolorum doctrinam, veteríſque adeò & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum id dici, diſertæ omnium voces teſtantur. E quibus hæc paucula liceat delibare.

Cyprianus 1. lib. epiſt. 8. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus eſt, & Eccleſia vna eſt, & cathedra vna, ſuper petram Domini voce fundata. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Adulterinū eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcunque furore humano inſtituitur vt diſpoſitio diuina violetur.*

Idem. *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.*

Idem. tract. 3, de ſimpl. præ. *Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinē latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quomodò multi radij ſunt, & lumē vnū & rami arboris multi, robur autem vnum, radice tenaci fundatū: & quomodo de fonte vno riui plurimi defluunt, & numeroſitas licet diffuſa eſſe videatur, exundantis copiæ largitate, Vnitas tamen ſeruatur in origine: ſic Eccleſia Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit:*

Vnum tamen eſt quod vtique diffunditur, neque vnitas corporis ſeparatur.

Hieron. epiſt. ad Euagr. *Si autoritas quæritur, Orbis maior eſt Vrbe. quid mihi profers vnius Vrbis conſuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Vbicumque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli ſiue Rhegij, eiuſdem meriti eſt, & eiuſdem ſacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, ſuperiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit.*

Gregorius lib. 1. epiſt. 80. *Nullus vnquam deceſſorum meorum hoc profano vocabulo vti voluit: quia videlicet ſi vnus Patriarcha Vniuerſalis Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc à Chriſtiana mente. In illo ſceleſto vocabulo conſentire, nihil aliud eſt quàm fidem perdere eſt. Aliud eſt quod conſeruandæ vnitati fidei, aliud quod debemus comprimendæ elationi. Ego autem fidēter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit &* alibi, *Propinqua iam eſſe Antichriſti tempora deſignantur. &c.*

Ecquidnam verò aliud in hiſce commemorandis quàm actum ageremus, niſi nos veſtra illa excuſaret ἑωλοκρασία, id eſt, rancidarũ nugarum egeſtio? quæ nos ſanè cogit vt idem reponentibus idem quoque rependamus. Eccuinam autem de Eccleſia Romana potiùs credendum eſt, quàm ei qui & Romanæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus, & meliori etiam ſæculo vixit? Nefas igitur ſit Catholicæ ſiue Apoſtolicæ Eccleſiæ nomine, Romanam Eccleſiam propriè intelligere: cæterarúmque Eccleſiarum autoritatem & appellationem à Romana Eccleſia mutuari. Quod ſi vt æquiſsimum & ve-

riſſimum à vobis euincimus, Ieſuitæ, vóſque ex iniuſta hac rei vocíſque poſſeſſione vos deturbari patimini, explicatis Ambigui inſidiis, ad veram *Eccleſiæ* definitionem nullo fallaciæ metu inueſtigandam progrediemur: hac lege vt poſthac vos veſtríque, dediſcatis falſam illam profanámque Eccleſiæ Catholicæ-Romanæ appellationem: æquúmque eſſe oſtendatis, vt Eccleſia Romana, ſi Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ membrum cenſenda eſt, ſeſe illius autoritati iudicióque ſubmittat, ſéque ab ea emendari patiatur: ac proinde hoc primum erit inſtitutæ Quæſtionis caput, quo Chriſtianæ Eccleſiæ nomen explicetur ex contrarii remotione, id eſt κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. Quam primam rectè & ſolidè aſtruendæ Veritatis viam eſſe, Demonſtrationis leges docent.

Eccleſia Romana, non eſt Eccleſia Catholica & Apoſtolica: atque adeò de illius autoritate minimè hîc diſputatur, ſed de Catholicæ Eccleſiæ autoritate.

Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ vera ex veris germaníſque notis ſuis definitio.

SI VOS viciſſim, Profeſſores Turnonii, nos eſſe Eccleſiam Catholicam negatis, duo reſpondebimus. Vnum, neque vnquam nobis in mentem veniſſe ſimile quicquam, vt vniuerſalis Eccleſiæ nomen nobis proprie arrogaremus: licet firmiter credamus nos Eccleſiæ Catholicæ eſſe membra. Alterum, Chriſtum non fruſtra eſſe mortuum, ac proinde nos non temere profiteri in Symbolis, nos credere ſanctam Eccleſiam Catholicam, quæ omnium Chriſti beneficiorum heres, propriis veríſque notis agnoſci poſſit, & à falſis adulteriníſque cœtibus diſcriminari. Sempiternam fore Eccleſiam, in mediis mundi pereuntis perturbatio-

nibus,neque orphanam relictum iri, teſtatur Veritas: vt planè intolerabilis ſit ἀκαταληψία eorum hominum, qui & quænam ſit Eccleſia & vbinam ſit, intelligi non poſſe, audent affirmare. Illius igitur notas & quaſi teſſeras veſtigemus, vt illarum commonſtratione ad veram germanámque Eccleſiæ naturam perueniamus. Omnino Veritas niſi ex veritate intelligi poteſt. Ecquis verò Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, Veritatis illius eſſe autographum, eruditæ autem & orthodoxæ Eccleſiæ conſenſum, eiuſdem illius Veritatis interpretem eſſe negauerit? Vobis igitur annuentibus, notas illas in Verbo ſcripto & Eccleſiæ Catholicæ monumentis inueſtigabimus. Memineritis autem quidnam agatur, id eſt non hoc eſſe iuſtum certamen, ſed velitationem: ac proinde de plurimis paucula nos delibare. Nos certè Romanæ Eccleſiæ claues ſiue Cathedram (quemadmodum vos eam deſcribitis) Catholicæ illius, quam quærimus, veras eſſe notas pernegamus, quas videlicet veras germanáſq; à Prophetis & ab ipſius Eccleſiæ capite, ipſáque vera etiam & Catholica Eccleſia ita didicimus.

Eſa.59. 21. *Hoc fœdus meũ cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui in te eſt, & verba mea quæ poſui in ore tuo: & non recedent ab ore tuo, nec ab ore ſeminis tui.* &c.

Ioan.10.4. *Oues meæ audiunt vocem meam, & ſequuntur me: alienum autem nequaquam ſequentur, ſed fugient ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum.* id eſt, vt interpretatur

Tomo 7 column. 528 Auguſtinus, contra Peti. epiſt. cap.10. *Habeo manifeſtiſſimam vocem paſtoris mei, commendantis mihi, & ſine vllis ambagibus exprimentis Eccleſiam.*

cleſiam. Mihi imputato, ſi ab eius grege qui eſt ipſa Eccleſia per verba hominum ſeduci, atque aberrare voluero, quum me præſertim admonuerit dicens: Quæ ſunt oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Ecce vox eius clara & aperta & exaudita. Qui enim non ſequitur, quomodo ſe ouem eius dicere audebit? Nemo mihi dicat, Quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet illorum? quia nec Catholicis quidem Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicuti forte falluntur, vt contra Canonicas ſcripturas aliquid ſentiant. &c. ſicubi

Idem ibidem cap. 2. *Inter nos & Donatiſtas quæſtio eſt, Vbi ſit Eccleſia. Quid ergo facturi ſumus, in verbis noſtris eam quæſituri, an in Verbis capitis ſui, Domini noſtri Ieſu Chriſti? Potius quod in illius verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum.* &c. col. 511 puto quod in illius potius verbis

Idem cap. 3. *Sed vt dicere inceperam, non audiamus, Hæc dico, hæc dicit: ſed audiamus. Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri dominici, quorum autoritati vtrique conſentimus, vtrique credimus, vtrique ſeruimus: Ibi quæramus Eccleſiam: ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* &c. col. 513

Idem. *Totus Chriſtus caput & corpus eſt: caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Eccleſia: ſponſus & ſponſa, duo in carne vna. Quicunque de ipſo capite à Scripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia.* &c. col. 514

Sed quid plura ex infinita penè copia proferamus? Ex quibus illud Axioma verũ eſt, Eccleſiæ notam

primariam, & quaſi ἐντελέχειαν eſſe, Verbum dei: & in eo & per illud Eccleſiam quærédam. Omnes autem ἑτεροδιδασκαλίας id eſt quæcũque extra hoc Verbum & ſine hoc Verbo docentur, eſſe vocem peregrini, quã veluti adulteri, caſta Chriſti ſponſa auerſari ac fugere debeat. Non enim tantæ támque auguſtæ res, quæ ad veram æternámque felicitatem pertinent, hominum arbitrio erant relinquendæ. Idcirco doctrinam illam θεόπνευστον & ſalutarem, certis quibuſdam literarum monumentis commendari, & notariorum (quorum fides ſit omni exceptione maior) miniſterio placuit optimo ſapientiſſimóque Deo conſignari. Quocirca vt verum eſt, Chriſtum ſanctificare Eccleſiã ſuam per Verbum, in eóque Verbo illam eſſe quærendam, ita quoque verum eſt, illud Verbum eſſe ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum: ſicuti eadem Veritas diſertè teſtatur.

Ioan.5. *Scrutamini ſcripturas, quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtificantur de me.*

Epheſ.2.20. *Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, cuius angularis lapis eſt, ipſe Ieſus Chriſtus: in quo totum ædificium congruenter coagmentatum, creſcit vt ſit ſanctum templum Domino.*

1.Cor.3.11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.*

2.Petr.1.20. *Nulla Prophetia Scripturæ, propriæ eſt ἐπιλύσεως. i. explicationis.*

Galat.1.7. *Non eſt aliud Euangelium, ſed nonnulli vos turbant, & volunt inuertere Euangelium Chriſti.*

Verùm

Verùm,quid pluribus opus eſt,quaſi hac de re à piis dubitetur? Eccleſiæ tamen Catholicæ conſenſum huius veritatis firmamento ſtabilitum obiter indicabimus.

Tertul.de præſcriptis hæret. *Nobis nihil licet ex noſtro arbitrio inducere, ſed neque eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus autores, qui nec ipſi quicquam de ſuo arbitrio,quod inducerent,elegerunt:ſed acceptã è Chriſto diſciplinã fideliter nationibus aſſignarũt.*

Idem Apolog.cap.44. *Quò plenius & impreſſius tam ipſum quàm diſpoſitiones eius & voluntates audiremus, Deus inſtrumentum adiunxit literaturæ: ſiquis velit de Deo inquirere, & inquiſitum inuenire & inuento credere,& credito deſeruire.*

Hilarius libr.1.de Trinit. *Quum itaque de rebus Dei ſermo eſt,concedamus cognitionem ſui Deo, dictiſque pia veneratione famulemur. idoneus enim ſibi teſtis eſt,qui per ſe cognitus non eſt.*

Complures alios huius generis locos deinduſtria prætermittimus. neque enim exiſtimamus piorum quenquam dubitare, Verbum Dei,quod Eccleſiæ fundamentum ſubſtrauimus, Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis contineri, quorum videlicet maior eſt omni exceptione autoritas. Hoc tamen demonſtrationi noſtrę ponimus Axioma, vobis, (niſi planè inſanitis) minimè repugnantibus, Verbum Dei non Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis tantùm definiri: ſed nefas quoque eſſe exiſtimare quicquam ad ſalutem noſtram pertinere, quod non illorum monumentis planè & perfectè contineatur. Neque enim tantùm diſerta extant hac de re & Verbi & Eccleſiæ teſtimonia, quæ certam indubitatámque omnium

rerum ad ſalutem neceſſariarum cognitionem eis aſſerant atque vendicent,ſed & omnibus peregrinarum doctrinarum generibus iter obſtruant.

2. Timoth. 3. 16. *A puero ſacras literas noſti, quæ te poſſunt ſapientem reddere in ſalute, quæ eſt per fidem in Ieſu Chriſto. Tota Scriptura diuinitus inſpirata vtilis, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*

Act.20.27. *Non ſubterfugi quominus annuntiarem vobis omne Dei conſilium.*

Heb.1. *Deus multis vicibus multiſque modis olim loquutus Patribus per Prophetas, vltimis hiſce diebus loquutus eſt nobis per Filium.*

Ioan.14.&c. *Quum venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem. &c.*

Pſal.19. *Lex Dei perfecta conuertens animam, teſtimonium Iehouæ fidele, &c.* Quid verò hæc Dei fulmina?

Deuter.12.&c. *Quicquid ego præcipio, id obſeruabitis, ad hoc nihil addetis, ab hoc nihil detrahetis: non declinabitis ad dextram &c.*

Galat. 1. 8. *Etiamſi nos aut Angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizarimus, anathema eſto.* Nonne videtis nos deinduſtria complures Scripturæ locos prætermittere? Sed pauca audite de Eccleſiæ Catholicę conſenſu.

Ireneus aduerſus Valent. *Scripturæ quidem perfectæ ſunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu eius dictæ. Nos autem quum & iuniores ſimus, & nouiſſimi à Verbo Dei & Spiritu eius: quum & eo-*

& eorum quæ in communi hominum vita quaſi ante pedes noſtros verſantur, multa ſint quæ noſtram ſcientiã fugiant, hæc quoque ipſa Deo committimus.

Auguſt. de Geneſ. ad lit. *Maior eſt Scripturæ autoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas comprehendere poteſt. Profectò inuiolabilem ſacrarum literarum autoritatem confiteri debemus.*

Idem, de pecca. merit. lib. 1. cap. 22. *Cedamus & conſentiamus autoritati Scripturæ ſanctæ, quæ neſcit falli & fallere.*

Idem, ſuper Ioan. tract. 49. cap. 11. *Quum Dominus Ieſus multa feciſſet, non omnia ſcripta ſunt: ſicuti idem ſanctus Euangeliſta teſtatur, Multa Dominum Chriſtum & dixiſſe & feciſſe quæ ſcripta non ſunt. Electa ſunt autem quæ ſcriberentur, quæ saluti credentium ſufficere videbantur.*

Cyprian. Hom. ad Tit. 1. *Euangelium omnia continet præſentia & futura, honorem & pietatem: omnem ſimul fidem prædicatione Verbi concluſit ſicut enim præco præſentibus omnibus in theatro prædicat, ita & nos publicè prædicamus, ea ratione vt nihil addamus, ſed ea tantùm quæ audiuimus, dicamus. Ea quippe virtus præconis eſt, veraciter quæ ſibi credita ſunt, omnia perſequi: non aliquid addere aut immutare aut auferre.*

Gregorius in paſtoral. cap. 44. *Scriptura prophetici ſermonis in tenebris vitæ præſentis facta eſt nobis lucerna, & lumen itineris. &c.*

Hîc quoque nos temperabimus. è tanta enim copia, & in hoc quidem inſtituto noſtro, vix audemus paucula delibare. Ex his tamen efficitur, quod ad argumentum maxime pertinet, Omnes res fidei in ſcripto illo verbo, cuius quæritur

autoritas, id eſt Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis, planè & perſpicuè contineri: vt nefas ſit, aliã quampiam doctrinam ad ſupplementum exquiri. Iam & illud, vt neceſſarium huic concluſioni πόρισμα adiungendum eſt, Sacramẽta Verbi eſſe teſſeras atque ſigilla: ac proinde in his Eccleſiæ notis, quas inueſtigamus, de Verbo vniuocè dici, idémque reipſa planè eſſe: modo tantùm diſtingui & ratione. Verbum enim auditur: Sacramenta videntur: illud quidem, per aures: hæc verò, per oculos docent. Vtriuſque ſubiectum idem eſt, Ieſus Chriſtus. Vnde Apoſtolus.

Rom. 4. *Et ſignum accepit Circũciſionis, quod obſignaret iuſtitiam fidei.*

Epheſ. 5. *Vt Eccleſiam ſanctificaret, purgatam lauacro aquæ per Verbum:* quemadmodum interpretatur Auguſtinus.

Tract. 80. ſuper Ioan. *Lege Apoſtolum, & vide quid adiungat, Vt eam ſanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in Verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur, In verbo.* &c.

Idem, de Cataclys. cap. 3. *Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile Verbum.*

Hoc tantùm volumus, certas eſſe Eccleſiæ notas, quæ vt veræ felicitatis heres, ita ſalutaris doctrinæ cuſtos eſt. Illam autem Verbo & Sacramentis contineri, non tam ex noſtris verbis, quàm ex ipſius Veritatis vi, hactenus oſtendimus.

Quid inde colligimus? Id nimirum, Profeſſores Turnonij, quod ad inſtitutum ſermonem ſpectat maximè, Quænam veræ ſint Eccleſiæ notæ: vt ad illius veram ſolidámque definitionem tãdem aliquando

quando perueniamus. Quum igitur Verbum & Sacramenta veras eſſe Eccleſiæ Catholicæ notas, non nos quidem demonſtrauimus, ſed ipſa demonſtrauit Veritas : omnino Eccleſiæ Catholicæ illa erit vera & τεκμηριώδης definitio.

Eccleſia Catholica, eſt ſanctorum communio. i. cœtus viſibilis amplectentium Verbum Dei, & ex illius inſtituto rectè vtentium Sacramentis.

Verbum & Sacramenta, Viſibilis illius quam quærimus, Eccleſiæ, viſibiles eſſe notas ſi negatis, piæ certè animæ agnoſcent, quæ ad veram illam Eccleſiam in ipſa Viſibili variis hominum generibus permixta, hominibus quidem inuiſibilem, Deo autem vni notam, ſe pertinere intelligunt. Geminam enim vnius Eccleſiæ faciem diſtinguẽdam eſſe, non modò Verbi Dei eruditæque Vetuſtatis veritas, ſed veſtrorum quoque Doctorum conſenſus, docet. De Viſibili agimus, quum de illius notis agimus: quas non incertas & vagas, ſed veris indubitatíſque diſcriminibus illuſtres eſſe affirmamus. Vobis illam Æquiuocã ſolo nomine ſpecioſam, Eccleſiã relinquimus. Ne nobis Eccleſiæ Romanæ claues, aut cõmentitiã quandam Petri Cathedram opponatis: Non aureas aut argenteas claues, aut eburneam cathedram didicimus in Verbo illo Dei, quo vno fides noſtra innititur: Non palatia illa laqueata templorum, aut viſibilis cuiuſdam Capitis diadema, quod quaſi auiti imperij inſigne à Petro repetitis. Regni cœlorum claues tantùm didicimus, Verbum Dei: Petri Cathedram, ipſius doctrinam in Eccleſia Dei ſonantem: Templum Dei, Eccleſiam, Prophetarum & Apo-

ſtolorum doctrinæ innixam credimus & profitemur. Huius autem licet facies propter hominum peccata ſæpenumero commutetur, manet tamen immobile ſempiternúmque eius fundamentum, Verbum Dei: quod inter illas varias variarum rerum viciſſitudines atque mutationes conſtanter perdurat, & in illo Catholica illa quam credimus, Eccleſia, in qua veritas eſt & ſalus, cōſtanter conſeruatur. Hanc igitur dicimus Eccleſiam, Ieſuitæ, quę non humanarum opinionum fulcris, humanęve autoritatis pręſidiis, ſed vnico vnius Dei verbo innititur. Hanc colimus, hanc amplectimur, hanc vt matrem & dominam veneramur: & ſuum de ſeipſa teſtimonium lubenter audimus.

Hilarius, in Pſalm. 126. *Domus hæc ædificanda per Deum eſt. humanis enim operibus extructa non permanet, nec doctrinis ſæculi inſtituta conſiſtit, neque inani labore ſolicitudinis noſtræ cuſtodietur. Extruenda aliter eſt, cuſtodienda aliter eſt: non ſuper terram, non ſuper fluxam & dilabentem arenā initianda, ſed fundamentum eius ſuper Prophetas & Apoſtolos collocandum.*

Idem, lib. 6. de Trinit. *Hæc fides, Eccleſiæ eſt fundamentum: ſuper hanc confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt. Hæc fides regni cœleſtis habet claues. Hæc fides eſt, Quæ in terris ſoluerit aut ligauerit, & ligata ſunt in cœlis & ſoluta.*

Chryſoſtomus, Homilia de Pentecoſt. *Super hanc petram, non dixit, Super Petrum: non enim ſuper hominem, ſed fidem Petri ædificauit Eccleſiā ſuam. Quænam autem erat fides? Tu es Chriſtus, filius Dei viui.*

Auguſt. de Ciuitate Dei libro 18. capite 54. *Nos*

ergo

ergo qui ſumus vocamúrque Chriſtiani, non in Petrum credimus ſed in quem credidit Petrus: Petri de Chriſto ædificati ſermonibus. Ille Petri magiſter, Chriſtus in doctrina, quæ ad vitam ducit æternam ipſe eſt Magiſter noſter.

Magna certè iniuria fit ſanctiſſimo Apoſtolo Petro, quum ea doctrina quam ipſe docuit, pro qua paſſus eſt, quam denique ſcripto fideliter commẽdauit, imaginarię neſcio cuius Cathedræ ſpecie & prętextu, ſubuertitur: & Petri perſona Petri doctrinæ opponitur. At diſertè prædixerat Spiritus Sanctus, Antichriſtum in templo Dei tanquam Deum ſeſſurum. Quorſum igitur hæc tam altè repetita? Vt non tam noſtris quàm diſertis Verbi Dei & indubitatæ Eccleſiæ verbis oſtenderemus, non modò quidnam ſit Eccleſia, ſed etiam quænam ſit veræ illius & Catholicę Eccleſiæ autoritas atque dignitas. Quod erat in qnæſtione poſitum, veluti firmamentum.

Quæ, qualis, quanta ſit Catholicæ Eccleſiæ dignitas & autoritas, cum Verbi Dei autoritate comparata.

Subſtrato igitur illo diſputationis fundamento, quidnam conſequatur perſpicuum eſt. Eccleſia ædificio ſæpe comparatur. Quidnã prius eſt, ipſumne fundamentum, an tota ædificij moles? Ariſtoteleum ne ignoratis, Menſuram menſurato ipſo priorem eſſe? i. τὸ μέτρον τῷ μετρητῷ? Verbum Eccleſiæ fundamentum poſuimus. Inde quænam ſit Verbi & Eccleſiæ autoritas conſtabit: ſicuti ex his quæ à nobis explicata ſunt, Eccleſiæ natura (quantùm quidem ad loci iſtius circumſtantiam pertineret) fuit repreſentata: vt

pijs & ſobrijs lectoribus perſpicuum ſit qua fide & fronte audeatis nobis obijcere, eleuari atque deprimi à nobis Eccleſiæ autoritatem: eádem nimirum veritate qua nos Scripturas ſacras repudiare cauſamini. Veſtra quidem omnia de ψευδωνύμῳ & ementita Eccleſia, déque Verbo non-ſcripto myſteria penitus repudiamus: at quidnam de veræ & Catholicæ Eccleſiæ autoritate, quidnam de illius cum Verbo conſenſu ſentiamus, ex ijſdem autographis proferemus: vt noſtra de tam ſerijs argumentis explicata ſententia, ad veſtrarum illarũ Aſſertionum capita ſingulatim explicãda accedamus. De Eccleſiæ autem autoritate hæc credimus ex luculentis Verbi Dei teſtimoniis.

1. Tim. 3. 15. *Eccleſiam eſſe domum Dei viuentis, columnam & ſtabilimentum Veritatis.*

Galat. 4. 26. *Sublimem cœleſtemque Hieruſalẽ eſſe omnium noſtrûm matrem*, id eſt, eorum omnium matrem quorum Deus pater eſt.

In Pſal. ſæpe, & in Prophetis, *E Sione ſalutem eſſe ſiue redemptionem populo: &, Salutem fore in Sion* .i. remiſſionis peccatorum ſalutíſque æternæ eſſe heredem.

Pſal. 144. *Beatum eſſe populum, cui ſic eſt: beatum populum, cuius Iehoua eſt Deus*: id eſt veram ſolidamque felicitatem ei propriè conſtare, & in ea ſola eſſe ſalutem.

Auguſta nimirum terque maxima de Eccleſiæ dignitate & autoritate prædicantur: quæ tantùm abeſt vt verbis extenuemus, quaſi Eccleſiæ dignitas Verbi Dei obſtruat luminibus: vt planè credamus in hac Eccleſiæ dignitate omnem ſalutaris doctrinæ, noſtræque adeò felicitatis cardinem ac ſummam verſari: vt qui contrà ſapiat, penitus deſipiat.

Tertul.

Tertul.aduerſus Marcionem lib.4. *In ſumma,ſi conſtat id verius eſſe quod prius, id prius quod & ab initio, quod ab Apoſtolis:pariter: vtique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum.*

Idem,de præſcript.aduerſus Hæret. *Conſtat omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis,matricibus & originalibus fidei conſpiret,veritati deputandam:& ſine dubio tenẽtes,quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit. Reliquam verò doctrinam de mendacio præiudicandam,quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum,& Apoſtolorum & Chriſti & Dei.*

Verbi & Eccleſiæ authoritas comparatur.

Quandoquidem autem controuerſiæ principalis,ad quam paulatim accedimus, cardo in eo poſitus eſt, vt diſquiratur pertineátne ad Eccleſiæ autoritatem non modò ſcriptum illud Verbum pro arbitratu ſuo interpretari, id eſt (vt vos loquimini) *eorum quæ ad ſalutem pertinent, neceſſariam intelligentiam omnibus enodare atque proponere*, ſed & Verbum aliquod non-ſcriptum habere: omnino poſtulat inſtitutæ demonſtrationis ἀλληλουχία atque ſeries,vt quoniam oſtendimus, Verbum Dei primariam eſſe atque principem Eccleſiæ Catholicæ notam, Verbi quoque & Eccleſiæ inter ſe gradus intelligamus: quidnam præcedat, quidnam ſubſequatur; ſit ne verum quod docetis, Verbum Dei ab Eccleſiæ determinatione & iudicio pendere,illiúſque diiudicandi poteſtatem penes Eccleſiam eſſe,nécne. Audite igitur quídnam de toto hoc genere ſtatuat Apoſtolus, ſummus huius controuerſiæ arbiter.

1.Cor.3.10.&c *Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, vt peritus Architectus fundamentũ poſui: alius autẽ ſuperædificat: porrò quiſque videat quomodo ſuperædificet. nam fundamentũ aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Quòd ſiquis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc, aurum, argẽtum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: cuiúſque opus manifeſtum fiet. dies enim declarabit. nam per ignem retegetur, & cuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.*

Vnus ille locus pro multis erit. Eccleſiæ fundamentum diſertè ſubſternitur, Ieſus Chriſtus: qui nonniſi in Verbo ſuo rectè cognoſci poteſt: ac proinde Verbum illud per ſe & vniuocè, id eſt, καθ' αὐτὸ & συνωνύμως, dicitur fundamentum Eccleſiæ: vt & eiuſdem ędificandę ratio tota atque molitio, quæ architectorum opera & miniſterio abſoluitur. Deus enim eſt operis illius πρωτουργὸς & τελεσιουργὸς .i. princeps & efficiẽs cauſa, ſuorum ſeruorum laboribus dans incrementum. Eccleſia architectos illos ſuppeditat, dum ipſa ædificatur. Subſtrato conſtitutóque fundamento, ſuperſtruuntur variorum generum materię. Vt ædificii illius ſacri & verè aurei (ſicuti à Prophetis deſcribitur) moles & συναρμολογία exurgat, conſentaneum eſt vt aureo fundamento aurea quoque materia, aurea proportione, ab aureis architectis ſuperinducatur. Quòd ſi ligna, fœnum, ſtipulæ, & huiuſmodi materiæ aureo ædificio minimè aptæ, ab iis qui ſeſe ædificii architectos profitebantur, ingeratur: accedet operis iudicium, quo materiarum illarum peregrinarum & ἑτερογενέων diſcrimina explorabũtur atque patefient. Ignis autem examen, id eſt recta & conſentanea variarũ materiarũ explorãdarũ ratio, erit ille Ignis. Dies itaque per ignem, quale ſit totũ illud rerũ fundamento ſuperſtructarũ genus,

nus,verè & dilucidè declarabit. Figuratæ autem orationis hæc eſt nuda & ſimplex ſententia: Veræ omnis doctrinæ hæc eſt certa & ſempiterna lex in Eccleſia Dei, vt à fucata & adulterina doctrina veræ faciem noménque ementiente, dijudicetur atque diſtinguatur. Fundamentum Eccleſiæ Catholicæ vnum ſubſternitur, Ieſus Chriſtus, ſiue ipſius Verbum:cui fundamenti appellatio idcirco attribuitur,quòd neque Chriſtus à ſuo Verbo,neque Verbum à Chriſto ſeiungi ſeparive vllo modo poſſit. Chriſtianæ igitur Eccleſiæ hoc ſubſternitur fundamentum,ſine quo neque conſtare,neque Eccleſia dici vllo modo poteſt. Huic tamen veritati varij variorum generum Doctores, qui in Eccleſia docuerunt & docent, varia ſuperſtruxerunt:verę doctrinę veram & conſentaneo quidam modo doctrinam adiungentes, eandem planè & ὁμογενῆ & κατ' ὀρθοτομίαν verę illius formulę docẽdi, quã *ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων*.i.Exẽplar ſanorum ſermonum vocat Apoſtolus.2.*Tim.* 1.13. *&* 2.15.ex regula, *Veritatẽ ex Veritate docendã eſſe*, id eſt(vt loquitur Petrus)εἴ τις λαλεῖ,ὡς λόγια θεοῦ.1. *Petr.*4.11. Plerique contrà Eccleſiæ Doctores, fundamẽtum quidem illud retinentes, non ſimplicem quidem illam genuinámque Veritatem ſuperſtruxerunt, ſed ſua commenta:veritatis quidem atque vtilitatis ſpecie commendata,de quibus tamẽ iudicium ſit faciendum ex eiuſdem illius Verbi analogia: quæ perſpicuè patefaciet, quidnam à Doctoribus fundamentum illud in Eccleſia retinentibus, veri aut falſi dicatur.Denique veritatis,examen,in Eccleſiæ Doctorum ſentẽtiis totum eſt à Verbo Dei: quod nimirum à ſeipſo, vt aurum ab auro, rectè explorari poteſt.

Quæſtionis propoſitæ explicatio ex ſubſtratis ſuperioris doctrinæ principijs.

Hîc animis igitur adeſte, Ieſuitæ, huc ingeniorum veſtrorum aciem omnẽ conuertite. hîc enim vniuerſæ diſputationis cardo verſatur: aduerſus Aſſertiones illas cominùs eſt conſerendum. Pii & eruditi legant, intelligant, iudicent. Quæritur quænam ſit Verbi Dei & Eccleſiæ autoritas. Vos ſcriptum quidem Verbum agnoſcitis, ſed illius intelligendi diiudicãdíque poteſtatem Eccleſiæ attribuitis, vt ex illius pendeat determinatione atque autoritate: & præter ſcriptum illud Verbum, πατρoπαράδοτον quandam doctrinam, per Chriſtianorum manus ſine ſcripto traditam, id eſt Verbum quoddam non-ſcriptum pari cum ſcripto autoritate, affirmatis eſſe in Eccleſiæ poteſtate: cuius ſit etiam ius noua doctrinarum decreta condere, quę quidem ad ſuam ędificationem exiſtimauerit pertinere. Ita Verbo ſcripto non-ſcriptum adiungitis, Verbi ſcripti & non-ſcripti cognitionem totam vultis eſſe in autoritate atque poteſtate Eccleſiæ. Nos autem hîc à vobis, Ieſuitæ, planè diſſẽtimus. Credimus vnicum illud Dei Verbum, quod Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis definitur, ſatis eſſe ad ſalutem. Illo fidem noſtram terminamus atque circumſcribimus. Credimus quidem Catholicæ Eccleſiæ magnam eſſe autoritatem, ſed huiuſmodi vt illam Verbo Dei vt fundamento inniti, ita totam eodem verbo ædificari affirmemus. Quòd ſiquid dubii aut controuerſi inciderit, non ex arbitratu Vetbi illius nõ-ſcripti, id eſt humanarum traditionum præſcripto, ſed ex eiuſdem illius Verbi decretis, ἀναλόγως. i. ex indubitatæ

bitatæ doctrinæ proportione, componi atque illuſtrari: Scripturas denique ex Scripturis eſſe intelligẽdas affirmamus. Præter illud Verbum, aliud Verbum poni nefas eſſe contendimus: ſiquid Verbo illi ſuperſtruatur, huiuſmodi examen inſtituẽdum eſſe, vt tum demum probetur vt verum, ſi cũ ſempiterna Verbi illius ſcripti regula, ex illius Analogiæ amuſſi conſenſerit: eóque eſſe & dici Aurum, id eſt verum & ſalutare: ſin contrà, ligna, fœnum & ſtipulam, id eſt veri imaginem ſiue εἴδωλον, non ipſum Verum: vt Igne illo æterno Verbi Dei exploretur, ac proinde explodatur, eo ipſo vno quòd cum illo Dei Verbo minimè conſentiat. Eccleſiam igitur à Verbo Dei pendere, non Verbum ab Eccleſia, etiam atque etiam affirmamus: atque adeò priorem eſſe Verbi quàm Eccleſiæ autoritatem: & omnibus quidem illis modis priorem, quibus aliquid Prius dici poteſt. Siue enim tempus ſpectetur, Verbum priùs extitiſſe affirmãdum eſt quàm Eccleſia extiterit, quum Verbi vi & efficacitate ſit congregata: ſiue eſſendi cõſequentia conſideretur. i. vt loquuntur, τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν. neque enim idcirco Verbum eſt, quia extat Eccleſia luculẽter. In mediis enim Eccleſiæ perturbationibus idem perſtat Dei Verbum, à quo Eccleſia inſtauratur, vt primùm conſtituitur. Cœlum enim & Terra tranſibũt, Verbum autem Dei manet in æternum. Prior eſt quoque Verbi autoritas, ſi vel generatio vel ordo rerum ſpectetur. Deus enim (vt diſertè ait Iacobus) nos progenuit ſermone Veritatis, vt in Eccleſia cenſeremur. Itaque *ex ipſo ordine manifeſtatur* (inquit Tertullianus) *id eſſe dominicum & verum quòd ſit priùs traditum: ac proinde antiquitate venerabilem eſſe Eccleſiam, quòd antiquiſſimo Dei verbo innitatur.*

Verùm vt hæc noſtra de Verbo & Eccleſiæ conſenſu ſententia è nobili illo Apoſtoli loco conformata, pleniùs intelligatur: quum certum nobis ſit bona fide vobiſcum agere, certis quoque eam capitibus definiemus, exemplorúmque appoſitione illuſtrabimus.

1 *Verbum Dei ſcriptum, id eſt Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, eſt Eccleſiæ fundamentum.*

2 *Hactenus retineri poteſt fundamentum in Eccleſia, vt varia doctrinarum genera poſſint ei fundamento ſuperſtrui.*

3 *Doctrinarum illarũ examen ex verbo Dei inſtitui debet. Si Verbo illi ſcripto* ἀνάλογος *ſit & conſentanea doctrina, quæ ab Architectis traditur, Aurum erit: quod igne Verbi Dei explorabitur & illuſtrabitur: ſin minùs, lignum, fœnum, palea: & ab eodem illo igne comburetur.*

4 *Eccleſia, auri illius cuſtos eſt & miniſtra: ac proinde magna quidẽ eſt auguſtáque illius autoritas, ſed Verbi Dei autoritate tota innititur: ex quo nimirum eſt, quicquid eſt.*

5 *Vnicum illud Dei Verbum, ſatis eſt ad plenã ſolidámque ſalutis noſtræ cognitionem: vt humanarum traditionum interpretationibus aut adiumentis opus haudquaquam habeat.*

Vt ad exempla igitur réſque ſingulares accedamus, id adhibebimus in quo tota eſt ſita cõtrouerſia. Quæritur de Catholicæ-Romanæ, quam diſertè appellatis, Eccleſiæ autoritate.

Hanc æquiuocè tantùm, vel potiùs falſiuocè, id eſt & ὁμωνύμως & ψευδωνύμως, Catholicam vocari aſſerimus: vos autem verè & eſſe & vocari Eccleſiam Catholicam affirmatis. Vtri noſtrûm veriùs loquantur, ecquis erit Iudex? Adhibeatur Ignis ille, id eſt, examen Verbi Dei: ex cuius luce pri-

mum animaduertatur, an fundamentum retineatur. Vtrique ſanè Chriſtum appellamus, vtrique Verbum illud ſcriptum amplectimur. Adeſt igitur fundamentum, de quo iudicabit Verbum Dei, quum de Eccleſia quæratur: non autem Eccleſia illa Catholica-Romana, quæ accuſatur, de re ſua rectè iudicauerit, non redditis cauſis cur hanc autoritatem ſibi propriè vendicet. Agnoſcimus fundamentum, ex Ignis illius luce, Chriſti nomen audimus, in ſacro Baptiſmo illius inſignia videmus, teſſeram percipimus, *Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti.* Hoc eſt aureum fundamentum quod Satan non potuit euertere, auguſtum Chriſtiani nomen vbique ſonat: niſi vos, Ieſuitæ, importunæ nouitatis pruritu ementitæ ſocietatis Ieſu nomen importaſſetis. Itaque, vt Papatum qui in Romanæ Eccleſiæ ſinu primariam ſedem occupauit, conſtanter negamus eſſe Eccleſiam Catholicam: ita conſtanter affirmamus Deum Eccleſiam ſuam in Papatu conſeruare, vt in ruderibus conſeruatur laceri ædificii fundamentum. Quidnam autem illi fundamento ſuperſtruatur, explorator idem ille Ignis diiudicabit. Romana Eccleſia, ait ſe Catholicam eſſe Eccleſiam, & Epiſcopum Romanum eſſe caput Catholicæ Eccleſiæ, &c. quia Petro qui Romanæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus, dictum eſt, proprio quodam priuilegio, & Romanæ Eccleſiæ hereditario, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam.* Quid Ignis ille? Aurum eſſe negabit, quum Scriptura diſertè teſtetur, Petram illam cui ædificatur Eccleſia, eſſe Chriſtum, ſanctámque illam & firmam de Chriſto confeſſionem, *Tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis*: & Petrus diſertè profiteatur, vnicum eſſe Chriſtum Ἀρχιποιμένα, & caput Eccleſiæ ſuæ: vnicam autem Eccleſiam ſicuti vnus Deus eſt, & fides vna. Illud igitur erit fœnum ſiue

ſtipula architectorum ſuperſtruentium : hæc verè Catholicæ Eccleſiæ vox, Aurum erit: *Nos ergo qui ſumus & vocamur Chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus, Petri de Chriſto ædificati ſermonibus. &c.* Et, *Non dixit ſuper Petrum. nō enim ſuper hominem. ſed ſuper fidem Petri ædificauit Eccleſiam ſuam.* Gregorius quoque Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus aureo fundamento aurum ſuperſtruxit, quum vocem Vniuerſalis Epiſcopi dixit eſſe prænuntiam Antichriſti. Ignis, aurum explorabit: ſtipulam & fœnum comburet. Pretioſa eſt mors ſanctorum in conſpectu Domini, ac proinde conducit ad fortitudinis & conſtantiæ exemplum omnibus pijs, vt eorum qui piè in Eccleſia vixerunt & mortui ſunt, memoria ſanctè cuſtodiatur, & certis monumentis recolatur. Aurum illud eſt Chriſtianæ doctrinæ fundamentum. At quum ad colendam Sanctorum memoriam, imagines eis collocantur atque conſecrantur, eorum oſſa reliquiæque adorātur, nomina inuocantur, Palea eſt ſiue ſtipula, Veritatis fundamento ſuperſtructa: quam eiuſdem illius Veritatis ignis comburet. Aureum eſt illud fidei noſtræ firmamentum, *Hoc eſt corpus meum*: cuius vera & efficax præſentia, illuſtri expreſſóque dicendi genere ſignificatur: quum caro Chriſti verè ſit cibus, & ſanguis verè ſit potus, atque adeò vera & efficax carnis & ſanguinis communicatio, fidelibus verè & efficaciter in Chriſtum inſitis. At craſſus ille & Capernaiticus communicandi modus, vt panis in carnē, vinū in ſanguinem trāſſubſtātietur, & ſenſualiter percipiatur, fœnum eſt atque ſtipula. Quid plura? neque enim conſilium eſt ſingula perſequi. In propriis Aſſertionū veſtrarum

quæſtio-

quæſtionibus voluimus oſtendere, quomodo ſit de Eccleſiæ doctrinis atque inſtitutis iudicandum: hactenus videlicet vt probentur atque recipiantur tanquam vera, ſi cum Verbi ſcripti veritate conſentiant, illudque adeò ſit Veritatis examẽ, ex quo controuerſæ doctrinæ iudicium conſtitui poſſit: ſi id quod in Eccleſia docetur, Scripturarum Veritati reſpondeat: cuius cuſtos eſt atque interpres hactenus Eccleſia, vt quanta quanta cõſtare ei poteſt autoritas, à Verbi autoritate, vt principio ſuo, tota pendeat. Vtrique id eſt & Verbo & Eccleſiæ tribuenda quidem erat autoritas, ſed ſuo modo, ſua: qui modus facilè expediri diſtinguique poteſt. Quamobrem, Ieſuitæ, vt diſquiſitionis iſtius initio, dum in Eccleſiæ Chriſtianæ nomine, Æquiuoci cothurno ludebatis, veſtram fidem deſiderabamus: ita hìc cauſa maxima eſt cur eandem illam fidem deſideremus. Vernaculæ enim vobis atque domeſticæ artis hìc latent inſidiæ. quod enim certa quadam ratione dicitur, & intelligi debet de Eccleſia, id vniuerſè & abſolutè interpretamini. Quo genere machinæ Chriſtum oppugnabat Satan, quum ad præcipitem & temerariam fiduciam hominum impelleret: vt Chriſti tentatione admoniti, inter has veſtras ſpinas ſolicitè ambulemus, noſtrique etiam Ducis victoria vincamus. Quaſi verò hæc non rectè conſtare poſſint, *Quam magnifica de te dicuntur, Ciuitas Dei!* &, *Quomodò facta eſt meretrix, ciuitas fidelis?* Eſt nimirum fallacia, quam *A dicto ſecundum quid ad dictũ ſimpliciter* vocãt, id eſt τῦ πρός τι ὡς ἁπλῶς λεγομένου. Diſtinguendum enim erat, & quænam & quatenus Eccleſiæ autoritas tribuatur. Infinitũ-ne ſit imperiũ illud, nulliſque legibus circumſcriptũ, an certis terminis & finibus regatur. De vera lo-

quimur & Catholica Eccleſia, nõ de veſtra illa Æquiuoca & imaginaria, Catholica-particulari. Nos affirmamus, Eccleſiã à Spõſi ſui voce pendere: intolerabilémque eſſe audaciã, exiſtimare in arbitrio & poteſtate Eccleſiæ eſſe, Verbi Dei ſententiam ita moderari, vt noua decreta condat, Apoſtolorúmque nomina ipſorum doctrinæ opponat. Eſt profectò hæc non caſtæ & modeſtæ matronæ ſimplicitas, ſed meretricis & adulteræ proteruia. Dominus quidem pater, Eccleſiam matrem ſuo quodam modo dominam eſſe voluit, vt cuſtodem & quaſi depoſitariam Veritatis: neque eius pater agnoſci vult, cuius non ſit mater Eccleſia: Verbi ſui ὀρθοτομίαν & accommodationem iuſſit eſſe in Eccleſiæ ſuæ manu & poteſtate: hactenus tamen vt illa Verbi accommodatio, ex eiuſdem illius Verbi principijs & regulis tota conformetur. Omne infinitum imperium & imperanti & parenti pernicioſum eſſe, in rebus etiam ciuilibus Ratio & Experientia euincunt: quibus κριτηρίοις nihil certius illuſtriuſve eſt. Eccleſiæ igitur autoritas agnoſcenda quidem eſt, ſed non infinita. Illa Veritatis cuſtos & interpres eſto, non ſimpliciter quidem & abſolutè, ſed ſecundum quid, id eſt οὐχ ἁπλῶς, ſed κατά τι. neque enim ipſa de Veritate ſtatuit, vt illud planè ſit verum & rectum, quod verum & rectum eſſe ipſa ex ſe conſtituerit: ſed ipſa demum eſto verax & fidelis Eccleſia, ſi ex αὐτοπίστῳ & indubitata veritate verum à falſo dijudicarit. Quæ veritas nihil aliud eſt quàm Verbum illud Dei ſcriptum: ac proinde ille eſto legitimus Dei cultus, id eſt λογικὴ λατρεία (vt loquitur Apoſt.) qui ex Λόγῳ, id eſt Verbi legibus ſit conſtitutus: quum obedientia ſine mandato eſſe non poſſit. Chriſtus eſt ſponſus, Eccleſia eſt ſponſa. Aurea eſt in matrimonio coniugum concordia.

nihil

nihil enim aut melius quidpiam aut præclarius in hominum vita eſſe poteſt, quàm quum vir & vxor cõmunibus animis & ſententijs familiam adminiſtrant: ita tamen vt ſi ex legibus Naturæ, vir ſit domus dominus, vxor autem domina, viro tamen imperium ſuum in vxorem conſtet: aduerſus quem vſurpare autoritatem ex eiuſdem Naturæ legibus, vxori vetat Apoſtolus. Idcirco Euangelium, non eſt Matthæi ſiue Ioannis, ſed ſecundum Matthæum & Ioannem: qui in domo Dei, quæ columna & firmamentum veritatis eſt, illuſtres ſunt ipſi columnæ, ſicuti columnas Iacobum, Petrum, & Ioannem Paulus vocat. Illud ergo τὸ ἁπλῶς ἀδιόριστον, id eſt ſimpliciter & indefinitè dictum, Ieſuitæ, certis finibus diſtinguite, ne & Deo & Eccleſiæ iniuriam faciatis, quæ falſos illos & importunos priuilegiorum titulos hauddubiè aſpernabitur, & Dei ſui voci obtemperabit. Veſtrę autem hac in re fallaciæ vnus ſit hic, Ieſuitæ, Elenchus.

Superioris doctrinæ accuratior diſertiórque explicatio.

Quoniam autem non vnum ſimpléxque eſt in veſtris carectis inſidiarum genus, his ita conſtitutis, ſingula deinceps Aſſertionum capita excutienda ſunt. Duplex eſt inter nos in hac diſputatione controuerſia, de Verbo, & de Eccleſia. Vos duplex Verbum Dei ſtatuitis: vnum, quod Prophetarum & Apoſtolorum literis ſit conſignatum: Alterum, quod ſine ſcripto per Chriſtianorum hominum manus traditum, Eccleſiæ conſtet. De Verbo primùm ipſo videamus.

Quòd de Verbo hactenus diximus, iterum inculcamus: Vnicum eſſe Dei verbum, ſicuti vnus Deus eſt, vna fides, vnus Baptiſmus, vnici

illius Verbi ſigillum, quod ſatis ſit ad ſalutis noſtræ cognitionem: ac proinde negamus aliud eſſe Verbum θεόπνευστον, quàm id quod Prophetarum & Apoſtolorum ſcripturis continetur. Atqui excipietis, Scriptura ipſa ſiue Verbum ſcriptũ ipſas illas Traditiones non-ſcriptas commendat. Proferte locos. Quæ aphoriſtica Aſſertionum illarum veſtrarum breuitas non eſt paſſa diſertè à vobis notari, ea nos ſupplebimus, perinde ac ſi in veſtræ illius Turnoniæ Vniuerſitatis ampliſſimo theatro, opportunè à vobis citati, adfuiſſemus. Sin hæc ſatis eſſe negàtis, vos ipſi vberiora in medium deponite. Scripturæ locos quibus Non-ſcripti verbi Traditiones commendantur, pro more atque inſtituto veſtrorum hominum, hos fortaſſe nobis opponeretis.

Ioan. 21. 25. *Sunt & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribuntur ſigillatim, ne mundum ipſum opinor capturum eos qui ſcriberentur, libros.*

Ioan. 16. 12. *Chriſtus quoque dixit Apoſtolis, ſe multa habere dicenda, quæ non poterant portare Apoſtoli.*

Paulus quoque ſe Sacramentum Cœnæ ſiue Euchariſtiæ tradidiſſe Corinthiis teſtatur, eóſque laudat quòd & ſua omnia meminiſſent, & ſuas Traditiones retinerent: ſéque quum ad eos venerit, reliqua diſpoſiturum ait. Eodem capite & παραδόσεως & τοῦ παραδίδοναι & διατάξεως meminit 1. *Cor.* 11. & 23. & 3. Ideinque Theſſalonicenſes iubet tenere Traditiones, quas edocti fuerant ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam. 2. *Theſ.* 3. Quid plura? Non enim inſtituti noſtri eſt ſingula colligere, quæ ſoletis afferre ad ſententiæ veſtræ defenſionem. Hæc attulimus vt Aſſertionum veſtrarum verba de ſententia veſtra illuſtremus: imo è veteris quoque Eccleſiæ monumentis nonnulla paucis indicabimus,

quæ

quæ eôdem videntur ſpectare.

Chryſoſtomus, Homilia 82. in Matthæum. *Hinc patet quod non omnia per Epiſtolam tradiderint, ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt tam illa, quàm iſta. Itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius.* &

Epiphanius, in Pana. 40. *Oportet etiam traditione vti. Nō enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt. Quapropter quædam in Scripturis, quædam in Traditione, ſancti Apoſtoli tradiderunt.* &c.

Inde colligitis, non omnia in Verbo ſcripto cōtineri, quæ ad ſalutem noſtram pertinent: & præter Scriptum illud Verbum, Traditiones quoque eſſe in Eccleſia, quæ parem cum Verbo ſcripto obtineant autoritatem. Cedò igitur, rem vnà diſpiciamus. Eáne quæ ab Apoſtolis perſcripta ſunt, Dei veritatem ſalutíſque viā eſſe exiſtimatis, necne? Eſſe, hauddubiè reſpondebitis. Illáne igitur ad plenā ſolidámque ſalutis noſtræ cognitionē ſatis valere? Non ſatis, excipietis: idcirco præter illā doctrinā quā ſcripto cōmendarūt Apoſtoli, multa alia Deum voluiſſe extare, quæ ab Eccleſia per traditionē conſeruarētur. Eſto, non omnia ſcripſerint Apoſtoli, eorū quæ Chriſtus geſſit: quēadmodum teſtatur Ioannes. Illáne temere, ab eis prætermiſſa, eorúmque literis caruiſſe, exiſtimabitis? Cauſam ipſe Ioannes reddit, Tot tantáque nimirum fuiſſe à Chriſto geſta, vt ea mundus capere non poſſet, ſi ſcriberētur. Addit Auguſtinus, *Ea quæ ſcripta ſunt, ad ſalutem fuiſſe ſatis.* Erátne igitur neceſſe illa cognoſci, ſi eorum Mundus capax non eſſet, ac proinde ſi non eſſent profutura? Deúſne temerè hoc voluit: Eccleſiámque ſuam celare aliquid, quod ad ipſius ſalutem pertineret? Noluit illa ſcribi (reſpondebitis) ſed viua voce per Apoſtolos voluit

doceri. Hoccine modo magis capax fuit mundus ſalutaris illius doctrinæ,quàm ſcripto? Quaſi verò Deus multis vicibus multíſque modis olim loquutus,temerè voluerit doctrinam illam ſcripto commendari, vt humanis commentis omnem anſam præcideret:& in hac delira mundi ſenecta ſapientior ſit mundus,& diuini enim illius conſilij cauſam Ioannes diſertè reddit. Vel certè Ioannem arguite mendacij. Ecquorum verò hominum fidei non ſcriptæ illius doctrinæ myſteria fuerunt commendata? Ecquinam ſunt auriti & oculati teſtes ſecundi illius Verbi? Apoſtoli (reſpondetis) vel Apoſtolorum diſcipuli. Igitur Canones illi Apoſtolorum,quos tanti facitis,& Clementis *διατυπώσεις* quæ appellantur,erunt non ſcriptum Verbum. Atqui illa ſunt ſcripta.Non ſentitis vos pugnantia loqui:quaſi Verbum illud veſtrum Non-ſcriptum, ſit ſcriptum?Verùm ita ſit. Num temerè monuit Ioannes non cuiuis Spiritui eſſe credendum, ſed Spiritus eſſe probandos, an ex Deo ſint? Illi igitur Apoſtolorum diſcipuli, aut quilibet primæuæ Eccleſiæ Doctores, aliúdne quodpiam doctrinæ genus docuerunt, quàm quod ab Apoſtolis perſcriptum fuit? id eſt (vt diſertiùs loquamur, & ad rem ipſam tandem veniamus) Illáne non-ſcripti Verbi doctrina, eadémne eſt cum Verbo ſcripto, an alia?id eſt vel multiplex, vel contraria?Certè,tam verum eſt illud principiũ quàm verum eſt certam quandam eſſe in ſalutis noſtræ cognitione veritatem: Veritatem autem vnam eſſe,ſicuti vnus eſt Deus: neque ſibi illam eſſe contrariam,ex peruulgata illa regula, *Veritas quæ ſcinditur,non eſt Catholica veritas.* Scripturæ autem veritatem,eſſe indubitatam, & eiuſmodi quæ per ſe credatur,ſalutaris doctrinæ veritatem, an dubitabitis? Teſtatur Filius Dei ſe Patris nomen

nomen Apoſtolis ſuis patefeciſſe, id eſt (vt ipſe interpretatur) verba Patris omnia: & poſtquam pronuntiauit ſe multa habere quæ Apoſtolis diceret, quorum non eſſent eorum capaces, eíſque Spiritũ ſanctum promiſit, qui eos ad omnem veritatem ſit deducturus: exponit quænam ſint illa, nimirum ea omnia quæ ipſe eis iã dixiſſet. Eadem igitur ſunt: & clamat (vti diximus) Apoſtolus, aduerſus χριστοκαπήλους, qui Legem cum Chriſto coniungebant, *Non eſt aliud Euangelium: ſed etiamſi nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizauimus, anathema eſto*: & Timotheo edicit vt quibuſdam denuntiet ne aliam doctrinam doceant. i. μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Si igitur eadem eſt & planè συνώνυμος, non-ſcripta illa Apoſtolorum doctrina cum ſcripta, cur è Verbi illius non-ſcripti adytis tot tantáque myſteria depromitis, Verbi ſcripti edictis planè contraria? Cuiusmodi ſunt Romanę Eccleſię decreta de Imaginibus, & Inuocatione ſanctorũ, dę Matrimonij & Ciborũ interdictis, de Meritis, de Purgatorio, de Vniuerſali Epiſcopo, de Trãſſubſtantiatione, & cætera cõplura dogmata: quorum tantùm abeſt vt extent diſertæ teſtificationes in Verbo Dei, vt diſertæ etiam illarum refutationes ſint perſcriptæ. Hæccine ſunt quæ Apoſtoli non ſcripſerunt? Nam quod de Pauli Traditionibus & decretis profertur, planè repugnat non ſcripti illius Verbi decretis. perſpicuè enim ait, ſe id tradidiſſe quod acceperit à Domino, quum de ſacræ Cœnæ inſtitutione loquitur. 1. *Corinth.* 10. 17. Decreta autem illa, ſiue Traditiones de virginibus velandis in cœtibus Eccleſiaſticis, & Hieroſolymitanæ Synodi in qua Apoſtoli præfuerunt, decreta de ſuffocato, haudquaquam obſeruantur ho-

die in Eccleſia Romana. Quomodo autem Chryſoſtomi, Epiphanij cæterorumque veteris Eccleſiæ Patrum de Traditionibus ſententia intelligi debeat, Euſebius de illo doctrinæ genere loquens, è Polycarpi Apoſtolorum diſcipuli verbis notat, omnia nimirum cum Scripturis præclarè conſenſiſſe. i. vt totidem verbis ait, πάντα ταῖς γραφαῖς σύμφωνα γεγονέναι. Neque verò aliter loquutos fuiſſe Patres, quàm vt Traditionum nomine, Apoſtolica decreta de ritibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, nō verò noui cuiuſdam Verbi non-ſcripti dogmata ſignificarent, ex aliorum locorum comparatione apparet, in quibus Scripturarum dignitatem tantopere commendant. Rectè Tertullianus de præſcriptis hæreticorum, *Solent dicere*, inquit, *non omnia Apoſtolos ſciſſe, eâdem agitati dementia, qua rurſus conuertunt, Omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe. In vtroque Chriſtū reprehenſioni inijcientes, qui aut minus inſtructos aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit. quis enim integræ mentis credere poteſt, aliquid eos ignoraſſe, quos magiſtros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in cōuictu: quibus obſcura quæq; ſeorſim ediſſerebat illis dicens datū eſſe cognoſcere arcana.*

At iſta arcana ſalutis æternæ ſe mundo patefeciſſe, diſertè teſtantur. Ecquænam vorò ſunt illa ἀκροαματικά, quæ ſi ignorarunt Apoſtoli longè periculoſæ inſcitiæ eſſent arguendi, ſi quum ſcirent docere noluerunt, haud ferendæ malignitatis, quū ea omnia quæ ad ſalutis æternæ cognitionem ſatis eſſent, ex officio deberent hominibus patefacere. Abſit autem vt de ſanctis Euangelij præconibus quidpiam huiuſmodi in mentem nobis veniat. Quin potiùs credamus, Deum pro ſingulari ſua prouidentia certam ſalutis noſtræ cogni-

cognitionem nobis patefeciſſe, nihílque ab Apoſtolis relictum eſſe, quod neceſſarium eſſet ad ſalutem. Neque verò aut curioſitati aut nimiùm ſolicitę indagationi indulgere, ſed ea à notariis ſuis Deum perſcribi voluiſſe conſtituamus, quę ad neceſſariam ſolidámque ſalutis ſcientiam omnino ſufficerent. Miramur quì factum fuerit cur Euangeliſtæ ne verbum quidem fecerint de iis rebus quas Chriſtus ab adoleſcentiæ ſuæ primordio ad trigeſimum vſque ætatis ſuæ annum egerit. cur in Actis Apoſtolicis ſilētio prętermittatur quid nam Mathæus, Andreas, Ioannes, Petrus ferè, & maxima Apoſtolorum pars geſſerint. Multa alia ſunt in ipſa doctrina quæ enucleatiùs explicari conſentaneum eſſe videri poſsit. Sed meminerimus Deum hominibus longe ſapientiorem eſſe, & doctæ cuiuſdam eſſe ignorantiæ genus, Id videlicet neſcire quod Deus vult nos neſcire. Quòd ſi hæc admittitis, doctrinámque illam Traditionum quam per Chriſtianorum hominum manus conſeruari vultis, Verbo ſcripto ἀνάλογον atque cõſentaneam eſſe agnoſcitis, cur hoc Verbi Non-ſcripti & ſcripti diſcrimen tantopere vrgetis? Si autem aliquid ἑτερογενὲς & peregrinum profitetur, qua fronte Apoſtolorum nomina ipſorum doctrinæ opponitis? Omnino haud euincetis, Traditiones illas non-ſcriptas in Verbo Dei commendari: quin potiùs fulmina illa auribus veſtris obtonabunt, *In vanum me colunt docentes ſecundum mandata hominum.* &, *Ad legem & ad teſtimonium ſi non dixerint iuxta hoc verbum, nihil habent lucis:* & ſempiterna erit oraculorum iſtorum autoritas, *Vt diſcatis ſupra id quod ſcriptum eſt, non ſapere:* & regula ἐθελοθρησκείας id eſt voluntarii cultus, qui primarius eſt fœtus Verbi illius veſtri non-ſcripti: *Mandata & do-*

ctrinas hominum habere quidem ſpeciem ſapientiæ, ſed nullius eſſe pretij. Col.3. 20. In ſumma, non eſt verum, Ieſuitæ, non ſcripti illius Verbi traditiones in Scriptura commendari, quales vos conſtituitis. Eſt enim elenchus Sophiſticus, quem Ἄγνοιαν λέξεως vocant, è decipulis illis veſtris vna. *Traditionis* enim vocabulo, in Apoſtolorum ſcriptis intelligitur, vel doctrinæ applicatio & ὀρθοτομία, vel rituum & diſciplinæ conſtitutio: cuius quidem omnibus locis, temporibus & perſonis non poteſt eſſe vna eadémque conformatio, licet hoc vnum ſit & verum principium, *Omnia vti fiant ordine in Eccleſia Dei.* 1. Cor. 14. Has traditiones, Apoſtoli ex rectæ illius rationis, quam in ſcriptis ſuis luculenter expreſſerunt, formula, in Eccleſiis conſtituerunt, pro rerum, temporũ, perſonarúmque circumſtantiis accõmodatis: & quum Diſciplina neruus ſit Doctrinæ, eas traditiones ſartas tectáſque eſſe voluerunt, atque definitum illarum vſum. At Romana profectò Eccleſia verarum illarũ germanarúmque Traditionum quas Apoſtoli reliquerunt, expreſſam effigiem nullam hodie tenet, vmbra & imaginibus tantùm vtitur, doctrina diſciplináque in fœdas ſuperſtitiones penitus transformata: & quò Verbi ſcripti autoritatem impunè eludat, Non-ſcripti cuiuſdam Verbi, quod totum ſit in ſua poteſtate, myſteria nullo iure prætexit. Ita principium illud veſtrum, quod firmamentum eſt huius diſputationis, planè euertitur.

Iam verò quæ & quatenus Traditiones recipi aut repudiari debeant, ex illius ipſius Eccleſiæ, cuius nomen & autoritatem prætexitis, ſententia perſpicuum eſt.

Tertullianus, de præſcript. hæretic. *Ergo quæramus an & Traditio nõ ſcripta recipi nõ debeat. Planè*

nè negamus recipiendam, ſi nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo ex inde vindicemus.

Cyprianus ad Demetriadem. *Conſuetudo ſine Veritate, vetuſtas erroris eſt: quæ impedire nō debet quominus Veritas præualeat & vincat.*

Idem. *Si conſuetudinem opponas, aduertendum eſt quòd Dominus dicit, Ego ſum via, Veritas & vita: non dixit, Ego ſum conſuetudo.*

Idem de Verbi illius veſtri nō-ſcripti traditionibus Verbi ſcripti autoritati contrariis, *Adulterum eſt, impium eſt, quodcunque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur.*

Reſponſio ad ſingula incommoda ſiue abſurda, quæ à Ieſuitis obÿciuntur.

Atqui excipietis, Si ad vnius Verbi ſcripti autoritatem fides noſtra reuocatur, grauiſſima inde naſcuntur incommoda. Ecquis enim Verbum Dei, veluti Leſbiam regulam, vltro citróque pro libidine non diſtorqueat: niſi Eccleſiæ iudicium accedat, quo vera germanáque Verbi ſententia à commentitiis & adulterinis hominum phanaticorum notionibus diſtinguatur? Multa ſunt in ſcripturis intellectu & explicatu difficilia. i. δυσερμήνευτα vt loquitur Paulus: ſiue δυσνόητα vt Petrus: quę indocti parúmque ſtabiles detorquent ad ſuū ipſorum exitium. Quiſnam de dubia Verbi interpretatione, aut de controuerſo fidei capite rectè iudicabit, niſi Catholicæ Eccleſiæ accedat autoritas? Deinde, ecquænā erit Eccleſiæ autoritas, ſi hoc Traditionū non ſcriptarū priuilegio deſtituatur? Quàm lata verò patebit impiis & profanis hominibus feneſtra, quū Verbi ſcripti autoritatē eludent, omnibúſque Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis ſi

idem derogabũt:niſi Eccleſiæ traditionúmque illarum non-ſcriptarum autoritatem atque certitudinem eis opponamus? Denique,niſi doctrinæ illius πατροπαραδότου cõſtet autoritas, ecquibus rationibus ſtabunt pleraque fidei dogmata, quæ vt vera & ſana Chriſtiani omnes amplectuntur:vt de perpetua Dei Matris Virginitate, & de infantum Baptiſmo? Ad hæc reſpondemus: Iſtis incommodis omnibus paratum eſſe in Verbo Dei præſentiſſimum remedium,& quidem huiuſmodi vt Catholicæ Eccleſię(qualem ex ſuis propriiſque notis repręſentauimus)ſua haud dubiè conſtet autoritas. Hoc enim ex ſuperioribus repetimus ,Nos de vera, non de ęquiuoca illa Eccleſia agere : ne circu-
542 laris fiat principii repetitio. Reſpondemus igitur, Catholicam Eccleſiam de obſcuris ſiue cõtrouerſis Scripturę locis ex Scriptura iudicare, ſecũdum fidei analogiam:id verius & accommodatius ſtatuens,quod & principiis fidei conſentaneum fuerit,& loci circumſtãtiæ magis proprium,ſi de loci alicuius δυσερμηνεύτου ſiue δυσνοήτου interpretatione agatur:vt Scriptura nimirum è Scriptura,locorum facta prudenter collatione,intelligatur atque explicetur. Itaque ſi phanaticorum hominum Scripturis abutentium error depellendus fuerit,eandem illam rationem ſequetur , quam Chriſtus & apoſtoli in mendacii refutationibus obſeruarunt. Chriſtus certè, Satanam Scriptura abutentem non aliunde quàm ex eadem Scriptura refutauit. Apoſtoli,ex Prophetarum ſcriptis alienas doctrinas ſolent refellere,ſuámque doctrinam confirmare. Ita enim ſtatuimus,Ieſuitæ,in vera commodáque Verbi interpretatione , ſiue fidei doctrina agatur , ſiue ex fidei analogia, loci cuiuſdam obſcuri explicatio depromenda ſit,

ſit, ſequendam eſſe eam regulam quam Spiritus ſanctus perſcripſit, *Vt Spiritualia cum iis quæ ſpiritualia ſunt, & ſpiritualiter quidem comparentur*: 1.Cor.2.13. Non verò ex Lesbia illa humanæ ſiue rationis ſiue intelligentiæ (ſiue magnificentius quoddam aliud eſt vocaculum) regula, Veritas æſtimetur. Duo igitur dicimus, & Rei quæ docetur, & Ingenii diſcentis, maximam habendã eſſe rationem. De re autem hoc cõſtanter affirmamus, Eam eſſe lucem Verbi Dei, vt ſicuti ex eo ſolo ſapere nos oportet, ita ex eo ipſo tota ſui ipſius cognitio ſit haurienda, non verò peregrinæ cognitionis cuiuſdam facibus illuſtranda. Verè enim Propheta, *Lucem illam & lucernam pedibus ſuis*, id eſt vniuerſæ vitæ ducem, atque auſpicem eſſe ait, *Pſal.* 119: vt immaculatam perfectámque doctrinam, & ſcientiam ſalutis: quæ vt veris ſempiterníſque principiis ἀμεταπτώτως ἀμεταπτώτοις innitatur, ita perpetuam habeat conſtantémque doctrinæ ſuæ ἀλληλουχίαν & ſeriem, certam quoque & infallibilem demonſtrationem, & conſtanter veram ξυναληθεύουσαν: vt nihil diſſentaneum aut abſurdum vnquam vſpiam in tota Scriptura inueniri poſſit. Quam Scripturæ ſanctæ demonſtrationem magnus ille & verus Demonſtrator Paulus luculenter deſcribit, *Quæ etiam loquimur non ſermonibus quos docet humana ſapientia, ſed quos docet Spiritus ſanctus, facta illa rerum ſpiritualium cum ſpiritualibus comparatione*. 1.Cor. 2. 13. Sic enim (vt ait Auguſt.) Scripturas temperauit Spiritus ſanctus vt quod alicubi obſcurius dictum eſt, clariùs alibi explicetur. Verbum Dei videlicet habet ſua Axiomata quæ non minus ſimplicibus quàm eruditis patet. Lac eſt illis, his verò ſolidus cibus. Nõ aliò eſt cõfugiendũ vt ſalutis noſtræ cognitio vel ingeneretur vel confirmetur: vel vt errorum

nebulæ diſpellantur. Hoc vno Verbo quo credimus, eo in fide creſcimus: idem illud Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem cuiuis credenti: fidei noſtræ & primordium & incrementa gubernat, donec ad conſtantem illam adulti Chriſti perfectámque menſurā perueniamus. Illud ipſum quod fidei noſtræ firmamentum eſt, eiuſdem eſt experimentum, quemadmodum de Beroenſibus refert Lucas, *Act.* 16. 9. qui auditam ex Paulo doctrinam cum Prophetarum ſcriptis contulerunt, vt viderent an hæc ita ſe haberent. Si cum veritatis hoſtibus dimicandum eſt, non efficacior machina adhiberi poteſt ad mendacium expugnandum, tuédámque veritatem, quàm ipſum Verbum. Certè non alio telo Nicena Synodus Arium, Conſtantinopolitana Macedonium, Epheſina Neſtorium, Chalcedonenſis Eutychen, Auguſtinus Donatum & Pelagium iugulauit. Itaque ſi exiſtimatis Scripturam ſanctam, vel ad ſeipſam tuendam aduerſus impiorum furores, vel ad fideliū animos ſui ipſius cognitione imbuendos, non ſatis per ſe valere, illatáque aliunde luce indigere, grauiſſimè erratis: & Dei veritati, quantùm in vobis eſt, maximam facitis iniuriam: quum eam inconſtantiæ & ἀκαταληψίας ignominia inuratis. Æterna manebit æterni illius Verbi fides & certitudo. Hoc vnicè autem nobis optandum eſt vt animi noſtri cœleſtis illius ſeminis ſalutariter excipiendi ſint capaces: & quum veriſſimum ſit quod ait Ioannes, Hominem non poſſe recipere quicquam niſi datum ei ſit è cœlo, agnoſcendum quoque eſt omnem illam ἱκανότητα, ſicuti ait Paulus, 1. *Timoth.* 4. 1. percipiendi facultatem, totā eſſe à Deo. Quòd ſi in ſcientiis humanis quæ à cœleſti hac doctrina lōgè latéque diſtant, ita comparatum eſt vt eius ingenium qui

ἐπιςήμων debet euadere, cum re ipſa cognatum eſſe debeat, vt ἀγχινοίας vi principia & media rerum poſſit perſpicere, ac proinde ſcientia δὴ πεφυκότος (vt ait Plato) δὴ πεφυκότι innaſcatur: omninò conſtituendum eſt in eo ſcientiæ genere, quam homo animalis percipere non poteſt, & quæ tota ſpiritualiter diiudicatur, nos planè cæcos fore, niſi diuino beneficio animi noſtri illuſtrentur. Neque enim temeraria & profana audacia ad hæc ſacra prouolandum eſt: quæ ſi quibus ſordent, iis ſordẽt quibus mundi huius princeps oculos occęcauit, de quibus dictũ eſt, *Qui ſordet, ſordeat magis.* Sordium tamen illarum ignominia ad ſanctam Dei Veritatem nequaquam redundabit. Ingenii igitur diſcentis magna ratio habenda eſt, ne res nullo ſuo merito accuſetur. Conſtabit hauddubiè Dei Verbo ſua veritas: omnis homo erit mendax, quicunque hanc Veritatem aſpernabitur. Si igitur verum eſt quod ait Filius Dei, *Neminem ad ſe venire, niſi quem Pater attraxerit,* id eſt volentem ex nolente reddiderit, hæc quoque cõditio ad cœleſtem hanc doctrinam percipiendam adiungenda erit, Vti animos noſtros ipſe informet, idoneóſque reddat verbo ſuo ad ſalutem noſtram percipiendo. Hoc primum ſit huius ſcientiæ Axioma, hæc optima ſciendi παρασκευή, quam & ipſam ſingulare Dei donum eſſe tenendum eſt. Apparatum illum bene ſciendi rectè deſcripſit his verbis Auguſtinus de doctrina Chriſtiana, *Opus eſt miteſcere pietate, neque contradicere diuinæ Scripturæ ſiue intellectæ (ſi aliquando vitia noſtra percutit) ſiue nõ intellectæ, quaſi nos melius ſapere meliuſque percipere poſſimus: ſed cogitare potius & credere id eſſe melius & verius quod ibi ſcriptũ eſt, etiãſi lateat, quàm id quod nos per nos ipſos ſapere*

poſſumus. Non eſt illa ſtupida & craſſa Ἐχεμυθία, qualem veſtræ Scholæ præſcribunt, ſed Chriſtiana modeſtia, bene ſapiendi auſpex. Melius eſt enim (inquit idem Auguſtinus) *neſcire quàm errare: ſed ſcire melius eſt quàm neſcire: at bene & vtiliter ſciendi elementum eſt, ſciendi ſtudium & reuerentia. Optimus nimirum lector eſt* (Hilarius noſter ait) *qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.* Eccur autem cibo culpam crudi & proiecti ſtomachi imputabitis? Non eſt igitur Verbum Dei Leſbia regula, Ieſuitæ: eſt ſempiterna veritatis amuſſis, ſemper eadem, ἀστραβὴς, ἀμετάπτωτος: quantumuis illius nomine impii & profligati homines ad ſuam perniciem abutãtur: eſt denique bona Chriſti fragrantia Deo in iis qui ſeruantur, & in iis qui pereunt (quemadmodum ait Apoſtolus) his quidem, odor mortis ad mortem: illis verò, odor vitæ ad vitam. Qui Prophet. & Apoſt. autoritatem quæ omni exceptione maior eſt, aſpernabitur, ille ſcilicet nonſcripti cuiuſdam Verbi humanarúmque doctrinarum autoritati acquieſcens, ſeria commouebitur ad Deum ex animo colendum renerentia, qui Dei Maieſtatem in verbo ſuo elucentem contempſerit! Quidnam verò miſeris conſcientiis fiet, ſolidam vitæ æternæ ſecuritatem ſolicitè quærentibus, ſi quæcunque extant de ea promiſſiones, ſolo hominum iudicio fultæ ſubſiſtent? Num hanc ſponſionem idoneam iudicabunt, & hoc accepto reſponſo fluctuare & trepidare deſinent? Præpoſterum eſt hoc pro Veritate patrocinium, eam diuinæ Maieſtatis reuerentia non ſatis tutam exiſtimare, vt humanis præſidiis tutior illa firmiórque reddatur. Itaque negamus, Ieſuitæ, (vti hactenus demonſtra-

demonſtrauimus) Verbi Dei certitudinem ab Eccleſiæ Catholicæ nutu arbitrióque pendere. Quòd Eccleſia Verbum illud amplectitur ſuffragióque ſuo obſignat, haudquaquam ex dubia aut alioqui controuerſa, authenticam validámque reddit: ſed quia veritatem eſſe agnoſcit Dei ſui, cui ſubſcribat, cui ſe ſubmittat atque adeò quam colat atque veneretur. Perſpicua eſt & firma Veritas in verbo Dei: Scripturæ è Scripturis luculenter emicant, infirmis & robuſtis abundè ſufficiunt. Ex eo controuerſias omnes dirimi, Veritatem à mendacio diſtingui, germanam verámque Eccleſiam ab adulterina & falſa dijudicari atque diſcriminari, conſcientiarum paci conſuli: impiorum ſannas comprimi: omnibus denique rebus quæ ad certam ſolidámque ſalutis noſtræ cognitionem pertinent, veris præſentibúſque remedijs prouideri tàm certum eſt, quàm verum, latiſſimum eſſe inter Veritatem & mendacium diſcrimen: & quàm falſum eſt, Hominis ingenium eſſe rerum omnium menſuram: ſicuti dicebat furioſus Heraclitus: in cujus puteo vt non quærimus Veritatem, ita neque in Verbi illius veſtri Non-ſcripti laqueis: è quibus piæ animæ ſeſe extricare debent, vt perennes aquas è Verbo Dei hauriant & ex eo cibum comedant ſalutarem. Denique, fidei noſtræ non homines, ſed Deum ipſum, qui in Verbo ſuo ſeſe patefecit, fidei noſtræ, illiúſque Veritatis ſuæ, cui illa innititur, autorem vindicémque appellamus.

Quid igitur? Nulláne erit Eccleſiæ autoritas? Imo permagna. neque enim exiſtimandū eſt, Verbi autoritatem cum Eccleſiæ autoritate conuenire non poſſe: ſed ſuo modo, vti iam diximus. Primaria igitur Verbo Dei autoritas debetur, quam ab Eccleſiæ autoritate pendere tam alienum eſt à ra-

tione, quàm Veritatem hominum autoritati ſubijci. Non vani ſunt profectò tituli, quibus Eccleſia Dei honeſtatur: de quibus diximus ſupra. Non tamen ipſa pro ſuo arbitrio, aut noua doctrinæ dogmata condere, aut ſpecie quadam propagare poſſit. E Verbo tota pendere debet. Præclarus omnino eſt Eccleſię cum Verbo conſenſus: efficaciſſima eſt illius autoritas, ad hæreticorum furores compeſcendos: non vanæ denique ſunt promiſſiones Dei, quibus ſe Eccleſiæ ſuæ affuturum pollicetur. Nos certè, ſi quiſquam, eruditæ illius & veteris Eccleſiæ autoritatem magni facimus: Conciliorum, Patrúmque orthodoxorum ſcripta ſumma cum reuerentia legimus: ſed adhibitis iſtis cautionibus, vt primùm (ſicuti diximus) conſtituamus ecquam Eccleſiam, pro Catholica & veteri, ecquos pro Patribus orthodoxis habeamus. Non enim veterem & orthodoxam Eccleſiam vocamus eam, quæ poſt aliquot ſæcula in medijs Papatus tenebris extitit: neque Magiſtrum ſententiarum, Gratianum, Thomam, Scotum, Bielem, Bonauenturam, Maiorem, Durandum, totam denique illam Angelicorum, Seraphicorum, Cherubicorúmque Magiſtrorum aut Romanorum Pontificum cateruam pro orthodoxis Patribus habebimus, non quòd ab illorum ſcriptis penitus abhorreamus, ſed veluti è ſtercore Enniano colligentes aurum. At enim neque in aureæ illius ſiue argenteæ ætatis, quæ vel proxima fuit Apoſtolis, vel illorum ætatem poſtmodùm conſequuta eſt, Doctoribus orthodoxis, quos eo numero habemus & vt Patres veneramur, omnia indiſcriminatim amplectimur: ſed adhibita Apoſtoli regula, Vt videamus aureóne fundamento aurum ſuperſtruxerint, an ſtipulam: illúdque examen ex Verbi Dei igne inſtituimus. Neque certè alia lege

boni Patres ſcripta ſua legi voluerunt, quàm vt ad Verbi ſcripti regulam exigerentur: & tum demũ probarentur, ſi cũ illo conſentirent. Notæ ſunt his de rebus Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi cumprimis voces, quibus ſe ſuáque omnia Verbi iudicio ſubmittere prædicant: quas non exſcribimus vt peruulgatas. Quid? quòd Apoſtolorum etiam ætate incipiebant Satanæ miniſtri ſeſe in Eccleſiam inſinuare: & vetuſtiſſimi ſunt & pernicioſiſſimi errores, quos illis etiam temporibus futuros illi prænuntiabant? Exiſtimemúſne Patrum omnia nullo iudicio recipienda: quum perſpicuum etiam ſit iam tum iniquitatis fundamentum, nihil tale cogitantibus bonis Patribus, Satanam ſuiſſe molitum? Cur igitur & ratione repugnante, & ipſis illis reluctantibus quorum maximè intereſt, omnia ipſorum ſcripta nullo examine adhibito amplexemur? Nondum natum erat decretum, Eccleſia non poteſt errare: & Papa ſiue Romana Eccleſia hoc decreuit. His igitur ita conſtitutis, tum Patres non vt veritatis iudices atque arbitros, (vnicum enim Iudicem veritatis agnoſcimus, Deum ex illo ſuo Verbo ſcripto, quod voluntatis ſuæ expreſſam declarationem eſſe voluit) ſed vt iuratos & vocatos teſtes audiendos eſſe affirmamus: & quidem pro more atque inſtituto legitimorum iudiciorum, vt ſui etiam teſtimonij cauſas reddant: cauſas nimirum non aliunde quàm ex ipſo Verbo, de cuius interpretatione agitur, depromptas. Rectè enim Hieronymus de recta Scripturæ interpretatione loquens, Propoſitum mihi eſt, inquit, non ad meam voluntatem Scripturas trahere; ſed id dicere quod Scripturas velle intelligo. Certè vbicumque Scripturas non interpretor

& de ſenſu meo aliquid loquor, arguat me cui libet: vt cætera ex Patribus in hanc ſententiam penè infinita prætermittamus. Quid igitur? Minúsne ſua Eccleſiæ, ſi ſua Verbo tribuatur, autoritas conſtabit? Imò ne ſua quidem Eccleſiæ, ſi non Verbo primaria. Conſenſus Eccleſiæ Verbi autoritate & certitudine firmatus maximi erit momenti, quem hæreticorum furoribus opponamus. Denique, ita habetote, Ieſuitæ, vos necquicquam ſatagere de illegitimo atque importuno Eccleſiæ obſequio, cui ſatis eſt Sponſi vocem audire, vt ei morem gerat. Hunc maximum ſibi eſſe honorem ipſa arbitratur. Nulla ſanè eſt Eccleſiæ ſine Verbo Dei autoritas, ſine quo nulla eſt ipſa Eccleſia. Sublata Verbi luce, quam Eccleſiæ Solem atque Animam eſſe qui non videt, nihil planè videt, écquid reſtat Eccleſiæ quàm craſſa & infelix ignoratio, & miſera omnium rerum intemperies? Itaque, nullus eſt, & planè ἄλογος veſter hac in re metus, vt de autoritate Eccleſiæ actum ſit, niſi Verbi illius non-ſcripti, & ſine Verbo ſcripto, & contra eiuſdem autoritatem, myſteria in Eccleſiam importentur. Illo metu carete, & veſtrum errorem moniti cauete: niſi perſpicuæ veritati vltrò bellum indicere inſtituiſtis.

Eiuſdem planè generis eſt illud incommodum quod vltimo loco affertis, *Fore nimirum vt ſine illo Verbo non-ſcripto plæraque fidei dogmata repudiētur*, ac proinde Eccleſiæ pereant. Plæraque illa, ad duo reſtringitis, Infantium videlicet baptiſmum, & perpetuam Dei Matris virginitatem. Siqua alia ſint, docere: vt pro virili noſtra vobis laborantibus ſuccurramus. De his duobus nihil quidem cauſæ eſt cur impenſiùs laboretis. præſens enim eſt remedium. Certè, de Infantum baptiſmo certum habemus teſtimonium in Verbo ſcripto, ne

inanem

inanem adhibeatis operam in euoluendis Verbi illius non-ſcripti aduerſariis, ſiue commentariis, aut teſtibus exquirendis. Chriſti hac de re voluntas luculenter his verbis expreſſa eſt, *Sinite paruulos venire ad me, quoniam talium eſt regnum cœlorũ*: & magni Apoſtoli de mandatis ſuis diſerta explicatio, *Liberi veſtri ſancti ſunt*. Signum-ne iis denegetur quibus data res eſt? Expreſſum extat Dei mandatum de infantibus octauo die circuncidendis. Quum Baptiſmum in Circumciſionis locum ſucceſſiſſe vos quoque agnoſcatis, (eſt enim vtrũque Sacramentum remiſſionis peccatorum, & mortificationis Iuſtitiæque noſtræ ſigillũ) & vberiorem quàm ſub lege gratiam nobis datam eſſe prædicetis: cur minus erit bene noſtris ſub Euangelio, quam Patrum infantibus ſub Lege: quum Eccleſiæ ius peræquè ad noſtros ac ad illorum liberos pertineat? Totas familias Apoſtoli baptizarunt: an infantes prętermiſerunt? Verùm alia argumenta prætermittimus à noſtris Eccleſiis Anabaptiſtarum furoribus oppoſita, quos ſine veſtri illius Verbi non-ſcripti myſteriis illæ potuerunt refutate. At cur eodem iure mulieres à ſacræ Euchariſtię communione non exturbatis, & ad Verbum illud non-ſcriptum reuocatis, vt mulieres quoque vobis obligetis? Pudet ſanè pigétque veſtræ ϐαττολογίας. millies enim repoſita reponitis, vt toties refutata iterum refutentur. Quod autem de perpetua ſanctæ Mariæ Virginis, quam inter omnes mulieres feliciſſimam credimus, & eruditæ vetuſtatis more Dei-Matrem etiam appellamus, virginitate dicitis, perexiguum ſanè eſt: dummodo auguſtum illud & planè diuinum de Virginis partu myſterium retineatur, *Ecce virgo pariet*. De quo myſterio dilucida extant in Prophetarum & Apoſtolorum

ſcriptis teſtimonia. Si nato Chriſto Mariam Ioſephus cognouiſſet, ecquid tandem eſſet incommodi, quum in ſanctæ Virginis matrimonio Chriſtus matrimonium ſanctificare voluerit, & miraculo primùm à ſe edito illud honeſtare? Verùm de his non diſputamus. Veteris enim & orthodoxæ Eccleſiæ de perpetua Dei Matris virginitate hac in re ſententiam amplectimur: & Hieronymi ſtudiũ aduerſus Heluidium probamus: prudentiam deſideramus, quòd in virum non alióqui (vt apparet) malum neque indoctum, tanto impetu inuehatur. Sed ad perpetuam ſanctæ Θεοτόκου virginitatem, nihil opus erat ad Verbum illud Non-ſcriptum confugere, quum ex ſcripto ſatis perſpicuè poſſit illa colligi. Ait enim diſertè Scriptura, Ioſephum non cognouiſſe Mariam donec peperiſſet filium ſuum: eodem planè genere dicendi quo dicitur Michol Dauidis vxor nullos liberos ſuſtuliſſe vſque ad dié obitus ſui, id eſt nunquam; & Chriſtus ipſe in cœlum aſcendens, Ecce vobiſcum ero, inquit, vſque ad conſummátionem ſæculi. Ex quibus verbis colligi non poteſt; Chriſtum nobiſcum non eſſe futurum poſt conſummationem ſæculi. Particula enim *Vſque*, interdum ita refertur ad tempus præcedens vt de ſequenti non affirmetur contrarium: quemadmodum magnus ille Theodorus Beza, quem omnium doctorum conſenſus Theologum appellat, vobis, Ieſuitæ, illum necquicquam laceſſentibus, in aureis illis ſuis Annotationibus doctiſſimè ſcripſit. Atque hæc quidem in veſtrarum Aſſertionum ἐνστάσεις breuiter dicta ſunto.

Pura putáque Ieſuitarum bilis, meræque calumniæ.

RESTANT Cholæ, quas Scholæ illæ veſtræ Turnonij imperij oppidoquàm infelices, impertu-

portuniſsimis calumniis in nos nihil tale merẽtes effuderunt. Sed ſi argumentis veſtris argumenta noſtra oppoſuimus (etiam iuuimus vt meliùs perciperentur) non idcirco conuitia conuitiis regeremus. Parcat vobis Dominus, & huic noſtro de veritate ſua illuſtranda ſtudio benedicat, neque ſinat irritum eſſe hunc laborem noſtrum. Certè, vt Veritate vos vincimus, ita vincemus modeſtia. *Nos pro libidine ſacras Scripturas interpretari*, calumniam eſſe Dominus Deus noſter nouit: quem ardentibus votis precamur vt nominis ſui reuerẽtiam augeat in cordibus noſtris, & ſanctæ ſuæ Veritatis cognitionem magis ac magis illuſtret in nobis. Certè, nobis etiam tacentibus, & verba & ſcripta noſtra abundè teſtabuntur, ſacras illas Scripturas, quas fidei noſtræ fundamentum poſuimus, duces & auſpices eſſe omnis ſcientiæ eius, quam de ſalute noſtra retinemus: atque adeò à tam putida calumnia nos apud omnes æquos iudices omnino liberabunt.

Nos pro fidei decretis hæreſiarcharũ errores tanto ſtudio amplecti, vt ſatius ducamus ipſas Scripturas negare, quàm illarũ ineptias repudiare, tã falſum eſſe quàm hoc ſcomma illiberale, & ſycophanticum, id eſt planè Ieſuiticum, noſtrorum ſcriptorum & libertas & reuerentia demonſtrat: illa quidem, in hominum noſtrorum ſententiis liberè expendendis atque excutiendis: hæc, in ſacrarum Scripturarum myſteriis religioſè excipiendis. Fideles quidem Dei ſeruos in magno habemus pretio, vt auguſta Dei dona: in iis Deum tantorum bonorum autorem, colimus atque veneramur: vobis vt idolorum, ita hominum væſanum cultũ, id eſt vt εἰδωλολάτρειαν, ita ἀνθρωπολάτρειαν planè relinquimus.

Quòd autem nos accuſatis ſacrilegij, & falſi, &

Nn.iiij.

plagij, *quaſi bonam partem ſacrarum Scripturarum, quas Antiquitas approbauit, è ſacrorum Codicum numero tollamus*: tam falſum eſt quàm verũ ex noſtra confeſſione conſtabit, Nos veteris & noui Teſtamenti libros omnes, quos vetus & Catholica Eccleſia agnouit, conſtãter amplecti. Quòd de Macchabæorum libris adiungitis, planè eſt inane & importunum. Ecquis veſtrûm neſcit Canonicorum & Apocryphorum librorum diſcrimen, & in veteri Inſtrumento ἱερογράφους & Canonicos Hebraicè haberi: eos qui Græcè ſcripti ſunt, ad Apocryphos referri? Inter quos Apocryphos quin Macchabæorum libri cenſeantur, écquis vnquam dubitauit? Nóſne huius diſtributionis ſumus autores, an eruditæ vetuſtatis celeberrimi ſcriptores & Græci & Latini? Hos libros in expoſit. Symbol. Eccleſia quidem recepit, ſed eo modo quem Cyprianus notat, vt in Eccleſijs legantur, ſed non quò fides noſtra inde confirmetur. Hierõymus, dum hos Macchabæorum libros citat, ſolet de his cauere, addita exceptione: Si quis velit credere aut recipere. Auguſtinus receptos quidem eſſe ait, ſed non vt pares Legi, Prophetis & Pſalmis. Euſebius quoque ex Melitone Sardicenſi Epiſcopo, in cenſu librorum Canonicorum non habet: neque Epiphanius, ſolertiſſimus alioqui rerum Eccleſiaſticarum indagator. Quid? quòd & illorum librorum autor intelligi voluit quantùm his ſuis ſcriptis tribuendum eſſe exiſtimaret? Si rectè, inquit, ſcripſi, eſt quòd volui: ſin exiliter & tenuiter, eſt quòd potui. Hæccine Spiritus ſancti Maieſtas? Itáne loquuntur Prophetæ & Apoſtoli? Atqui ſi ex Apocrypho Inuocationem pro defunctis & Purgatorium, contra ſempiternam ſcriptæ Veritatis Legem, Iudæ exẽplo probare inſtituitis: cur
non

non ex eodem libro Raziæ illuſtris viri, qui ex rebus præclarè geſtis ibidem commendatur, exemplo fortiis. quemque hortamini vt ſeipſum interficiat: quòd ille, ne in manus hoſtium veniret, manus violentas ſibi intulerit? De Purgatorio, quandoquidem obiter egiſtis, & breuitati ſtudemus, aliàs, quũ neruoſiora quàm ea quæ è Macchabæorum libris protuliſtis ad Purgatorij defenſionem argumenta edideritis, vobis reſpondebimus. De prima igitur Quæſtione (quantùm quidem ad inſtitutæ ſcriptionis rationem videbatur) hæc breuiter dicta ſunto. Proximum eſt vt ad ſecundam, quæ eſt de Idolis ſiue Imaginibus, Quæſtionem accedamus.

DE IDOLIS, id eſt, IMAGINIBVS: Quæſtio ſecunda.

Veſtra hæc ſunt verba in quarta Aſſertione.

4 *Tanto præterea pietatis hoſtes in Chriſti Domini, Sanctorúmque imaginibus confrigendis furore inflamatos fuiſſe ſcimus, vt omnem exuiſſe humanitatem viderentur: quũ tamen nullo Dei mandato imaginũ vſu Chriſtianis eſſe interdictũ docere poſſint: & Beza nunc eorũ anteſignanus, nuper Huſſitarum, Lutheranorũ, & ex aliis ſectis ſicariorum imagines typis Geneuæ excudendas curarit: qua in re hoc vnum ſe in votis habere profeſſus eſt, vt Domini noſtri Ieſu Chriſti Diſcipulorúmque eius memoria, ſempiterna obliuione deleretur: perditorum vero hominũ, qui hereſeon portentis Eccleſiã perturbarũt, recordatio perpetuò vigeret, atque in omniũ non modò animis, ſed etiam oculis defixa reſideret.*

Academiæ Reſponſio.

Diſtincta Quæſtionis notatio, è Ieſuitarum inuolucris explicata.

Principale crimen generis humani (vt Tertulliani verbis vtamur) defendendum, Ieſuitę, ſuſcepiſtis. Periculoſum ſanè patrocinium, eóque etiam magis, quòd non Verbo illo veſtro non ſcripto, ſed Veritatis ſcriptæ luce, & Deo quidem iudice, non Romano Pontifice, tota ſit controuerſia dirimenda. Iam & quorſum veſtra hæc phalerata loquacitas? Ita enim omnia inuoluitis, vt non Theologicę diſputationes, ſed tyronum veſtrorum declamationes eſſe videantur. Mentem igitur veſtrā ita euoluemus,

Nefas eſt Christi Domini & Sanctorum imagines euertere.

Id autem his rationibus probare conamini, vt doctrinæ noſtrę, quę Idola ex Verbo Dei abominatur, odium inuidiámque cōfletis. Veſtra autem argumētatio grauiſſimorum incommodorum demonſtrationem complectitur, crudelitatis, impię ſcelerátęque aduerſus Deum audaciæ: & *ἀντεναγωγὴν* ab aduerſarii exemplo petitam, vt illum proprio telo iuguletis. quo genere argumentationis nihil efficacius aut vehementius excogitari poteſt.

Generalis Reſponſio ad hanc Quæſtionem.

Argumenta igitur illa veſtra expendamus, vt perſpicuum ſit an ex mala cauſa bonam facere poſſitis, primaria Quæſtione priùs hunc in modum conſtituta:

Fas-

Fás-ne ſit Idola ſiue Imagines confringere?

Vos iam audio confeſtim excipiẽtes, Aliud eſſe idôlum,aliud Imaginem. Sit-ne verum hoc diſcrimen,mox videbimus:nunc videlicet hoc agitur, Sit-ne fas Iouis ſiue Apollinis, quorumlibét ve aliorum Diuorum, quos vana illa Ethnicorum ſuperſtitio comminiſcebatur, & adorabat: ſiue, perſonarum planè diſſimilium,Chriſti,Mariæ:Petti,Pauli cæterorúmque Sanctorum,quorum feliciſſima in Eccleſia memoria eſt, ſtatuas imaginesve euertere? Reſpondemus, Publicas perſonas à priuatis eſſe diſtinguẽdas.Epheſina Synodus eum iubet eſſe anathema,qui priuata autoritate ethnicorum Deorum ſtatuas ſeu imagines aut perfregerit,aut profligarit.& rectè. Ad otium enim trãquillitatémque Reipubl.pertinet, nequis priuata autoritate quicquam in Republ. ſuſcipiat. hac enim ἀταξία nihil pernicioſius excogitari poteſt. De Magiſtratu longè aliud eſt: qui vt cuſtos eſt Religionis, eiúſque in ea ſarta tectáque tuenda, officium & dignitas maximè verſatur,ita etiam omni fide,ſtudio,& diligentia elaborare debet, ne in ſui imperii finibus, idolorum furores impunè debacchentur.Laudantur itaque pii Reges in Iudæa,qui ſublimia loca Idoláque ſubuertiſſent: & Gedeonis exemplum inconſiderato priuatorum hominum zelo haudquaquam fauet,quum id certo Dei mandato feciſſe cõmemoretur. Religionis igitur conſtitutio aut deſtitutio, id eſt,antiquatio atq; abrogatio(quòd ad externos quidẽ ritus attinet)ius eſt Magiſtrat⁹.Priuato nihil licet in Repu. iniuſſu Magiſtratus.Quid igitur? Magni illius Cõſtãtini pietatẽ & cõſtãtiã veneramur,qui nõ modò

ethnicorum Deorum templa occludi iuſſit, ſed & eorumdem idola perfringi: Priuati hominis ardorem improuidum è quantumlibet pio conſilio naſcentem improbaremus, qui idem faceret aut aggrederetur. Quamobrem (ne in re perſpicua diutiùs immoremur) hoc dicimus, Ieſuitæ: Vt idola variis in locis confracta eſſe non modò lætamur, ſed & in vniuerſo terrarum orbe id fieri peroptaremus: ita intemperiẽ in hoc Regno temerè peruagatam nunquam probauimus, etiamſi pio zelo à nonnullis id factum fuiſſe arbitremur: Iehu rapidum aut fucatum zelum, neque probauimus vnquã neque probabimus. Ex animis Idola per Verbum potius eſſe deturbanda, vt è templis per ſe, Dagonis inſtar, concidant arbitramur. Singularem tamen Dei prouidentiam, cuius ſecreta quidẽ ſunt & incognita iuſta tamẽ ſemper iudicia adoramus, qui idolorum vagum & effræne in Gallia imperium ſic interturbauit: quod haud dubiè penitus tum concidiſſet, Verbi machinis expugnatum, niſi verſipellis ille generis humani Hoſtis, bellorum inciuilium faces importaſſet, vt his artibus hominum animos à Veritate abduceret. Quòd ſi zeli inconſiderati quæpiam poteſt eſſe excuſatio, & Patriæ pietas veterum malorum cicatrices refricari pateretur, non obſcuræ cauſæ comperirentur, è quibus iuſtus dolor ad has intemperies quaſi coactus proruperit. At temporum fuerunt hæ periodi quorum memoriam temporum renouare infauſtũ eſſe arbitramur. De vobis autem, Ieſuitæ, qui viuos ſempiternis odiis ita proſequimini, vt in mortuis odia non conquieſcant, quid ſtatuendum ſit, viderint boni & cordati viri, ex his quæ huius orationis primordio à nobis ſunt verè & ſimpliciter annotata. Verùm de his ſatis ſuperque.

Hoc volumus, Ieſuitę, hoc optamus, hoc ad pios

Magi-

Magiſtratus pertinere contendimus, vt Idola, id eſt imagines,Iouis,Iunonis,Mineruæ,Chriſti,Mariæ, Petri, Pauli (eodem enim furore & Chriſti Domini,& Sanctorum nominibus abutimini)deturbent,confringant,conterant: Ezechiæ & Ioſiæ laudatiſſimorum Regum exemplo, Idolorum furores in ſuis ditionibus obtinere ne patiantur. Priuatis nefas eſſe, iniuſſu Magiſtratus, Idola Iouis,Iunonis,Petri,Pauli, confringere affirmamus. Rem denique probamus:legitimum modum in ea deſideramus.

Peculiaris reſponſio, ad ſingulas obiectiones quæ cùm à Ieſuitis hìc obiter notantur, tum à cæteris Idolorum patronis afferri ſolent.

Veſtras autem rationes,Ieſuitæ, à ratione prorſus alienas eſſe vos ipſi non animaduertitis?Haud certè tolerabile videtur, vos veſtræ illius Loquentię,cuius laudem tãtopere affectatis, retia hìc expandere, ad ſimplicium animos illaqueandos.Affirmatis nullo Dei mandato imaginũ vſum Chriſtianis eſſe interdictũ.Ecquem vobis crediturum exiſtimatis, quum vos ipſi id contra perſpicuam veritatem dici planè noritis? Quaſi verò vos neſciatis diſertiſſimis Dei mandatis,ſiquid maximè, Idolorum cultum fuiſſe interdictum! Pudet nos ſanè veſtrę impudentię: quo enim alio nomine veſtram illam incredibiliter pręfractam in obruenda Veritate audaciam appellaremus: qui millies expreſſam in Verbo Dei idolorum deteſtationem negetis?

Atqui parata erit vobis reſponſio, *Non illo iure vtimur*. Ex non-ſcripti Verbi oraculis Imagines adorandas eſſe dicimus.Eccleſię enim Catholi-

cæ-Romanæ autoritate & ſententia factum eſt Senatus-conſultum, vt hoc de Idolis interdictum è Legis Dei tabulis deleretur: ac proinde nouo hoc decreto vetus antiquatum fuit, & in illius locum Miſſæ audiendæ mandatum introductum eſt: & quoniam erubeſcimus ſine lege loqui, ex præſcriptis verbis agemus. nam in Catholicæ-Romanæ decalogo ita diſertè apud nos habetur:

Les dimanches Meſſe orras
Et feſtes de commandement,
Et ton Createur receuras
A tout le moins vne fois l'an.

Et veſter Catechiſmus ex eodem illo Verbo non-ſcripto, id eſt Concil. Agath. & Latera. decretis, *Sacrum Miſſæ officium diebus feſtis reuerenter audito.* &, *Sacroſanctam Eucharistiam vt minimum ſemel in anno, idque circa feſtum Paſcha ſumito.* De idolorum ſiue imaginum interdicto merum ibi ſilentium.

Si ita eſt, vt eſt, Ieſuitę, quid moramur? Non modò ad παράδοξον, ſed ad Falſi quoque metam perueniſtis. Sacroſanctam Dei Legem immutare ecquidnam eſt aliud, niſi blaſphemiæ ſcelus? Mendacii indicatio, veritatis victoria eſt, aiebat Tertullianus. Sed audimus quid excipiatis. Ad veſtras quidem illas de Idolorum ſiue Imaginum patrocinio rationes (ſi ratio id eſt, rationem peruertere) inuiti accedimus, ne toties repoſitam crambem reponamus: eſt tamen neceſſe vt eas obiter notemus, ne ludificando & eleuando, ſiue quouis modo præuaricando, (vt vos ſæpe ſoletis, quum ratio vobis deeſt) veſtra hęc de imaginibus ſententia à nobis refutata fuiſſe videatur: quamuis ex eo rerum genere ſit, in quibus vt valdè importunis & abſurdis, illud Apoſtolicum *Abſit* vſurpandũ ſit.

Hæ

Hę ſunt igitur ferè exceptiones ve?rę.

Aliud eſt, dicitis, *Idolũ, aliud Imago.* Magnum eſt inter duo illa vocabula diſcrimen. Si nobis res eſſet cum tenebricoſi illius ſęculi ſcriptoribus, quibus fas erat dicere *Gracũ eſt non legitur*, pręiudicatę opinioni veniam tribuendam eſſe exiſtimaremus. At vos qui è mediis Athenis profecti, tam exquiſita linguæ Græcæ cognitione polletis, vt publicas etiam declamationes in Academia veſtra habeatis, quò ad nouum illud ſpectaculum omnes confluamus, hanccine diſtinctionem admittetis?

Quum de vocis notione, ex qua rei vis & natura intelligenda eſt, agatur: liceat in quæſtione Theologica paucis grammaticari. Εἴδωλον gręcum vocabulum, latinè eſt Imago ſiue Simulachrum eadem planè ratione, eodémque vocis etymo: illud quidem, παρὰ τὸ εἴδειν: hæc verò, ab imitando: at hoc à ſimulando. appellatur enim εἴδωλον, quicquid eſt quo repreſentatur nobis forma rei alicuius vel fictæ vel etiam veræ. Εἰκόνος eadem ferè eſt ſignificatio, παρὰ τὸ εἴκειν, quod eſt, εἰκάζειν, *ſimilem eſſe.* εἴδωλον certè & εἰκὼν apud Platonem idem planè eſt variis in locis, in quibus Cicero Imaginem & ſimulachrum verrit: & Plutarchus vtrunque cõiunxit, Εἰ λόγος μὲν ἔργου, λόγου δὲ μῦθος εἰκὼν καὶ εἴδωλόν ἐστι. & alibi εἴδωλον interpretatur μίμημα, his verbis, ἕκαστον ἑκάστου μίμημα τῇ φύσει καὶ εἴδωλόν ἐστι γεγενημένον. Quod Homerus εἴδωλα καμόντων dixit, Virgilius Imagines mortuorum.--- *Adraſti pallentis imago.* Sic nimirum ex vſitato illo cõmunis ſermonis more, Eccleſiæ ſcriptores Ethnicornm Deorum ſimulacra & ſtatuas, Εἴδωλα appellarunt. Tantum eſt igitur inter Idolum & Imaginem diſcrimen, quantum inter ψεῦδος & mendacium,

σκύβαλον & quiſquilias, κόπρον & ſtercus: quibus etiam vocabulis fœdis ſancta Hebræorum lingua fœdiſſimas idolorum intemperies deſignauit. Vocat enim *Elilim*, id eſt vanitates: & *Tohu*, inane: & *Gilulim*, id eſt ſtercora & immunditias, & *Hotzeb*, id eſt triſtitiam: & *Miphletzet*, terrorem: longè veriùs quàm inſanus Græcorum furor, qui ἀγάλματα quaſi lętitias, phantaſticam illam de Deo imaginationem, quà ſe cæco errore paſcit animus humanus, nominauit. Iam verò, quod in his vocum decipulis luſurum hominis ingeniũ ſapientiſſimus Deus præuidebat, in interdictò de Idolis cauere voluit propriis nominibus: *Non facies tibi Peſſel*, ſculptile, τὸ ξόανον, quamlibet ſtatuam, τὸ ἵδρυμα: adiũgit, *Neque Temuna*, id eſt vllam imaginem: quo vocabulo εἰδώλου ſiue εἰκόνος nomina deſignaret: ne humanum ingenium auderet vlla forma Deum ſibi repreſentare. Eſt enim notum è Natura hoc principiũ, *Sempiternum quidẽ Deum ſola mens videt, omnium harum rerum principem & parentem*: id eſt, Θεὸν τὸν μὲν αἰώνιον νοῦς ὁρῇ μόνος τὸν ἁπάντων ἀρχαγὸν καὶ γενάτορα τουτέων: vt aureis verbis Timæi antiquiſſimi ſcriptoris vtamur. Et ne ingenium humanum, vanorum commentorum ferax, aliquid haberet quod ad excuſationem prætexeret: & Cœlum, ex cuius contemplatione prima ſuperſtitionis origo promanauit, & Terram & Mare permeauit Dei ſapientia: nequis in rerum Vniuerſo eſſet angulus, ad quem Interdicti huius vox non perſonaret. Nónne vos igitur pudet, Ieſuitæ, his nugaciſſimis mendaciis Idolorum furores in miſerorum populorum animis fouere: & ita abuti ſimplicium imperitia, vt vocularum iſtarum falſa diſtinctione portentoſiſſimi erroris inſaniam adaugeatis?

Atqui, excipietis, *Idola ea quæ tantópere vetat Deus*,

Deus, erant Idola Ethnicorum: ſtatuæ videlicet Iouis, Iunonis, Palladis, & cæterorum Deorum, qui planè ſunt nihil. Nos autem & Chriſti, & ſanctæ ipſius matris Mariæ Virginis, Petri, Pauli & cæterorum Sanctorum, quorum memoriam feliciſſimã vigere, & oculis noſtris quotidie obuerſari intereſt Eccleſiæ, imagines habemus. Quaſi verò non eadem prorſus ſit Idololatria? Commutata quidẽ ſunt nomina, at res vna atque eadem omnino manſit. Imò grauius peccatis, qui Chriſti Domini noſtri ſacro auguſtóque nomine, Sanctorumque virorum nominibus, ad fœdiſſimam ſuperſtitionem abutimini. Et mendacis verſipelliſque Spiritus veteratoriæ ſunt hæ machinæ. Superſtites illos ad ſæuiſſimam vſque mortem eſt perſequutus: quorum nominibus impudenter abutatur, vt ea ſpecie ſimplices circumueniat, & ipſorum doctrinam ſuis machinis expugnet. Non ita iuſſit Apoſtolus, vt vos, Ieſuitæ, (quibus id vnicè penſi eſt, vt collapſa mendacij rudera inſtauretis) Chriſtum depingi, ſed voce Euangelij: non picturatis illis imaginibus, quas veſtrarum præſtigiarum inſignia eſſe vultis. *Gal.* 3.1.

Quòd ſi reſpondetis, *Honorum religioſorum varia apud vos eſſe genera*: Λατρείαν, vos Deo: Δουλείαν, Sanctis: & Ὑπερδουλείαν, ſanctæ Virgini Mariæ, & Crucis ligno tribuere: quæ veſtri illius purulenti & veteris carcinomatis fœda eſt egeſtio: iterum profitebimur, vos, verborum ſtrophis miſeras hominum conſcientias impudenter circumuenire. Vt vt enim Λατρεία de Deo (ſicuti & δουλεία) dicatur: eſt tamen verum, & vobis vel mediocriter in lingua Græca verſatis cognitum, Δουλεύειν plus eſſe quàm Λατρεύειν. De amico obſequio dixit Plato, Atticorum ſcriptorum ἀττικώτατος, Fas eſſe λατρεύειν μὲν τοῖς φίλοις, δουλεύειν δ' οὔ, id eſt

Obſequio colendos amicos non verò illis eſſe aſſentãdum. & Plutarchus τ̀ τῶν φίλων θυμήρη λατρείαν dixit .i. Iucundum amicorum eſſe obſequium. Phocylideum quoque nemo neſcit, Καιρῷ λατρεύειν. At τὸ δουλεύειν, magis eſt, & maioris obſequij vocabulum. Ita vel Sanctis plus quàm Deo tribuitis, vel Sanctos æquatis Deo: vt ſiquis Gallicè dicat, *Qu'il faict plaiſir à Dieu, & ſeruice aux Saincts.* Rectiùs Apoſtolus, ſe δοῦλον Chriſti vocat: & bonus ille Angelus (non malus ille veſter εἰδωλομανίας Genius, huius diſtinctionis autor) Ioanni ad ipſius pedes adorandi cauſa procidenti edixit, *Vide ne hoc feceris: σύνδουλος enim ſum tuus.* Apocalypſ. 22. 9. Hæc Δουλεία de Deo diſertè dicitur. At veſtrę illius commentitiæ Δουλείας iugum vt fugiamus, luculenter monet Apoſtolus, *Gal. 5. 1. Ne contrario implicamini δουλείας. i. ſeruitutis iugo.* Totum autem illud veſtrum Ὑπερδουλείας commentum, ὑπερβλάσφημον eſſe intelligamus. Ex eo nata ſunt ſuauiſſima illa carmina, ad ſummam ſcilicet Diuæ Virginis laudem à vobis excantari ſolita, *Roga patrem, iube natum: Iure matris impera.* Certè ſummam ſibi fieri iniuriam, ipſa teſtatur: quippe quæ ſe Domini famulam, non Cæli Reginam vocat. Apagè igitur tenebricoſæ Ignorantiæ impudentes has blaſphemias.

Paratam tamen vobis eſſe exceptionem audimus. *Vos nihil minùs cogitare quàm vt Deum quem incomprehenſibilem & infinitum Spiritum eſſe agnoſcitis, & Diuos, quos in Cælo eſſe ſempiterna felicique quiete fruentes agnoſcitis, in his imaginibus includatis:* ſed iſta eſſe inuiſibilis Dei (nam vos ſanctam Triadem in Catechiſmo etiam veſtro, vt hoc veneno iuuentutem imbuatis, audetis inaniſſimo commento depingere) aut Chriſti aut Sanctorum abſentium monumenta, quibus

hominum

hominũ animi efficacius permoueãtur, vt de officio ſuo vtiliùs cogitẽt. Diſertũ eſt Verbi illi⁹ veſtri non-ſcripti Edictũ, *Venerabiles imagines Christiani non Deos appellãt, neque ſeruiũt eis vt Dijs, neque ſpẽ ſalutis ponũt in iis, neque ab ijs expectant futurũ iudicium: ſed ad memoriam & recordationem primitiuorum, venerantur eas & adorant: ſed non ſeruiunt eis cultu diuino, neque alicui creaturæ.* & Gregorius ille nominatiſſimus, *Quod legentibus Scriptura, hoc & idiotis præſtat pictura cernentibus: quia in ipſa ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt qui literas neſciunt. vnde & præcipue gentibus pro lectione Pictura eſt.* Has olim exceptiones Ethnici, Chriſtianis vecordiam ſuperſtitionis illis obiicientibus regerebant: ſicuti ex Porphyrij monumentis apparet: & Plato, poſtquam faſſus eſt neque neceſſariis neque probabilibus argumẽtis intelligi poſſe plures eſſe Deos, id tamen credendum eſſe ait propter Legum ſeueritatem. Idcircóne minus Idololatras eos fuiſſe arbitremur? Verbúm ne illud veſtrum non-ſcriptum Verbo Dei ſapientius eſt? *Cauete ab Idolis*, inquit Ioannes. Non dixit ab Idololatria, à qua omnes alienos ſe eſſe profitentur: ſed ab Idolis, quæ caſtos alioqui animos ſolent corrumpere. Hac de cauſa Lex Dei non modò vetat nequis idola colat, ſed ne ſe eis incuruet: vt ex externo illo geſtu animum ab impietate planè alienum eſſe aliquis cauſetur. quod certè fieri nullo modo poteſt. Caſta matrona lupanar ingredietur? Hoc enim genere dicendi Prophetæ, Gregorio longè ſapientiores, Idolorum fœditatem repræſentant. Si homines veſtri in illis imaginibus nihil diuini eſſe arbitrantur, cur eas nihil exaudituras inuocant? cur inter Diuum & Diuum differentiã ſtatuunt: cur Bona illa Dea veſtra,

(quam vocatis, id eſt *la Bonne Dame*) in Velaunijs quàm in Rhutenis maiorem allicit amatorum multitudinem? Nulla eſt legitima obedientia, niſi mandatum fuerit antegreſſum? Quis enim hoc requiſiuit è manibus veſtris? Imò cur ſupra id quod ſcriptum eſt, vultis ſapere, & diſertis Dei mandatis repugnatis? Si Idiotæ qui literas neſciunt, hoc indigent remedio ad memoriam leuandam, cur vos Magiſtri in Iſraele, imaginum manipulos agglomeratis: Academiam veſtram pictuaratis Catechiſmis, imaginibus, puppis, quas *Agnos Dei* appellatis, omnibus imaguncularum denique generibus repletis? Eas-ne craſſæ cuiuſdam & plumbeæ inſcitiæ primitias eſſe vultis ei iuuentuti, quam docendam ſuſcepiſtis: vt mutam & vecordem, ſicuti veſtras mutas illas imagines, efficiatis? Et audebitis piæ eruditionis hæc tyrocinia appellare? Etiam ita vobis indulgetis, vt in veſtro illo paruo, quē vocatis, Catechiſmo, Paradiſum (quem oculus non vidit, auris non audiuit, imo ne cogitauit quidem animus) depingere audeatis. Ecquid eſt in re maximè ſeria non nugari modò, ſed & inſanire, & faſcinis præſtigiiſque illudere, ſi hoc non eſt? Si imaginibus eſt opus eloquentibus, quæ gloriam Dei annuntiãtes, vel rerum imperitiſſimos ad Dei cognitionem erigant, Cœlum oſtendite, immēſæ illius Maieſtatis thronum: Terram verò paternæ erga ſe liberalitatis pènu, emicantia ſuo miniſterio miracula Agricolæ vobis ſummonentibus, contemplantor: ſeipſos, liberos, vt pulcherrimas Dei imagines ſuſpiciunto. Diſcant vobis docentibus pueri, vel ex ſanioris Philoſophi verbis Parentes ſuos domi eſſe imagines Dei, vt illos maiore cum pietate & reuerentia ament & colant. Imagines autem illæ veſtræ quàm vtiles ſint idiota-
rum

rum libri,ſi omnem Dei Verbo,quod Verbum Dei eſſe agnoſcitis, autoritatem non demitis, ſaltem ab illo Verbo accipitote. Clamat Hieremias, *Lignum eſſe doctrinam vanitatis*: Habacucus, *Conflatile eſſe doctorem mendacii*, concionatur. Ecquí potiùs fides adhibēda eſt, Prophetís ne an Gregorio: vt ex ipſius ore Lex perferatur, *Imagines eſſe idiotarũ libros*:: illíq; libri omnibus palàm explicētur?

At vos mouet inſtituti huius Antiquitas, Nicenæ Synodi, Irenes iuſſu & auſpicijs ante annos octingentos habitæ autoritas, ſexcentorum Epiſcoporum ex omnibus Mundi partibus conuocatorum ſumma prudentia, ſummúſque conſenſus: Romanæ cumprimis Eccleſiæ ex cuius autoritate & ſententia perlatum eſt hoc Decretum, ſupremum in cæteras omnes Eccleſias ordinaria ſucceſſione & clauium poteſtate imperium. Quid non? Vniuerſi propemodum terrarum Orbis conſenſus, longorum ſæculorum præſcriptio, tot Conciliorum repetita decreta, tot tantorúmque virorum qui poſt Carolum Magnum vixerunt, exquiſitæ confirmationes, quantum habeant momenti ad plenam fidem huic decreto faciendam? Magna ſunt hæc, Ieſuitæ, in ſpeciem, & vobis cum Ethnicis ita communia vt illi vos & multitudine atque conſenſu populorum, & priſcorum continuatorúmque ſæculorum præſcriptionibus, & Imperiorum magnitudine & potentia longiſſimè ſuperarint. Magna quidem ſunt hæc niſi maior & efficacior eſſet Veritas. Quid nobis Antiquitatem opponitis? Vetus quidem error non facit ius. Atqui ne Antiquitas quidem veſtra eſt: ne hiſtoriarum ſicuti verborum hactenus, falſa & ementita indicatione fucũ imperitis faciatis. Id verius quod prius: id prius quod & ab initio: ab initio quod à

Prophetis & Apoſtolis eſt. Poſt annos ſexcentos à redemptione humana per Chriſtum obita, vetus Eccleſia Verbo Dei contenta, illos idiotarum libros ignorabat. Nondum emerſerat contra veræ Eccleſiæ doctrinam commentum illud de Idolis: quod nunquam hauddubiè fuiſſet receptum, niſi Deus ingrati mundi in Euangelij luce furiosè cõtemnenda vanitatem & peruicaciam vlciſcens, efficacitatem erroris iuſto ſuo iudicio ei inflixiſſet. At ne cæcorum hominum concordiam nobis opponitote, in ſtabiliendo mendacio non modò nullam, ſed vehementer quoque deteſtandam. Nulla enim eſt concordia extra veritatem. Neque ad illud tempus huiuſmodi fuit imaginum illarum reuerentia, quin à bonis Epiſcopis illæ confringerentur, ſed ne picturæ quidem in templis tolerarentur: quemadmodum ex Sereni & Epiphanij exemplis apparet. Neque verò huiuſmodi fuit conſenſus, quin & Elibertina Synodus, & bonorum Imperatorum Leonis, Iſauri, qui εἰκονόμαχος idcirco dictus eſt, & Conſtantini Copronymi, filij, populique Chriſtiani pius zelus, impiorum profligatorúmque Epiſcoporum inſaniam deteſtaretur. Acceſſit iuſto Dei iudicio, maior quædam vis per Irenen Conſtantini matrem: quæ vt ab homicida Diabolo ad filij perniciem armata eſt, ſic ab eodem mendaci impuróque Spiritu ad Idolomaniæ furores vehementiùs cumulandos inflammata fuit. Quænam autem & quanta virorum illorum in eo de imaginibus conſtituendo Decreto ſapientia fuerit & iudicium, ex ipſorum ſententijs apparet, quorum extare commentarium Dominus voluit, vt quidnã ſit, Tradi in ſenſum reprobum, intelligeretur: quæ ſanè referre pudet pigétque. Quid enim illud eſt, *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam*: Ergo habendæ ſunt Sanctorum imagines? *Mira-*

bilis eſt Deus in ſanctis ſuis in terra. Sancti igitur ſunt adorandi. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio.* Sunt igitur Sanctorum ſtatuæ in altaribus collocandæ. *Vt audiuimus, ita & vidimus.* Deus ergo non ſolo verbi auditu cognoſcitur, ſed etiam imaginum aſpectu? Hæc ſunt myſteria, Ieſuitæ, veſtri illius Verbi non-ſcripti, quibus vel Bacchanalia aut Feſcenninæ laſciuiæ haud impuriores nugas iactare poſſent. Ecquis verò colophon pulcherrimo ſermoni appoſitus eſt? Theodoſius Mirenſis Epiſcopus, iurauit Archidiaconum ſuum ſomniaſſe, Imagines eſſe adorandas. His maximis illuſtriſſimíſque rationibus frequens Synodus, referente Epiſcopo Romano, cenſuit, decreuit, Imagines Sanctorum in templis Chriſtianorum eſſe collocandas atque adorandas: reuocata ſunt Verbi Dei aduerſus imagines decreta, Elibertiníque Concilij, quo imaginum antiquata fuerāt decreta, penitus abrogata: & Anathemate ſunt multati, qui vel id minimè probaſſent, vel Imperatoribus εἰκονομάχοις operas ſuas contuliſſent. Ecquid aliud eſt rabioſè furere, ſi hoc non eſt? Ite igitur, Ieſuitæ, & noua quædam miracula ſeneſcenti mundo exhibete, augete nouis erroribus deliria, obſoletos & vietos errores reuocate: & probate imperitæ iuuentuti, *Nullo Dei mādato imaginū vſum Chriſtianis eſſe interdictū.*

Aduerſus tam portentoſas inſanias Moſém ne armabimus? An Prophetas excitabimus, Ieſaiæ cōprimis fulmina torquebimus: aut veteris & Apoſtolicæ Eccleſiæ autoritatem afferemus? Quin potius aduerſus ſtupidam vecordémque hanc inſaniam, aut inſanam vecordiam, amentémque ſtuporem, Natura concionetur. Verbum enim Dei iubet hæc nos diſcere à mundi fundamentis: & ita diſputauit Apoſtolus aduerſus Athenieſes. *Act.* 17.

Clamat Varro, *Qui primi Deorum ſimulacra induxerunt, eos & metum demſiſſe & errorem addidiſſe:* & ludit poëta,

> *Olim truncus erã ficulnus, & inutile lignũ,*
> *Quũ faber incertus ſcamnũ faceret ne Priapũ,*
> *Maluit eſſe Deum.* - -

Plato autem è bene morata Ciuitate eos exterminat, qui his commentis Dei immutabilis naturam peruerterent. Numa etiam ille veſter (è cuius panibus azymis quos in ſacrificio altaris offerebat, Miſſæ veſtræ panes repetitis, vt Eccleſiæ Romanæ antiquitatem à maioribus ſuis demonſtretis) noluit imagines in Deorum templis collocari: fieri non poſſe ratus vt inconſpicabilis Dei natura, conſpicabili imagine repræſentaretur: & infiniti, certis locorum cancellis finiretur atque contineretur: & Lex priſca erat Aegyptiorum quæ ſtatuas Deorũ profligabat: quod μεταγινώσκειν τῶν ξοάνων ait Laertius. Veſtrós-ne etiam tacebimus? Gerſon ille nominatiſſimus Pariſinæ Academiæ Cancellarius, quem fortaſſe hæreticum non appellabitis, in ipſo Concilio Conſtantienſi, vbi aderat, Concione *de ſignis ruinæ Eccleſiæ ex defectuoſo Eccleſiaſticorum regimine,* in eodem Cõcilio habita, *& in Declaratione defectuum virorum Eccleſiaſticorum,* ita diſertè loquitur, Defectu 77. *Iudicate* (inquit) *ſi tanta Imaginum & Picturarum in Eccleſiis varietas expediat: & an plures ſimplices nonnunquam ad Idololatriam peruertant.* Perſonam, tempus & Idololatriæ nomen expendite. Quid igitur? Erimus ſcilicet pietatis hoſtes, qui monſtroſæ impietatis abſurdiſſimos errores ex Verbo Dei demonſtrauerimus, & ex Eccleſia Catholica ſuſtulerimus? Vos certè, quibus hoc propriũ & peculiare eſt, vt in Eccleſia

peræquè

peræque ſitis εἰδωλοποιητικοὶ, ac in Academia veteres illi Sophiſtę à Socrate εἰδωλοποιητικοὶ fuerunt nominati, rem veſtram agitis, quum in Idolorum patrocinio, Veritatis idolum Veritati ipſi opponatis. Quidquid tamen ex Verbo non-ſcripto magnificè proferatis, manebit ſempiternum decretũ Verbi ſcripti, *Cauete vobis ab Idolis*: à quibus piæ animæ, quantùm ſaluti ſuæ conſultum cupiunt, omni cura & ſtudio cauebunt.

An pictura planè ſit repudianda: Déque legitimo illius vſu.

Reſtat illa aduerſus Bezam grauiſsima Ἀντίναγωγὴ veſtra: quòd ex illius, imaginum alioqui veſtrarum infenſiſsimi hoſtis, ore, earũ patrocinium defenſionémque inſtituatis. Magnæ profectò induſtriæ eſt, ex ipſius aduerſarij verbis aduerſariũ conuincere. Quomodò verò id colligitis? *Illuſtrium virorũ Iconas, id eſt, imagines Beza ſcripſit, & promulgauit.* Hócci-ne eſt imagines probare? At argumentum amplificatis: *Ille, ſicariorum & perditorum hominũ imagines conatus eſt memoria commendare,* & *Chriſti Sanctorúmque ſuorũ memoriã ſempiterna obliuione delere.* Reſpondebit Beza quum volet, id eſt, quum grauiorum negotiorum occupationes patientur. Nos interea, non tam pro Beza quàm pro veritate reſpondebimus. Eſtis vobis, Ieſuitæ, ſemper ſimiles, id eſt, verſipelles & ſtelliones. Nos veſtrarum technarum imperitos arbitramini, eóque magis decipulis veſtris peruios eſſe cenſetis. Is quippe impoſtor habetur, qui rem dicit alio quàm decet modo, ac proinde veri ſpecie fallit. Ariſtoteles, fallaciæ illius explicandæ rationem, *Propter non cauſam vt cauſam* appellauit, id eſt τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, illiúſque refellẽdę hanc

viam demonſtrauit, vt verſipellem Sophiſtam ad ipſius rei cauſam adigamus. Ita igitur vobiſcum agemus.

Quòd virorum illuſtrium imagines luculenter expreſſit Beza, idcircóne imaginibus veſtris fauet? Num eas in templis aut ſcholis exhibuit, num in larariis ſepoſuit, vt adorandas cuiquam exhiberet? Atqui veſtrarum imaginum hic primarius vſus eſt (ſi corruptela vſus eſt) vt proprio loco conſtitutæ adorentur. Ad has genibus flexis procidiτis, ad has precationes funditis, eaſdémque omni reuerentiæ genere colitis. Hoc ſi audetis negare, res ipſa vos impudentiæ & amentiæ coarguet. Sic ex veſtro illo non-Scripto Verbo mandatum habetis. Picturam certè nemo noſtrûm condemnauit vnquam. eſt enim ſingulare Dei donum, quemadmodum cæteræ omnes artes etiam mechanicæ: & rectè dictum eſt, Οὐκ ἀπόβλητα θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. De Betſalele filio Vri, qui tabernaculum in deſerto conſtruxit, ait Scriptura, *Ex nomine vocatum fuiſſe à Deo*, id eſt è cæteris ſelectum, ſingularíque huius artis induſtria ornatum: & *Repletum Spiritu Dei, ſapientia & intelligentia, ſcientia & in omni arte*, id eſt gemmaria & fabrili: vt vario emblematis genere exquiſitum Tabernaculi opus efformaret. Picturam autem in eo genere cenſeri, quod ad ornamentum voluptatémque honeſtam pertinet, quis neget? Eſt enim iucũda Naturæ imitatio, quæ hominis animum potentiùs aliquando afficit, quàm ipſa Natura. ecquis enim Apellis Venerem, quàm pulcherrimam mulierem, Parhaſii aut Zeuxidis vuas tãto artificio pictas vt non modò aues, ſed peritiſſimos etiam fallerent artifices, non maiori cum voluptate ſpectet quàm in ipſa vinea? vt eiuſdẽ generis infinita, quæ non eſt inſtituti noſtri

comme-

commemorare, prætermittamus. Dicimus verò, vos nobiſcum agere veteratoriè & ſycophanticè. Non enim idcirco negamus fas eſſe imagines,ſiue pictura ſiue ſculptura ſiue alio quouis modo repreſentatas in templis aliiſ-ve locis haberi,vt picturã,ſculpturã,ſtatuariã, aliáſ-ve artes voluptatis cauſa inſtitutas, cõdemnemus: ſed ideò vetitas eſſe Imagines,ne adorentur : quemadmodum diſertè cauet Lex Dei, *Non incuruabis te eis,neque coles ea.* Deus quoque è ſuo Templo ornamenta quædam conceſsit picturæ,ſculpturæ,phrygionicæ.Eò enim referri debet ingens ille & ſplendidus columnarum,portarum,vaſorum, & in eis cælaturarum apparatus.Boues,Leones,palmæ,malogranata,reticula vitium pampinis intertexta, in columnis Templi inſculpebantur. Tabernaculi autem peripetaſma byſsino , hyacintho , linteo cæteríſque exquiſitis operibus conformatum , omnia Phrygiæ tapetia materia & arte ſuperauit. De Cherubinis idem ſtatuendum eſt , quos Tabernaculi ornamentis Lex intermiſcebat : quanquam & puerilis Legalíſque pædagogiæ ea pars erat: vt quemadmodum Angelorum commerciis Patres aſſueuerant ſub hominis forma , quæ Meſſiæ , veri hominis aduentum ſuo tempore affuturi ſignificaret , ita Cherubini in Tabernaculo conſpicerentur : cum aliis quidem , vt præſens illorum ſub Dei imperio miniſterium ſignificaretur piis efficax : operto autem capite, vt omnis ſuperſtitioni anſa præcideretur. Verùm de Cherubinis adorandis , Iudæos ne per ſomnium quidem cogitaſſe vnquam, ex Prophetis apparet : à quibus tam fœdum in tam ſancto loco ſuperſtitionis genus, nunquam fuiſſet hauddubiè prætermiſſum,quin grauiſsimis reprehenſionibus traduceretur, ſi in eo Iudæi peccauiſſent. Ex vulgari

supra fol. 112

quoque opinione, nō Cherubinos, ſed nubes (quæ ſummo Templi faſtigio proſtabant) Iudæos adoraſſe, ex Satyrico apparet:

Qui *puras nubes* (inquit) *& cœli numen adorant.*

Picturam igitur minimè damnamus, ſicuti neque Muſicam, neque Poëſin: quæ nihil aliud eſt quàm pictura loquens. rerum enim imitationes ſiue deſcriptiones vtrobique inſtituuntur. Magnum autem eſt ſiue picturæ ſiue poëſeos opus, illuſtriū virorum quorum virtutes imitari velis, res geſtas cognoſcere. Res geſtę vultus quaſi agnitione illuſtriùs elucent. mouemur enim neſcio quo pacto vultuum ipſorum commonſtratione, in quibus & morum & ingeniorum, eorum quorum virtutem eruditionémve admiramur, adſunt veſtigia. *Si quidem* (inquit Plinius) *non ſolùm ex auro argentóve aut certe ex ære in bibliothecis dicatur illi quorum immortales animæ in iiſdem locis ibi loquuntur: quinimò etiam ea quæ non ſunt finguntur, pariúntque deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero euenit. Quo maius nullum eſt felicitatis ſpecimen, quàm ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis.* Vultus autem illuſtrium virorum, pictura: animos, elegantiſſima poëſi expreſſit Beza: cuius ſi ſingularem induſtriam eruditionémque longè feliciſſimam (quas vniuerſus terrarum orbis in hoc etiam genere admiratur) in optimorum virorū vultibus animiſque repræſentādis, vos, Ieſuitæ, ſoli culpatis: cauete nequis è Bezę diſcipulis exoriatur, qui præceptoris penicillo & coloribus vos ita depingat, ſicuti ſciagraphiam ex monochromato veſtram reliquit Ioannes in ſpiritu Prophetiæ, vos *Locuſtarum* nomine deſignās: vt poſtquam nati educatique eſſetis, alæque vobis ſuccreuiſſent, poſterorum aliquis natiuis vos colori-

bus

bus repræſentaret. Quanta autem poëtæ & pictori ad ſplendidum carmen illuſtrém-ve tabulam argumenta, veſtri mores, ingenia veſtra, veſtra denique profeſſio ſuppeditaret! Hanc enim Apocalypſeos cap. nono Prophetiam de *Locuſtis quæ ex vltima abyſſo prodierũt*, vobis propriè Ieſuitis cõuenire, ſine conuitio affirmamus. Qua de re nos aliàs, verè & ſimpliciter, nulla bile, quum volueritis, dicemus. Bezam certè ſuperſtitioſarum veſtrarum Imaginum aſtipulatorem aut fauitorem nunquam habebitis. At ne in illo defendendo noſtris verbis vtamur, ex doctiſſ. illius ſcriptis vnus è multis locus hic piis ſatis erit: eruditæ quidem Vetuſtatis ſanctiſſ teſtimonio comprobatus, vt non tantùm Bezam & Eccleſias noſtras, ſed Hieronymum, Epiphanium omnémque adeò veterem & Catholicam Eccleſiam, damnari apud omnes conſtet. *Sed, age*, (inquit in illa verba Ioannis epiſt. Cath. prioris cap. 5. Filioli, cauete vobis ab idolis) *quando ipſis ſemel decretum est reÿcere quicquid à nobis dicitur, audiant ſaltem Hieronymum, cui ſe tãtum tribuere gloriantur. Is enim Epiphany illius acerrimi hæreticorum hoſtis epiſtolam ad Ioannem epiſcopum Hieroſolymitanum ſcriptam tanti fecit, vt è Græco etiam in Latinum conuerterit: in qua hæc ſcripta ſunt totidem verbis: Quum veniſſem ad villam quæ Anablatha dicitur, vidiſſémque ibi prætériens, lucernam ardentem, & interrogaſſem quis locus eſſet, didiciſſemque eſſe Eccleſiam & intraſſem vt orarem: inueni ibi velum pendens in foribus eius Eccleſiæ, tinctum atque depictum, habẽs imaginem quaſi Chriſti & ſancti cuiuſdam, non enim ſatis memini cuius imago fuerit. Quum ergo hæc vidiſſem in Eccleſia Chriſti, contra autoritatẽ Scri-*

pturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium custodibus eiuſdem loci, vt pauperem mortuũ eo obuoluerent, & efferrent. Et paulo poſt addit. *Precor vt iubeas presbyteros eiuſdem loci deinceps præcipere, in Eccleſia Chriſti iſtiuſmodi vela, quæ contra religionẽ noſtrã veniunt, non appendi. Hæc ſcripſit Epiphanius, ita comprobauit Hieronymus. Citatur autoritas Scripturarum, profertur conſuetudo Eccleſiæ. Quo igitur iure hæretici illi appellantur, qui cum Ioanne monent cauendum ab Idolis?* Beza igitur vobis erit, Ieſuitæ, hęrèticorum Anteſignanus, veſtrarum imaginum patronus, pietatis hoſtis? At vos qua fronte non modò manifeſtam impietatẽ in Idololatria ſtabilienda audetis defendere, ridiculiſque verborum tricis Veritatem conſpurcare, ſed mendacia etiam rabioſis conuitiis cumulare: Pietatis hoſtes, ſicarios, perditos, eos appellando, quorum pietas, æquitas, humanitas inter omnes optimos celebratur: vt iuuentutem fidei veſtræ commiſſam doceatis nugari, mentiri, conuitiari? Omnino dubiũ nobis non eſt quin eorum complures, pii & honeſti viri, ſalutis ſuæ amantes, qui Romanæ etiam Eccleſiæ autoritatem inoleta conſuetudine adhuc reuerẽtur, ſint eo nomine vos grauiſſimè reprehenſuri: quòd exoletum iam Veritatis fulgore Idolorum furorem renouetis, conuitia argumentorum loco impudenter ingeratis: atque adeò non modò re ipſa, ſed infeliciſſimo quoque exemplo, iuuentutem ſuperſtitionis & calumniæ inſania (quãtùm in vobis eſt) imbuatis. Verùm de tam fœdo argumẽto λόγων ἅλις. Reliquum eſt vt Tertiam & vltimam Quæſtionem quę Aſſertionum veſtrarum Quinta notatur, paucis expediamus.

DE

DE VERA CORPORIS CHRIſti Præſentia, Veráque ipſius perceptione in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento.

Quæſtio Tertia.

Theſis quinta Ieſuitarum.

IN ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento verum Chriſti corpus, quod in cœlis ſedet ad dexteram Patris, contineri credimus & profitemur: ac Caluini hæreſin deteſtamur, qui in eas Omnipotentis Dei vim & Maieſtatem anguſtias redigit, vt eam pluribus in locis vnum poſſe corpus conſeruare neget. Ac quamuis multis verborum inuolucris, idem modo aiens modò negās, incautos & parum in Theologicis ſtudiis verſatos fallere conetur, elabi tamen non poterit, quin pro Chriſti corpore, quod Catholici ſub panis forma verè comedunt, ſe panis portionem ſectatoribus ſuis obtrudere confiteatur.

Academiæ Reſponſio.

Permagna quæſtio, & in qua explicanda pluribus eſſet immorandum, niſi frequentiſsimæ hac de re diſputationes à doctiſsimis viris accuratiſsimè pertractatæ, lectori vel auidiſsimo ſolertiſsimóque poſſent eſſe ſatis: & vos quoque, Profeſſores Turnonij, reſpondēdi rationē &

modum nobis præſcripſiſſetis. Si quando grandes illas argumentorum veſtrorum machinas expedire libuerit, non refugiemus pro Veritate certamen. Quòd ſi ita neceſſe eſt, tunc vberiora. Hæc ſi modò vobis paucula ſatis non fecerint, vos ipſos accuſate, qui diſſerendi cancellos nobis pro arbitratu veſtro circumſcripſiſtis. In hoc autem vltimo Reſponſionis noſtræ loco inſtitutum eſt demonſtrare, Vos neque germanam Romanæ Eccleſiæ ſententiam (è cuius autoritate vos pendere profitemini) neque noſtram quam oppugnatis, in illa veſtra Aſſertione verè & candidè retuliſſe: ac proinde vos falſi bifariam teneri, & erga veſtros, & erga nos: quos licet in hoſtium numero habeatis, meminiſſe tamen debetis ſempiternæ illius Legis, quam Natura decreuit, *Aduerſus hoſtem ſempiterna autoritas*: etiamſi contra illam Naturæ æquitatem, Verbum illud veſtrum non-ſcriptũ conſtituerit, *Non ſeruandam eſſe fidem hæreticis*

Immenſum pelagus, at cuius oram legemus tãtùm, & Cynoſura nobis erit Verbum Dei. Vos ne ſcientes-volẽtes naufragium patiamini, dum portum tenere Veritatis ductu & auſpicio licet, prouidete, ſi veſtra vobis, ſi proximorum ſalus curæ eſt. Quicquid tamen erit, piæ & bonæ mentes ſalutis ſuæ ſtudioſæ videant etiam atque etiam, vt animaduerſis temerarii multiplicíſque mendacii labyrinthis, vnicam & certam Veritatis viam ſequantur.

Diſerta Quæſtionis notatio, ex Ieſuitarum verbis.

Iã verò, duæ ſunt in hac Aſſertione quæſtiones. Vna, de corporis Chriſti præſentia in Cœna, id eſt Adſit-ne Chriſtus in ſacroſanẽcto Euchariſtiæ ſacramento: & ſi adſit, quomodò adſit.

Altera,

Altera, de Chriſti participatione in eodem illo ſacramento. In vtraque autem vos eandem fidem præſtitiſſe quam in ſuperioribus illis, de quibus iam egimus, id eſt improbè & ſycophanticè (vel, ſi mauultis, imperitè) verſatos eſſe, niſi ex tenui hac indicatione conſtet, veſtrum erit contrarium oſtendere, & infinita A'σύστατα quibus hæc veſtra doctrina inuoluitur, Logica illa veſtra induſtria conciliare ſiue expedire.

Prima pars A'νασκευῆς, *Ieſuitas Turnonios celebrem Eccleſiæ Romanæ de Tranſubſtantiatione doctrinam euertere.*

Romana Eccleſia, ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramenti firmamentum eſſe voluit, nobile illud auguſtúmque Tranſſubſtantiationis Decretum, ſine quo neque præſentia illa quam aſſeritis, neque eſus ille ſiue potus ſub ſpeciebus panis & vini, ex ipſius ſententia ſtare nullo modo poſſit. Quænam autem illa ſit Tranſubſtantiationis doctrina, ex veſtrorum hominum verbis, breuiter & perſpicuè indicabimus: non tantùm quoniam id planè pertinet ad noſtrum inſtitutum, ſed quoniam plæroſque etiam quotidie videmus eorum qui Romanæ Eccleſiæ autoritatem amplectuntur, hoc de capite doctrinæ dubitare.

Tranſubſtantiationis myſterium ex illis Eccleſiæ decretis quæ tanti apud vos ſunt, intelligendũ eſſe haudquaquam dubitatur. Quidnam igitur hac de re Eccleſia Romana, id eſt Papa & Concilium conſtituerit, ex Archetypis agnoſcẽdum eſt. Ex αὐτοπίστοις enim & euidentibus agere æquum eſt. Hoc ſacroſanctum fidei veſtræ Decretum diſerta hac verborum (vt noſtis) formula, expreſſit Nicolaus Papa frequenti Concilio, quod CXIIII.

Epiſcopis conſtabat, ídque Romę congregato: quū Berengarium Andegauenſis Eccleſiæ Diaconum ad puram putámque Eccleſiæ Romanæ ſententiam reuocaret, & ad contrariæ palinodiam adigeret anno nimirum humanæ Redemptionis cIↄ. LVIII. *Decret. 3. part. de conſecrat. diſtinct. Ego Berengarius*. Hæc ſunt autē ipſa, vt nemo veſtrûm neſcit, Decreti verba: *Scilicet panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: & ſenſualiter non ſolùm ſacramentum, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dētibus atteri.* Hāc veram, catholicam & apoſtolicam cōeſſe fidem teſtatur vniuerſalis illa Synodus: & cōtrariam huic ſententiam ἀνασκευαστικῶς his verbis explicat: *Anathematizo omnem hæreſin, præcipuè eam de qua hactenus infamatus ſum*, (ait Berengarius) *quæ aſtruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodò ſacramentum, & non verum corpus & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & non poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo ſacramento manibus ſacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri.* Hæc ſententia tam perſpicuè exprimitur, vt nullus dubitationi aut figuræ relictus ſit locus: quemadmodum è Canoniſtarum & Sententiariorum commentarijs abundè liquet. Lombardi poſt longam diſquiſitionem vltro citróque agitatam hæc ſumma eſt: *Poſt conſecrationem igitur non eſt ibi ſubſtantia panis vel vini, licet ſpecies remaneāt. eſt enim ibi ſpecies panis & vini, ſicut & ſapor vnde aliud videtur, aliud intelligitur.* Et ne quid ambigui aut obſcuri remaneret, ſententiæ adiungit planam & accuratam ἀντεξεργασίαν: *Tranſſubſtantiari, eſt ab eo quod erat in aliud conuerti, vt*

*ſit noua ſubſtātia:*vel *Incipere eſſe quod nō erat:*&, *Quū ſubſtantia cōuertitur in ſubſtātiā, vt hæc eſſētialiter fiat illa.* Huiuſmodi quādā conuerſioné exiſtere in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacraméto diſertè agnoſcit magnus ille Scholaſticorū Dictator, cui⁹ autoritaté atque ſentétiā omnis Scholaſticorū Senatus ſequutus eſt: *Subſtātia,* inquit, *panis, modò eſt corpus Chriſti. manēs enim panis nō eſt corpus Chriſti: ſed ſubſtātia mutata, id eſt id quod facta eſt, corpus Chriſti.* Ne quis autem de corpore Chriſti moueret cōtrouerſiā, cauerat quidé Nicolaus Papa luculentis his verbis, *Verū Chriſti corpus, in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fideliū dētibus atteri.* Sed τὸ κατὰ πόδας adiunxit idem Lombardus, *Illud verè, illud ſanè quod ſumptum eſt de Virgine, quod reſurrexit, quod in cœlū aſcēdit,* &c. Ex ijs aliíſque pluribus conſtat, Verū corpus Chriſti & ſanguinem in altari eſſe, imo integrum Chriſtū: & ſubſtantiam panis in corpus, viníque ſubſtātiam in ſanguinem conuerti. Iam verò, illud *Senſualiter,* huiuſmodi eſt vt nihil ἐμφατικώτερον aut expreſſius dici poſſit? ſicuti Doctores veſtri interpretātur: *Ita vt ſenſibus corporis percipi poſſit, corporaliter,* ſiue *per modum corporis, localiter, circūſcriptiuè, occupatiuè &c.* Corporeus enim ille modus qui in corporis ſenſus cadit, ſacramétali modo opponitur, qui & ſuis dicendi generibus conſtat, i. figuratis, & ſoli fidei cognit⁹ eſt. Ecquis verò tropos & ſacramétalé notioné in hac aperta explicatáq; oratione requirat? Eſt igitur nudū & ſimplex Αξίωμα ex hac ſététia naſcés, *Panis, eſt corpus Chriſti: nō ſacramentaliter, ſed ſenſualiter & corporaliter,* id eſt *non ſignificandi myſterio, ſed rei veritate.*

Si ita eſt, (vt ex Romanæ Eccleſiæ doctrina reuera eſt) nū veſtræ illius Aſſertionis verba Romanę

illius Eccleſiæ cui vt optimè de vobis meritæ nomina dediſtis, hac de re ſententiam verè & fideliter repræſentent, videamus: *In ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento verum Chriſti corpus, quod in cœlis ſedet ad dexteram Patris, contineri credimus & profitemur.* Expendamus veſtra illa verba, ſed non ea fide, Ieſuitæ, qua vos noſtra ſoletis. eſt enim ſempiterna bene diſſerendi Lex, Οὐ κακουργητέον ἐν λόγῳ. Itaque vobiſcum agemus germanè & candidè, noſtro more. Quid illud eſt veſtrum, *Contineri*? Quid & illud, *In Sacramento*? De Chriſti corpore nullàne dubitatio eſt, quum *Verum* adiungatis? *Continere* & *contineri* ſunt in Relatis, in quibus duo illi termini, in ſcholis peruulgati, *A quo & ad quem*, conſtanter ſeruari debent. Quid continetur? Chriſti corpus, reſpondetis, in Sacramento. Quid igitur continet? Certè Sacramentum, ex lege Relatorum. Quod continet & continetur, idemne ſunt? Id non patitur illa Relationis σχέσις & ratio, quæ nulla prorſus eſt, niſi termini illi diſtinguantur: quum tota Relatorum natura in mutua affectione ſit poſita, Vt id quod ſunt, aliorũ eſſe, aut ad aliud quoquomodò dicãtur: alioqui neq; eſſent neque dicerentur Relata. Sunt igitur ſimul, Verum Chriſti corpus, & Sacramentum: hoc continet, illud continetur: neque vnum idémque ſunt, ſed duo ſunt ſimul: ac proinde ἀσύστατοι ſunt duæ iſtæ enuntiationes ex maximè diſparato cõtrariorum genere, vt quidem ex luce Naturæ non poſſint vnà eſſe: *Verũ Chriſti corpus eſt in Sacramẽto.* & *Sacramentũ, eſt Chriſti corpus:* ſicuti Romanam Eccleſiam decreuiſſe, omnéſque claſſicos Interpretes docuiſſe, hactenus demonſtrauimus. Neque enim exiſtimamus nobis in hoc genere dicendi, rebus ita conſtitutis, támque diſerta verborum diſtinctione adhibita, *Sacramenti Euchariſtiæ* nomen eſſe æqui-

uocum.

uocum. Panem enim & vinum, (id eſt vt loqui ſoletis) Species panis & vini, Sacramenti vocabulo notari, perſpicuum eſt. Eſt igitur ἰσοδύναμον & æquipollens ex veſtris verbis Axioma conformatũ, *Sacramentum, eſt Chriſti corpus*: & *Panis eſt corpus Chriſti*. Iã quomodò illud, *Eſt*, enuntiationis cardo & firmamẽtũ, cũ veſtro illo *Contineri*, ſtare poteſt? Sũt enim (reſpõdetis) plures modi Eſſendi: & plures itẽ modi Simul. Sit ita. Eſſendi modos ex penitiorib⁹ Phyſices & Metaphyſices arculis eruitote. Erit inutilis & ridicula βαττολογία omnes illos repetere, quũ Romanæ Eccleſiæ decreto definit⁹ ſit modus, vt ſine modo & ratione vos alios Eſſendi modos quàm eum quem diſtincta Tranſſubſtantiationis doctrina præſcribit, ſitis inueſtigaturi: niſi ad nouam quandam opinionem declinetis, ac proinde ἑτερόδοξοι & transfugæ habeamini. Non quærimus rectiúſ-ne quàm cæteri loquamini: hoc affirmamus Veſtrum illud *Contineri*, doctrinam Tranſſubſtantiationis non modò relinquere, ſed euertere. Si enim panis non eſt verè, corporaliter, realiter, ſenſualiter corpus Chriſti, quorſum Tranſſubſtantiationis doctrina tã certis decretis conſtituta atque ſtabilita? Si aliud continet, aliud continetur, non vnum atque idem eſt adæquatum ſubiectum, ſed duo ſunt ſimul. Si varios illos ſimul modos expenditis, ijſdem vos laqueis inuoluetis atque intricabitis. Num Sacramenti & veri Chriſti corporis ortus ſiue generatio in eodem erit tempore? Quem κυριώτατα καὶ ἁπλῶς modum Simul eſſe aiunt. Atqui Myſterij miraculum ab ipſo firmamento ita peruerteretur, quod in eo videlicet ſitum eſt (ſi quod eſt) *Quia id quod erat panis & vinum, vel ſubſtantia vera panis & vini, quæ ante non fuerat corpus vel ſanguis Chriſti, verbo cæleſti poſt conſecrationem ſit corpus &*

ſanguis Chriſti. Li. 4. ſent. diſt. 11. Quî igitur fieri poſſet vt ſint Simul γενέσεως, quũ diſtincta neceſſariò eſſe debeāt tẽporis interualla? Neq; verò ſimul eſſe dicetis, vt ſpecies ἀντιδιῃρημένας: quod craſſi⁹ eſt & hebetius quā vt vobis Ieſuitis tribuatur. Atqui excipietis, *Secundum ſimul eſſendi modū* hîc propriè cõuenire: quum videlicet res ita ſint affectæ, vt eſſendi quidem conſequentia conuertantur, ſed neutiquam altera ortus cauſa ſit alteri, id eſt (vt ipſis Peripati verbis apud vos Atticos & elegantiam amantes vtamur) Ὅσα ἀντιστρέφει μὲν κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, μηδαμῶς δ' αἴτιον θατέρῳ τοῦ εἶναί ἐστιν. Vt, Dominus & Seruus ſunt ſimul natura, ex illo ſimul-exiſtẽdi modo. nā & exiſtẽdi cõſecutio inter illos reciprocatur, & neuter alterius eſt cauſa. neceſſariò enim ſequitur, Si Dominus eſt, ſeruum quoque eſſe: & contrà, Si ſeruus eſt, dominum eſſe: neque ſerui dominus, neque domini ſeruus cauſa eſt. Itáne de vero Chriſti corpore & pane Euchariſtiæ colligetis? Atque cæleſte Chriſti verbum in conſecratione effatum, admirabilis illius & planè auguſtæ Conueſionis (ſi qua eſt) cauſam eſſe efficientem, ſi negatis, eſtis hæretici: neque ſi centum ſimul Eſſendi modos haberetis, efficere vnquam poſſetis, duo quæ ſimul ſiue tempore ſiue natura ſint, idem atque vnum eſſe verè & eſſentialiter: ſicuti doctrina Tranſſubſtantiationis panẽ Euchariſtiæ idem atque vnum eſſe ac Chriſti corpus conſtanter affirmat, vt elabi nuſpiam poſſitis. An verè, non eſt inſtituti noſtri, neque huius loci demonſtrare. Hoc verò apud omnes æquos iudices euincimus, Vos in Eccleſiæ etiam Romanæ, cui omnia veſtra, & vos ipſos debetis, ſententia referenda, falſi manifeſtè teneri. Si ad metam falſi, non Theologo tantùm & Philoſopho

(quales

(quales vos prædicatis) ſed homine quidem indigniſſimum crimen, non vos ita coegimus, totum ius Canonicum, & Scholaſticorum ſcripta tanquam adulterina & falſa repudiāda ſunt. Ecquidnam ad hanc luculentam veritatem reſponſuri ſitis, tum norimus quum reſcribetis: neque deerunt nobis rationes quibus oſtendamus vos Siſyphæū ſaxum voluere, neque in eo verſando proficere hilum. Voſ-ne elegantius quàm Scholaſticorum vulgus loqui voluiſſe? Miraremur profectò in re tam ſeria inſolentem importunámque nouitatem, ſi hoc exciperetis: idémque vobis obiiceremus, quod magnus ille Iulius Scaliger medico cuidam Ciceronis munditias & elegantiam effuſiùs vbique affectanti obiecit, *De vrinis quoquè agit Ciceronianè*: & à vobis quoque grauiùs peccaretur, quippe qui rem vobis ſacram auguſtámque, in qua fidei veſtræ proram & puppim collocatis, ineleganti planè elegantia, inuenuſtáque venuſtate, auderetis deturpare. Quòd ſi Concilij Lateranenſis, Innocentio Pontifice, Romæ anno cIↃccxv. habiti verba proferatis, *Corpus & ſanguinem Christi in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri traſſubſtātiatis & pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate diuina*: multa habemus quæ excipiamus, aduerſus improuidam Innocentij ambitionem, vel ambitioſam imprudentiā: qui dum nouo Decreto, cuius ipſe autor circumferretur, nomen gloriámque affectat, non vidit ſe huiuſmodi abſurdis implicari, quæ explicari nullo modo poſſint: non minùs ac, *Eſt & non eſt*, ex primæuæ Veritatis regula: *Duæ contradictoriæ vnà ſtare non poſſunt.* Summæ temeritatis infamiam Innocentius ille ſibi ita conflarat, vt prouerbio etiam locum dediſſet, *Innocentius manè dabat indulgentias, & ſerò reuocabat.*

nouo hoc commento vernaculam temeritatem nocentiſſimæ audaciæ impudentia cumulauit, vt Nocentius meritò appellaretur. Totam autem illam ſiue lateritiam ſiue latrocinantem Lateranenſis Concilij molem antiquioribus Romanæ Eccleſię Decretis deturbari profligaríque debere, vel vnus teſtis fuerit Pythagoras ille veſter, Thomas qui eo nomine perpetuum cum Innocentio bellum geſſit, vt Romanæ Eccleſiæ de Tranſſubſtantiatione ſententiam ſartam tectámque tueretur. Quum vobis ratio (vt ſolet ſæpenumerò) deeſt, ſoletis veſtrum illum Antiquitatis clypeum Veritati opponere: quaſi is ſit potior iure qui ſit prior tempore. Quídni ergo Romani Concilij antiquitatem Lateritij illius Concilij nouitati opponamus: vt ex ea de vera germanáque Romanæ Eccleſiæ ſententia ſtatuamus? Neque auſus eſt Tranſſubſtantiationem aperto Marte expugnare Innocentius: ſed Chimæras commentus eſt, dum opiniones ἀσυςάτους vult coniungere: vt ſe egregiè mentiri palàm demonſtraret. Verùm, vt vberiorem huius controuerſiæ ſiue ἀντινομίας conſiderationem opportuniori loco relinquamus, hoc à vobis quærimus, Ieſuitæ: Eccleſiæne Romanæ dogma de Tranſſubſtantiatione retinetis, nec-ne? Si repudiatis, quid moratur Eccleſia Romana, quin vos ἀποσυναγώγους è communione ſua exterminet: & vos tantùm minuat, quantùm auxit? Sin retinetis, hoc dicimus, hoc affirmamus, Vos non modò abſurda, ſed penitus impoſſibilia conferruminare, id eſt aſſerimus quod ſupra eſt à nobis demonſtratum, Diſparatas planè eſſe & ἀντιφατικῶς ἐναντίας propoſitiones has, *Panem Euchariſtiæ tranſſubſtantiari in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem: &*, (vt vos dicitis) *Corpus Chriſti ſub forma panis contineri.* &c.

Quòd

Quòd ſi Scholaſticos ſic etiam loquutos eſſe dicatis, eadem quoque valebit, quam Innocentio oppoſuimus, reſponſio : Potiorē eſſe Eccleſiæ Romanæ antiquitatem, quàm noua Scholarum commenta. Quamquam & quomodo corpus Chriſti ſit in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, ex Magiſtrorum veſtrorum determinationibus, haudquaquam elicietis. Si enim ex illorum gloſſariis *Contineri* exponatis *Adeſſe corporaliter, circumſcriptiuè, localiter*, vel (vt Thomas loquitur) *per modum corporis occupatiuè, diuiſiuè ſiue diuiſibiliter*: vel vt alii, *per modum ſpiritus* (vt & idem Thomas) *definitiuè, ac proinde ſpiritualiter: hactenus nimirum, vt licet ſit in loco, non tamē ibi ſit localiter & circumſcriptiuè, quia ibi non impleat aut occupet locum, vel non extendatur in ſpatia locorum, ſed ibi ſit vt ſpiritus vel anima in corpore*, id eſt, vt alii exponunt, *indiuiſibiliter & tamen inhæſiuè*: ſiue alios quoſdam Præſentiæ modos noua veſtra ſubtilitate ex illorum commentariis eruatis, nullo modo poteritis elabi quin aduerſus Eccleſiæ Romanæ autoritatem grauiſsimè peccetis : qui ſanctiſsimum illius in re longè omnium maxima auguſtiſsimáque Decretum labefactetis atque violetis. Quid enim attinet veſtrorum Magiſtrorum γιγαντομαχίας ſingulatim commemorare, eáſque Romanæ Eccleſiæ autoritati opponere? Siue enim Durandi *Conſubſtantiationem*, quam vbique inſectatur Thomas, & Inconuenientem, impoſſibilem & hæreticam vocat: *ſiue Impanationem* vel potius *Inſubſtantiationem*, quam ad Incarnationis inſtar idē quoque Durandus tuetur: ſiue *Formalem*, qualē quidem Lombardus ille veſter Dictator non eſſe agnoſcit, *Quia ſpecies rerum quæ antè fuerant, remanent, & ſapor & pondus*: ſed qualem diſertè decreuit Lateranenſe

Conciliũ:ſiue eã quę Magiſtro illi veſtro placuit, quã omnes Scholaſtici falſam & impoſſibilem eſſe aſſerunt, Quòd videlicet *ex panis ſubſtantia corpus Chriſti fiat, nec tũ aliquid addatur corpori Chriſti neque augeatur*: ſiue eã quã ipſe notat Tertiã, quæ docet, *Panis & vini ſubſtantiam poſt cõſecrationem vel anihilari, vel in præiacentem materiam reſolui*: & ſub illis accidentibus ſub quibus erat olim panis ſubſtantia, eſſe poſtea corpus Chriſti, ac proinde nuda accidentia remanere, & in toto Sacramento merum eſſe Nihil: (quæ fuit Innocentii, ac proinde Concilii Lateranenſis, cui ille præfuit, ſententia) ſiue Scoti *Adductiuam illam*, quam vocat, *Tranſſubſtantiationem*, vel *Tranſpræſentationem*, ſiue *Tranſitiuam illam, aut de loco motiuam*, quæ arriſit Durando, nonnullíſque aliisque Scholaſticis, & *Exſubſtantiatio* vocari debet, in medium proferatis: omnino non efficietis vt in mendacio concordia eſſe poſſit, aut vt in tãta diſcordia Romanæ illius Eccleſiæ autoritatem ſequutos eſſe, vti conſentaneum erat, vos eſſe conſtet. Formas quidem vobis Formoſis hominibus, nouíſquę generis humani delitiis placuiſſe, Innocentiíque & Lateranenſis Concilii autoritatem Romani antiquioris Concilii, & Thomæ illius termaximi autoritati & eruditioni antetuliſſe, non obſcurum eſt. Nodum tamen implicare, (vt loquuntur veſtri) non eſt ſoluere: aut Lombardicè præfari, *Diffinire non ſufficio*: aut dum modus quæritur reſpondere, *Si vero quæris modum quo id fieri poſſit, breuiter reſpondeo, Myſterium fidei credi ſalubriter poteſt, inueſtigari ſalubriter non poteſt*: nõ eſt certi quidpiam docere, quod ad ſalutis quidem doctrinam rectè conſtituendam pertineat.

Quid plura? Tempus, charta, lectorum ſiue auditorum patientia nos deficeret, (præterquã quòd

extra

extra oleas euagaremur) ſi veſtrorum Interpretum magiſtrales ſententias omnes vellemus commemorare: vt non mirum ſit vos in auia via nouam viam fuiſſe commentos. Veſtram hac quidem in re fidẽ deſideramus, opinionis tamẽ per ſe incertæ & inuolutæ vitio inconſtantiæ illius vitiũ tribuimus, vt veritatis vi coacti fueritis, Verbi illius nõſcripti veſtri autoritatẽ relinquere. Nec id vobis contigit ſolis ſine Cynoſura euagari, in tam procelloſo atque naufrago mari. Magnus ille Ioannes Duns Scotus, quem in tanta ſubtiliſſimorum Magiſtrorum turma Subtilem κατ' ἐξοχὴν appellatis, poſtquam vltro citróque euagatus omnes rationes inueſtigaſſet quibus propoſitionem illã, *Hoc eſt corpus meum*, ex Eccleſiæ illius veſtræ fide vt veram defenderet, tempeſtatẽ maiorem veritus vela legit, itaque ſeſe in portum cautim recipit: *Quicquid dicat logicus, quomodocunque conetur ſaluare & ſuſtinere iſtam propoſitionem, Hoc eſt corpus meum, tanquam veram: diceret Theologus iſtã non eſſe propoſitionem Sacramentalem vt veram: ac proinde Sacerdoti conſilium dat ne nimium curioſè de illius veritate inquirat*, ſed habeat intentionem proferendi, modo quo Chriſtus voluit & ordinauit illam proferri. Quid Gabriel ille Biel veſter, quem tanquam Gabrielem Angelum ſuſpicitis? Eodem dubitationis Euripo agitatus, *Quicquid ſit* (inquit) *de hac diſputatione logica, hoc tenendum eſt, quòd hæc oratio non eſt forma ſacramentalis vt vera, ſed vt tale ſignum præcedens fortè tempore, vel ad minus natura ſuam veritatem, id eſt conuerſionem per quam propoſitio eſt vera: & nec vt vera, nec vt falſa eſt conuerſiua: ſed vt ſit tanquam diſpoſitio præuia à Deo inſtituta ad effectum ſacramentalem, cui Dominus*

ex pacto aſſiſtit ad cauſandum talem effectum in termino ſuæ prolationis, ſiue ſignificet hoc, ſiue aliud, ſiue vera ſit ſiue falſa: ac proinde nõ vult Miniſtrum ſiue ſacerdotem intendere quidnam verba illa ſignificẽt, ſed ei tantùm attendendum vt verba integrè proferat, velitque hoc fieri ad verborũ à ſe prolatorũ expreſſionẽ, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia credit. In hoc nodo igitur expediẽdo ad Eccleſiæ, id eſt Verbi illius non-ſcripti autoritatẽ tanquam ad ſacrã ancoram confugiendũ eſſe Magiſtri veſtri aiunt: & vos, Ieſuitæ, in re tam dubia à veſtræ Eccleſiæ autoritate recedere audetis? Sed maior eſt Maioris illius veſtri ſolertiſſimi Interpretis hac in re παῤῥησία quę ne in Pyrrhonico quidem Philoſopho toleranda eſſet, in Theologo verò qui veritatem rerum ſe quærere profitetur, tolerabilem eſſe æquus lector cenſebit? &, *Secundò arguitur*(inquit)*contra formulam, Hoc eſt corpus meum. Omnis oratio conſecratiua debet eſſe vera. Illa non eſt vera: Nõ eſt ergo oratio conſecratiua. Cõſequẽs tene in Baraco. Probatur minor. HOC, nihil demonſtrat: ergo illa affirmatiua eſt falſa. Aſſumptũ patet quia ſi demõſtrat ſpecies, iam extrema non ſupponũt pro eodẽ. Si corpus Chriſti. arguo ſic Vel corpus Chriſti in Euchariſtia: & hic non, quia iam non eſt in Euchariſtia, & non demonſtratur Chriſti corpus in cœlo, tantùm diſtans ab hoſtia, vel corpus Chriſti in alia hoſtia. Igitur. Iſtud argumẽtũ eſt commune in hac materia & pungitiuum.* Maiorem quoque ait negari poſſe, nimirum Omnem propoſitionem ſacramentalem debere eſſe veram: quam quum ipſe in hac propoſitione, Hoc eſt corpus meum, putet ſtare non poſſe, de maiore illa

illa neganda cogitat: & cum Scoto & Biele cenſet iſtam propoſitionem non eſſe veram: ac proinde Sacerdotes, quum ſacramentalia verba proferunt, non modò falſa proferre (id eſt, vt Canoniſta quidam liberius etiam interpretatur, mentiri) ſed & ipſum Chriſtum, quum verba proferret, non vera dixiſſe. Solum veritatis remedium eſſe in Omnipotentiæ illius, de qua mox dicemus, aſylo, illámque vnam eſſe certam ſolidámque interpretandi rationem, etiamſi id per ſe non verum ſit, tamẽ ex illa Dei potentia, eſſe veram. Verba autem quibus ſuam ille ſententiam expoſuit ſunt planè ἀξιομνημόνευτα vt vos ipſi iudicetis quò euadat humana licentia extra Verbi Dei cancellos, Verbi illius veſtri non-ſcripti arbitrio κλυδωνιζομένη, & περιφερομένη, vt Apoſtoli verbis vtamur. *Poteſt* (inquit Maior) *Deus facere vt prolata hac, Homo eſt aſinus, ſuper materia panis, incipiat ibi eſſe corpus Chriſti*, &c. *In 4. Sent. diſt. 8. q. 1. & alibi.* Hæccine verba non agnoſcitis, Ieſuitæ: neque vos veſtræ inconſtátię pudet? Ecquos Tragelaphos, Centauros, Pegaſos, écquas Chimæras, Gorgonas monſtroſarúmque aliarũ naturarum magis importuna & ridicula commenta potuit olim Socrates æquiùs & veriùs Sophiſtis obijcere, quàm veſtris illis Magiſtris, in hoc etiam maximè ſerio argumento, Veritatis ſtudioſus lector & poteſt & debet?

Omnino ita oportuit ab illis peccari. Quanti enim eſt certã Veritatis viam relinquere! Mendacii multiplex eſt diuortium. Hæc nimirum eſt illa alea & veteratoria hominum, quam prædixerat Spiritus ſanctus. Huic aleæ, num certiorem ſententiam: Veteratoriæ, ſimpliciorem fidem hîc vos attuleritis, alterius eſt loci atque inſtituti demonſtrare.

Hoc modò dicimus atque affirmamus, (vt locus hic tandem aliquando à nobis concludatur)

Vos aduerſus Romanæ Eccleſiæ decreta, veſtro illo, *Continetur in Sacramento*, noua audacia præuaricari: quum ad hanc verborum formulam, ſolenni Senatus conſulto illa vos adegerit, *Panis & vinum ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſunt verum corpus & verus ſanguis Ieſu Chriſti.*

Ite, clamate, perſtrepite, omnes Vertumni Sophiſtici pro more veſtro facies aſſumite, Ἐξουθενισμῷ, ἀποπλανήσει, ἀντεναγωγῇ, & ſi quis alius eſt elabendi modus: nõ Proteus ipſe elaberetur, quin ex rebus ipſis perſpicuum ſit, vos ſacroſanctũ Tranſſubſtãtiationis myſteriũ violaſſe: vos Pythagoræ illius veſtri Realẽ conuerſionẽ in imaginarias formas transformaſſe, ac proinde pluſquàm Ariſtotelicã (vt ipſe ait) ratiocinationẽ repudiaſſe: *& Ens non ens*, Sophiſticũ ſubiectũ veſtrę doctrinę ſubiectũ eſſe, id eſt merũ Nihil. *Vn beau rien entre deux plats.* Si veſtrã vobis ſententiam tueri certum eſt, diſertè ſignificate vos Tranſſubſtãtiationis doctrinam, quæ cum veſtra hac Theſi toto cœlo aberrat, ingenuè deteſtari. Si malo animo id feciſtis aduerſus Romanam Eccleſiam de vobis optimè meritam, perfidiæ & præuaricationis pœnas, quantas vnquam vſpiam quiſquam meritus eſt, vos Ieſuitæ, meremini: qui in re tanti momenti Romanæ Eccleſiæ, à cuius autoritate vos totos pendere æquum erat, authoritatem maximopere eleuâtis atque diminuitis: ſin imperitè, ad palinodiã debetis reuocari, & imperitiæ pœnas ferre, id eſt, in eo numero cenſeri quos Scripta ipſa indignos eſſe teſtantur qui doceant, antequàm didicerint. Quicquid ſit, num meliorem in rebus noſtris fidẽ præſtiteritis, proximum eſt vt videamus.

Secunda pars Ἀνασκευῆς, *Ieſuitas quoque in Eccleſiarum noſtrarum referenda ſen-*

tentia præuaricari.

ECCLESIARVM igitur noſtrarum de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, ſiue de Dominica Cœna (vt loquitur Paulus) ſententiam quamſimplicilſimè fieri poterit, referemus: vt ex nuda illa & ſimplici indicatione, tanquam rebus ipſis clamantibus, perſpicuum ſit cuilibet, num bona fide dicatis, *Nos pro Chriſti corpore portionem panis comedere, & Omnipotẽtiam Dei in anguſtias quaſdam redigere.* Licet enim aduerſus Caluini quam vocatis hæreſin, oratio illa veſtra propriè debacchetur: nemini tamen obſcurum eſt, Caluini nomine, Eccleſias noſtras inuidioſè notari: quæ non Caluini quidem doctrinam, ſed veritatem ex puro Verbo Dei fideliter à Caluino expreſſam conſtanter amplectantur. Erat veſtrũ (vt accuſatorum) notare locos in quibus *Ille modò aiens modò negans, portionem panis pro vero Chriſti corpore nobis ſectatoribus ſuis obtrudat:* & noſtrum eſſet, vbi locos oſtendiſſetis, reſpondere, vel culpam confiteri. Quum igitur id vniuerſè profeſſi ſitis, neque locum vllum propriè & peculiariter notaueritis in Caluini ſcriptis: hoc vnum nobis reſtat, Ieſuitæ, vt quod aduerſus delatores in iudiciis factitari ſolet, vobis apud æquos iudices acturis, edicamus, Vel probate, vel vos calumniæ teneri reos fatemini. Interea, quod nobis obiicitis, pernegamus: noſtræque ſententiæ teſtes, noſtrorum hominum libros qui hac de re ſcripti complures extãt, coram æquorum Iudicum tribunali laudamus: vt ſi vadimonium deſerueritis, hoc extet probatę aduerſus vos calumnię publicũ monumentũ. Accuratám-ne ergo cõtexemus deſcriptionẽ eorũ omniũ quæ Eccleſiæ noſtræ, id eſt, vt vultis, Caluinus, de auguſto hoc Cœnæ myſterio plenis cõmentariis pertractauit? In re non neceſſaria hic noſter ſanè

labor quaſi negligens quædam diligentia meritò damnaretur. Itaque & breuiſſimam, & quantùm poterimus dilucidam, Eccleſiarum hac de re noſtrarum fidei & ſententiæ ſummam referemus. Lector rerum noſtrarum peritus, hæc cum Confeſsione Gallicarũ Eccleſiarum poſt annos complures Chriſtianiſſ. Regibus, Dominis noſtris ſolenniter exhibita, hæc cum Anteſignani illius hæreticorum, quem vocatis, Bezæ, cum omnium denique noſtrorum hominum ſcriptis non modò conſentire, ſed planè eadem eſſe iudicabit. Lector autem doctrinæ noſtræ imperitus, eíque ſolo hoc præiudicio infenſus, hæc legat, intelligat, & ex Verbi Dei autoritate, Eccleſiæque Catholicæ & Apoſtolicæ monumentis prudenter expendat: locos conſulat, examinet, rationum momenta trutinet: contrariæ doctrinæ, quam modò vt aſſuetam, probat & amplectitur, rationes & conſecutiones ex illa Verbi regula exploret, vnius Veritatis fine propoſito: & oret ne erret, indicatum errorem (vt Auguſtini verbis vtamur) horreat: denique agnitam perſpectámque veritatem omni pietate & ſtudio complectatur. Hæc igitur ſit

Summa Doctrinæ de Sacramentis ex veris ſuis principiis eorúmque ἀλληλουχίᾳ & ſerie conformata.

SACRAMENTA, ſunt Verbi ſigilla & teſſeræ, propter fidei noſtræ imbecillitatem à Deo inſtituta, Verbóque ſimplici idcirco addita vt promiſſiones viſibilibus ſignis obſignent in animis noſtris per aures, id eſt per verbi auditum iam informatis: & eò quidem efficaciùs, quò faciliùs, id eſt τό-

eſt τόσῳ ἐνεργητικώτερον, ὅσῳ αἰσθητικώτερον: vt dixit erudita Vetuſtas, quæ ideò *Verba viſibilia* illa nominauit.

2. *Quod igitur Verbum docet, idipſum exhibent Sacramenta, Chriſtum videlicet ipſum cum omnibus ſuis donis.*

3. *In Chriſto, vnico Redemptore & Mediatore noſtro, quatuor nos iubet ſpectare Verbum Dei: Perſonam, Officium, Dona quæ ex eo percipimus, & Modum donorum illorum conſequendorũ.*

4 Perſonam *duabus naturis conſtare: vna diuina, altera humana: vnam quidem illam ſaluis & diſtinctis proprietatibus* ὑφισταμένων: *Vnum videlicet Chriſtum verum Deum & verum hominem,* id eſt ἕνα καὶ αὐτὸν μονογενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον: ſicuti profeſſa eſt Catholica Eccleſia.

5. Officium *verò eſſe, vt omnia conferat ad ſalutem neceſſaria Eccleſiæ, quæ vnius ipſius beneficio hæres eſt remiſſionis peccatorũ & vitæ æternæ.*

6. Dona *autem eſſe, ipſum Ieſum Chriſtum, cum quo imprimis neceſſe eſt vt vnum fiamus, quo in illo cenſeamur filij Dei. Ex qua coniunctione ſiue coalitione manat in nos omnia ipſius dona: Imputatio videlicet ſanctitatis, iuſtitiæ, obedientiæ ipſius, vt in eo ſimus Dei iuſtitia per remiſſionem peccatorum: tum vita ipſa ſpiritualis, vt ipſius virtute regeneremur, & ſuſtentemur in vitam æternam.*

7 Modum *autem quo Chriſtum cum omnibus ſuis donis percipimus, Fidẽ eſſe, qua cum Chriſto inſiti, & facti oſſa de oſſibus eius, non modò verè iuſtificamur, ſed certis quibuſdam gradibus regeneramur in hac mortali vita, donec ſimus ſine ru-*

ga & macula in Cœlo.

8. *Fidei autem verè efficientem cauſam eſſe, Spiritum ſanctum, qui promiſſiones Dei obſignat in cordibus noſtris, efficacéſque reddit.*

9. *Licet autem eſſentialis illa & omnipotens Dei virtus per ſe potentiſſimè agat, adhibet tamen externa inſtrumenta ad fidem in nobis gignendam, nutriendam, augendam, corroborandam. Hæc verò ſunt Verbum, & Sacramenta, ſicuti primo Axiomate indicatum eſt:* vt ex his principijs planè & per ſe veris, id eſt αὐτοπίστοις, vera ſolidáque Sacramentorũ è ſuis cauſis earúmque ſerie conformata, & ξυναλληλίως, confici poſſit hunc in modum.

Demonſtratio.

Finis & vſus *Sacramentorum princeps & primarius, id eſt* ἀρχιτεκτονικὸς, *eſt, Vt Chriſtus cum omnibus ſuis donis, in nobis magis ac magis coaleſcat: eóque efficaciùs ipſius vita cũ reliquis omnibus ſuis beneficijs in nos deriuetur.* Subordinati verò fines *ſunt, vt ſolenni illa profeſſione Chriſto nomen demus, & à profanis cœtibus hominibúſq; hac teſſera diſtinguamur: & mutuæ charitatis* στοργαῖς *officijſque arctiùs vtiliúſque cum ijs coniungamur, cũ quibus ſacra ſunt eadem nobiſcum communia.*

Cauſa Efficiens, *eſt Spiritus ſanctus, externis illis quidem ſignis vtẽs, ad ſenſus animoſque noſtros permouẽdos: ſed ita vt ſit ipſe vera coalitionis illius & nutritionis cum Chriſto* ἐντελέχεια, *fidẽ in animis noſtris nimirũ ingenerans, per quam Chriſto inſeramur, vnũ cum illo fiamus, omniũmque adeò illius bonorum ſimus participes, id eſt hæc myſteria ſalutariter percipiamus.*

12 Materialis *verò duplex eſt: Externa quidẽ,*

Signa ipſa viſibilia: Interna verò, Res ipſa ſignificata, Chriſtus nimirum cum omnibus ſuis donis, ad quorum participationem vocamur.

13 Formalis *denique cauſa eſt, Ordinatio Dei in ipſius Verbo comprehenſa, illáque actio ipſa externa legitimè obſeruata: non verò ipſa illa verborũ quæ operatoria vocãt, pronũtiatio: neque vlla vis in ipſis verbis latens.* Cõcepta enim verborũ formula .i. τὸ ῥητὸν, religioſè quidẽ eſt obſeruandũ, ſed vt illius interpretatio ex illo Verbo petatur, cuius ſigilla ſunt & teſſeræ ipſa Sacramẽta.

14 Cauſis indicatis, ipſarum quoque ſeries & proportio oſtendenda eſt, id eſt ἀλληλουχία & ἀναλογία, ſine qua rerum demonſtratio rectè componi haudquaquam poteſt. debent autem propria & conſentanea adhiberi, vt conſtans perpetuúſque Veritatis tenor, & conſenſus ſeruetur.

15. *Coniunguntur res cũ ſignis: & proponuntur res & ſigna in ſacramentis vt percipiantur. Vtrumque autem, id eſt & copulatio illa ſignorum rerúmque ſignificatarum in Sacramentis: & illorum harumque perceptio, proprio & cõſentaneo modo fieri debet.* Proprius autem & conſentaneus Sacramentis modus, eſt ſacramentalis: ac proinde ex ipſorum ſacramentorum natura & fine definiendus eſt, qui ex X. Axiomate eſt, *Vt externorum ſignorũ adminiculis animus noſter Spiritus ſancti virtute, ad Rem ipſam .i. Chriſtũ cũ omnibus ſuis bonis aſſurgat. Sacramentalis igitur modus cõiunctionis rei cũ ſignis, Spiritualis eſt .i. nõ craſſus aut terrenus: neq; cõtrà, imaginarius & fictus, ſed verus & efficax, quò Signi terreni & viſi-*

bilis ſummonitione, ad Rei cœleſtis & inuiſibilis veram ſolidámque coniunctionem perueniamus.

16 *Huius igitur copulationis ſigni cum rebus in ſacramētis prima limitatio eſt, Ne Sacramēta à Verbo, quo ipſorū continetur ordinatio, ſeparentur: Secunda, ne inanes rerum abſentium ſint figuræ: alioqui nulla eſſet coniunctio. Tertia, Ne vlla ſignorum aut rerum fiat tranſmutatio: quum hoc pacto deſineret eſſe Sacramentum.*

17 *Vt autem coniunguntur, ita percipiūtur Signa & Res in ſacramentis. Signa nimirum corporea, corporis inſtrumentis: Rem autem diuinam & inuiſibilem, Chriſtum videlicet cum ſuis donis, quū ſoli animo obiiciatur, ſolo quoque animo fide erudito percipi, conſentaneum eſt atque ἀνάλογον. Eſt igitur tota hæc perceptio omnibus modis Spiritualis. Nā & ſpiritualis eſt naturæ id quod percipitur: hæcque perceptio, ſpirituali inſtrumento perficitur: & ſpiritualis eſt tota iſtius inſtrumenti actio.*

18 *Duo tantùm eſſe Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Sacramenta didicimus ex Apoſtolorum ſcriptis, Baptiſmum & Cœnam Domini.*

De illo agere non eſt inſtituti noſtri: de hac autem ex principiis hactenus poſitis ita agemus, vt Quęſtionum à vobis, Ieſuitę, motarum circumſtantiæ perſcripſerunt: non tàm vt de re à noſtris iam copioſè pertractata (ſicuti præfati ſumus) diſſeramus, quàm vt ratam certámque Eccleſiarum noſtrarum ſententiam à calumnijs veſtris vendicemus: multipliciúmque hac de re opinionum veſtrarum abſurda & Ἀσύςατα ex iiſdem principiis oſtendamus: quæ principia ſi negatis, αὐτόπιςον Veritatis lucem profectò negatis.

Pecu-

Peculiaris Reſponſio ad Ieſuitarum verba.

Duplex quæſtio eſt: Vna quidem, Adſitne Chriſtus in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacraméto, & quomodò adſit: Altera verò, Ecquænam ſit in eodem illo ſacramento Chriſti perceptio ſiue communicatio. Vos autem primam illam Quæſtionem ex veſtra ſententia ita definitis, vt Eccleſias noſtras, Caluini nomine, putidiſſima calumnia grauetis. Nos contrà, & vos hallucinari affirmamus, Verbíque Dei expreſſam autoritatem, & Eccleſiæ veteríſque Catholicæ conſenſum nouis veſtris commentis opponimus: vt ſi hæretici ſumus, Verbi Dei & Eccleſiæ hæreſin nos ſequi planè conſtet.

Agemus etiam vobiſcum liberaliter. Si vos pudet à Romanæ Eccleſiæ autoritate deſciuiſſe, & Tranſſubſtãtiationis caſtra repetitis, per nos licet. Emanſorum atque transfugarum nomina & crimina vobis condonamus. Vernaculam & propriã Dominæ de vobis optimè meritæ ſententiam, ſolenníque Romani antiquioris Concilij decreto confirmatam vt tueamini, liberum vobis eſt. Vel alteram, Ieſuitæ, vel vtranque amplectimini, vt ἀμφιδεξίους bellatores decet. In vtraque aduerſus veritatem Sacramenti grauiſſimè à vobis peccari aſſerimus. Vt autem bona fide agamus, quum vos quoque Verbi Dei τὸ ῥητὸν prætexatis, de cuius ſententia & interpretatione quæritur, ipſam illam verbi formulam afferamus, & explicemus, HOC EST CORPVS MEVM: &, ex noſtro quidem inſtituto, breuiſſimè.

Romanæ Eccleſiæ de Tranſſubſtantiatione ſententia quomodò his verbis nitatur, è celeberrimorum Magiſtrorum Scoti, Bielis, Maioris reſponſis obiter quidem notatum eſt. Verùm prætermiſſis illarum interpretationum præiudiciis, ea

quæ in Academiis veſtris probari laudaríque ſolent, age, in medium proferantur, poſſint-ne cum veris Sacramentorum principiis rectè conuenire. Quidam veſtrorum Magiſtrorum ita interpretantur: *Hoc.Id quod ante fuit*, nimirum panis eſt corpus Chriſti: vel Panis fuit, erit aut poteſt eſſe corpus Chriſti: ſiue, Ex pane fit vel fiet, ſiue poſſibile eſt panem eſſe corpus Chriſti. Aiij, hoc modo, *Hoc*, id eſt corpus Chriſti, eſt corpus Chriſti, quaſi Chriſtus corpus ſuum diſcipulis ſuis demonſtraret. Nonnulli verò, quorum princeps eſt magnus ille Thomas, ita exponunt, vt neque corpus demonſtraretur, ſed indiuiduum quoddam vagum, & in genere quidpiam ſignificaretur. Vos autem, ne in tanta doctorum turba ἀσύμβολοι eſſe videremini, ſiue craſſiorem illum & ἀθεόλογον Præſentiæ modum, pro ſingulari veſtra eruditione velletis emendare, edixiſtis, *In Sacramento Chriſti corpus contineri*: non quidem tranſſubſtantiatum, ſed tamen verè contineri. Quàm latus pateat longiſſimæ orationis cãpus, ſatis animaduertitis. Non tamẽ eſt vel inſtituti vel penſi noſtri illũ percurrere. Hoc intẽdimus, Omnes illas interpretationes veſtras à Verbi Dei luculẽta explicatione & Sacramentorum natura & ἀναλογίᾳ, longiſſimè abeſſe: noſtram autem cum illis optimè conſentire: vt boni æquíque iudices ſtatuant, quàm rectè condemnemur.

Quid enim eſt, *Id quod erat panis, eſt corpus Chriſti*? An verbum Dei, ex quo germanam ſacramentorum interpretationem petendam eſſe primum Ἀξίωμα euincit, talem μεταμόρφωσιν vnquam patietur, vt panis mortalis fiat viuificum Chriſti corpus? Perſonæ Chriſti quanta fiat iniuria, vos quoque animaduertiſſe apparet, quum panem non quidem eſſe corpus Chriſti, ſed *Verũ corpus Chriſti ſub*

ſti ſub panis forma contineri edixiſtis. Hac certe Μετουσίᾳ nihil monſtroſius excogitari poteſt. Eodem pacto, quid eſt, *Panis erit aut eſſe poteſt, ſit vel fiet, vel poſſibile eſt vt fiat ex pane, Corpus Chriſti?* Quàm portentoſæ Chimeræ, quanta τεραλολόγων Tragelaphorum importunitas? Iam verò illud *Indiuiduum vagum, Indiuiduum in genere, generalius, in integro,* & cætera id genus εἰδωλοποιητὰ, quàm congrua Veritati, quàm conſentanea ſunt Sacramentorum naturæ repreſentandæ! Verùm de his ſatis ſuperque.

Veſtrum autem illud CONTINERI, num verius eſt Sacramentiſque accommodatius, ξυναληθέστερον μυσταγωγότερον? Longa diſputatio: at de multis paucula. Hoc etiam atque etiam affirmamus, Ieſuitæ, Quæcunque tandem noua Pontificum decreta afferatis, illam quoque interpretationem eodem qua ſuperior illa, pacto peccare, id eſt aduerſus veritatem carnis Chriſti, & germana Sacramentorum principia: vt à noſtris Eccleſiis ſępe demonſtratum eſt certiſſimis argumentis.

Nec verò quicquam facit veſtra illa exceptio, Quòd *corpus Chriſti ſedet ad dexteram Patris.* Licet enim humana Chriſti natura ad ſummum illũ Glorificationis gradum euecta ſit, non tamen idcirco immutata eſt ipſius eſſentia. Hæc autem conditio qua omnia humana corpora loco continentur, vt ſuis nimirum dimenſionibus finita ſint atque circumſcripta, non eſt infirmitatis, ſed naturæ. Atqui vt Verbum Dei docet, Chriſtum eſſe verum hominem, & verum Deum: ſic eundem exhibere debent Sacramenta. Negatur igitur Veritas carnis Chriſti, ſi in pane contineatur, quum diſertè teſtetur Scriptura, *Chriſtum aſcendiſſe in Cœlũ,* &, *Neceſſe eſſe vt Cœlũ capiat* ſiue *contineat illũ vſque ad tẽpora reſtitutionis omnium.*

Sunt enim ipſa illa verba, Ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως. Act.3.21. quod δέξασθαι veſtro illo pane *Contineri* opponimus. Itaque ſicut corpus Chriſti, dum verſaretur in terris, aberat à cœlo, ſecundum humanæ naturæ proprietatem: ita nunc poſt aſcenſionem abeſſe à terris, & Cœlo contineri ſiue comprehendi, ex illo Verbo credimus: cum ſumma quidem illa & infinita Maieſtate quæ ei data eſt in cœlo & in terra, ita tamen vt carnis veritas inconfuſa ei conſtet. Nec verò Chriſtus ita diſcerpitur, nec minus præſens eſt in Cœna. Affirmamus enim nuſquam eſſe Chriſti corpus, quin ibi ſit Diuina natura ὑποστατικῶς cum carne coniuncta, & ideò *Totum Chriſtum* vbique eſſe fatemur, ſed non *Totum Chriſti*, id eſt non ſecundum carnis proprietatem, ſed ſecundum perſonæ vnitatem. Neque hinc conſequitur, *Vbicunque eſt, quatenus Deus eſt, ibidem etiam eſſe, quatenus homo eſt.* Quod enim vbique eſt, neceſſariò Deus eſt quum ſit infinitum: Deus autem non eſt in hominem immutatus, ſed homini coniunctus, vt vna ſit perſona Deus & homo: ſicuti ex eruditæ Vetuſtatis doctrina poſuimus Axiomate IIII. Itaque vt verum eſt quod in Eccleſijs noſtris quotidiè ſonat, Chriſtum adeſſe in Cœna & à Fidelibus verè & efficaciter recipi, ita falſum eſt, Corpus Chriſti elicijs illis veſtris verbis in pane contineri, & in terra eſſe: quum in cœlum aſcenderit, & cœlo contineatur, donec veniat iudicaturus viuos & mortuos. Aliud enim eſt *Chriſtus* in concreto, & *Chriſti corpus*, vel humana Chriſti Natura, in abſtracto, vt loquuntur. Qui perſonam enim cum duabus Naturis è quibus perſona conſtituitur, vel diſcerpit cum Neſtorio, vel confundit cnm Eutychete, ille aduerſus Catholicam Veritatem blaſphemat. Veſtra autem illa interpretatio, Ieſuitæ, germanam

hanc ſimplicémque Veritatem de Chriſti carne planè peruertit,quum iubeat *Chriſti corpus contineri in pane*.Nec verò minus eſt præſens Chriſtus in Sacramento , & eo quidem modo qui Sacramentis propriè accommodatus eſt : quemadmodum mox pleniùs dicemus ſuo loco. Hoc vnum relinquitur, Neque ita eſſe Chriſtum in ſacra Cœna , vt panis in verum Chriſti corpus commutetur:neque incerto illo & temerario modo *Indiuidui vagi* : neque vt ipſum illud corpus *realiter*, vt vultis,*in pane contineatur*.Id fieri nullo modo poteſt,quum diſerto Verbo Dei carnis Chriſti Veritatem aſtruenti planè repugnet,& ipſi carnis Veritati,quæ non eſt vera caro,ſi ſit infinita.

Hìc ad *Omnipotentiæ* aſylum confugitis,nõ ſine grauiſſima noſtri accuſatione quaſi infinitam liberrimámque Dei Omnipotentiã certis quibuſdam cancellis ita circumſcribamus & quaſi circumuallemus,vt *pluribus in locis vnum corpus Deus cõſeruare non poſſit*. Hæc eſt veſtra Crambe: ecquid etiam aliud quàm eaſdem Veritatis reſponſiones ei opponemus? Agemus tamen breuiſsimè , ídque ex veſtri Thomæ principio , *In agentibus per voluntatem , potentia ſequitur voluntatem velut imperãtem.* Rectè igitur Tertullianus , *Temerè & importunè de Omnipotentia Dei quæſtionem moueri, priuſquàm de eius voluntate cõſtet.* Probate igitur Deum velle corpus Chriſti eſſe in pluribus locis , & Deum poſſe confitebimur : quum quicquid velit,hauddubiè poſsit. At quum Deus voluerit nos per Chriſtum hominem ſeruari,verúmque corpus illi in eum finem dederit,nihil certè aliud euinci poteſt quàm corpus illud proprietatibus vero corpori eſſentialibus conſtare:inter quas hauddubiè numerantur ex dimenſiones, quibus verum corpus neceſſariò circum-

ſcribitur. Voluit igitur Deus nos per verum hominem ſeruari. Non eſt ſibi ipſi cōtrarius: qui Naturæ opifex, Naturę quidem legibus minimè obligatur, quædam tamen in rebus ipſis tam ἀκινήτως creauit, & ita in illis inſita, vt ſi mutentur rerum ipſarum interitus neceſſariò conſequatur, quum in iis ſit τὸ τί ἦν εἶναι & natura ipſarum rerũ: ac proinde ſaluis rebus Deus illa mutare nec velit nec poſſit: quoniam ipſe ſibi hanc legem volens & vltro quaſi indixit. Huiuſmodi eſt Neceſſitas principiorum, numerorum, ponderum, menſurarum, ipſarúmque adeò dimenſionum illarum, quibus corpora definiuntur. Ideo rectè aiebat Auguſtinus verè auguſtus Theologus, *Tolle ſpatia locorum corporibus, & nuſquam erunt, & ſi nuſquam nec erunt*: non tamen idcirco Omnipotētiam Dei in anguſtias redigebat. Quid plura? Idem qui principium huic reſpōſioni dedit, eidem finem imponat Thomas, cuius hæc ſunt diſerta verba, *Sed ea quæ ſunt ſecundum ſeipſa impoſſibilia Deus facere non poteſt: vt, non poteſt facere quòd affirmatio & negatio ſint ſimul vera, nec aliquid eorum in quibus hoc impoſſibile includitur. Nec hoc dicitur non poſſe facere propter defectum potentiæ, ſed propter defectum poſſibilis, quòd à ratione poſſibilis deficit: propter quod dicitur à quibuſdam quòd Deus poteſt facere, ſed non poteſt fieri. Lib. 1. ſent. dict. 24.* Hoc quoque addimus, Dei-ne Omnipotentię tanquam poſſibilia tribuetis ea quæ ſunt infirmitatis: vt, peccare, vinci, mori? quę quidem nō ſunt δυνάμεως ſed ἀδυναμίας. In ſumma, reſpondemus tum valere argumentum ab Omnipotentia Dei quum cōſtat Deũ velle: ſicuti rectè colligunt fideles in Pſalmo 115. *Certè Deus noſter eſt in cœlo, omnia quæ voluit fecit.*

Quod

Quod de *Chriſti perceptione* dicitis, peræque eſt ὕπουλον & morbidũ, *Catholicos verum Chriſti corpus ſub panis forma verè comedere*. Obſecro, iucundiſſimi Ieſuitæ, vt in tanta opinionum diuerſitate nos vobiſcũ πιεςςικῶς agere patiamini. Neque enim inſtituti noſtri eſt hoc argumentum nũc pertractare. Omnés-ne peræque Catholicos, id eſt eos, qui ſunt in Eccleſiæ Catholicæ ſinu, cenſetis verè comedere corpus Chriſti: quemadmodum ait Auguſtinus, *Vnum de ſocietate comediſſe panem Domini, cæteros verò panem Dominum*? Hic enim eſus fidelibus propriè quadrat. Quod à vobis diſtingui primùm omnium oportuit: ſicuti diſertè Romanum illud Concilium Berengarianum cauerat, *Fidelium dentibus atteri &c.* Ecquid verò illud eſt, *Comedere*? Eſt-ne dentibus atterere, vt totidem verbis Nicolaum Papam cum CXIIII. Epiſcopis Lateranenſi Concilio decreuiſſe oſtendimus: & vt Gloſſaria veſtra loquuntur, *Ita dentibus atterere, vt vbi primùm ſpecies dentibus terantur, tam citò in cœlum rapiatur corpus Chriſti.* &, vt Maior ille veſter loquitur, *Iſtud non eſſe comedere, niſi cibus in ſtomachum vadat.* &, *Comedere, non eſt ſolum maſticare, ſed oportet cibum in ventrem traijci & concoqui.* Sed an corpus Chriſti in ventrem traijciatur, magna apud veſtros diſſenſio eſt, quã quadruplici quæſtione terminari reſpõdit Seraphicus ille veſter doctor Bonauentura: *Quidam enim*, ait, *dicunt ſolùm in ventrem traijci, ſed quocúmque ſpecies deferantur, ſalua natura illarum, ſiue in ventrem muris, ſiue in locum immundum. Quidam verò dicunt illas manere, quam diu ſpecies ſunt cum aliquo ſenſu, vt viſu vel guſtu, &c.* Lib. 4. ſent. Diſt. 13. q. 2. Pudet ſanè anilium nugarum παραδιατειϐὰς & portenta hîc commemorare. Quòd autem iſtæ ſint Theologiæ veſtræ quæſtiones, prætermitti à vobis non debuerant, quum illarum grauitatem

Dictator ille veſter Lombardus ingenuè agnouerit, *Quidnam* inquit, *accipit mus aut quid comedit, Deus nouit:* & Seraphici illius ſublimitas, *Qui poteſt* (ait) *capere, capiat. qui non poteſt, credat.* Verùm extant infinita huiuſmodi Theologiæ veſtræ myſteria. Sed de his aliâs. Expurgando nimirum Augiæ ſtabulo quondam opus fuit Hercule. Veſtri quoque illius non-ſcripti Verbi ſtabulis expurgandis Herculem vobis propediem opponemus: vt Palladium veſtrum omnibus hoc tempore innoteſcat, quo antiquatos illos obſoletóſque errores ita depingitis, vt tanquam auguſta quædam myſteria fatuo Mundo illa obtrudatis. Apagè igitur Canabalicos illos ſiue Cyclopicos eſus veſtros, & infandum Idoli genus tandē agnoſcatur.

628. Rectè Auguſtinus aureo Verbo aurum ſuperſtruens, *Manducare* definit *credere*: ſicuti & Decretum etiam refert. *De conſecr. diſt.* 47. *q. Vt quid.* & ſpiritualem eſſe eſum illum tam frequenter inculcat, vt ſuperuacaneum eſſet locos paſſim obuios notare. Veſter etiam Thomas ex Verbi ſcripti luce, iubet vt quum aliter alibi ipſe loquitur, à ſeipſo ad illam lucem prouocemus: *Hæc eſt differentia* (inquit) *inter alimentum corporale & ſpirituale: quòd alimētum corporale cōuertatur in ſubſtantiā eius qui nutritur: & ideo non poteſt homini valere ad vitæ cōſeruationē alimentum corporale, niſi realiter ſumatur, ſed alimentū ſpirituale, cōuertit hominem in ſeipſum: ſecundum illud quod Auguſtinus dicit in libro Confeſſionum, quòd quaſi audiuit vocem Chriſti ſibi dicentis,* Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. *Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiā ſine huius ſacramenti perceptione.* 3. *Part.* diſt. 73. art. 3.

De

De *Formæ* quoque vocabulo,quod vobis arriſit, liceát-ne anteſtari?An Formam illam eſſentialem quæ dat eſſe rei, an accidentalem intelligitis?Panémne videlicet in Euchariſtia reuera eſſe? Quod veſter Thomas ſubinde aſſerit eſſe inconueniens, impoſſibile, hæreticum: ac proinde Conſubſtantiatio hæc veſtra vos aduerſus illum cæteróſque proceres veſtros cõmittet, qui *Totum in totum*, hoc eſt *Materiam & formam panis in materiam & formam corporis Chriſti mutari* aſſerunt. Velitíſne corpus Chriſti duabus eſſentialibus formis veſtiri aut informari?An verò *Formæ* nomine, accidentalem formam intelligitis: & à Speciei vocabulo Eccleſiæ Romanæ domeſtico, idcirco abhorretis,quòd teretes veſtræ aures nihil niſi bene latinum pati poſſint,vt vos ſcilicet noui homines noui aliquid afferre videamini: Aut certè, vt eruditos decebat, Lateranenſes formas exprimere volentes, ad Horatianas illas formas alluſiſtis, videlicet *Humano capiti ceruicem pictor equinam Iungere ſi velit, & varias inducere formas*: vt fecit Innocentius.Nos in veſtris rebus inhibere aſſenſum,& inſidias veſtras reformidare, non mirabitur qui & vos nouerit, & nobis vos perſpectos eſſe intelliget.Quid reſponſuri ſitis,vos videritis. Hoc affirmamus, Ieſuitæ, totam hanc veſtram de vera corporis Chriſti participatione ſententiam à vera germanáque Sacramentorum doctrina planè abſcedere.

Vera & germana ſententia Eccleſiarum noſtrarum de vera corporis Chriſti præſentia, & communicatione in ſacroſancto Cœnæ Sacramento.

Quantam autem nobis pro more atque inſtituto veſtro faciatis iniuriam,æquus lector iudicet

bit: qui αὐτοπίστοις illis principiis quæ de Sacramẽtis iam explicauimus, noſtrarum Eccleſiarum de ſacroſanɫto Euchariſtiæ ſacramento hanc eſſe germanam ſimplicémque ſententiam intelliget, ex ipſarum Confeſſione iampridem edita, & ſanɫtorum Martyrũ ſanguine obſignata: cuius hæc ſunt ipſiſſima verba.

Credimus ſacroſanɫtam Cœnam Domini (ſecundum Eccleſiæ ſacramentum) eſſe teſtimonium vnitatis eius: quæ nobiſcũ cum Chriſto intercedit: quoniam non ſemel tantùm ille pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, ſed etiam quòd verè nos nutriat atque ſuſtentet carne ſua ſuóque ſanguine, vt cũ ipſo vnum fiamus, ipſiúſque nobis ſit vita cõmunis. Licet autem in Cœlo ſit, donec veniat ad iudicandum viuos & mortuos: nihilominus tamen credimus illũ nos nutrire & viuificare ſubſtantia corporis & ſanguinis ſui, idque ſecreta & incõprehenſibili virtute Spiritus ſanɫti. Credimus quidẽ id ſpiritualiter fieri: non vt in effeɫti & Veritatis locũ imaginationẽ quandam aut cognitionẽ inanem ſubſtituamus: ſed quoniã hoc myſteriũ ſenſus noſtri menſurã omnémque Naturæ ordinem altitudine ſua longè exuperat. Denique, quum cœleſte ſit hoc myſterium, ſola fide illud apprehendi poſſe credimus.

Credimus tã in Cœna quàm in Baptiſmo, Deũ nobis ea quæ figurat, realiter & ipſo effeɫto exhibere: ac proinde cum ipſis ſignis veram ſolidámque rerũ ibi ſignificatarũ poſſeſſionem vſumque cõiungimus. Itaque credimus eos omnes qui purã fidem tanquam inſtrumentũ attulerint, ea omnia recipere quæ ſigna teſtificantur: id eſt Corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, non minùs cibum & potum animæ eſſe, quàm panem & vinum corpori.

Credimus igitur, Aquam ipſam in Baptiſmo, licet per ſe caducum ſit elementum, non minùs verè teſtificari in nobis interiorem animæ noſtræ ablutionem in ſanguine Ieſu Chriſti vi & efficacia Spiritus ſancti. Panem autem & vinum, dum in ſacra Cœna nobis exhibetur, animis noſtris verè eſſe cibum & potum, quibus verè nutriantur atque ſuſtententur: quum quaſi oculis noſtris repræſentent carnem Ieſu Chriſti eſſe cibum noſtrum, & ſanguinem potum. Phanaticos autem & Sacramentarios deteſtamur, qui hæc ſigna háſque teſſeras aſpernantur: quum Chriſtus ipſe diſertè pronuntiet, Hoc eſt corpus meum: Hic calix ſanguis meus.

Illo nimirũ ῥητῷ, quod in Verbo ſuo perſcripſit Filius Dei, innititur fides noſtra, háncque Cœnæ veram & αὐτόπιστον inſtitutionem eſſe credit, eiúſque veram interpretationem ex eodẽ illo Verbo haurit, vnde αὐτόπιστα illa Sacramentorum principia quæ huic doctrinæ ſubſtrauimus, deprompta ſunt. Horum igitur verborũ hæc noſtra eſt & vera interpretatio: HOC EST CORPVS MEVM.

Hoc, id eſt hic panis: & *Hoc*, vel *Hoc poculum*, .i. hoc vinum: *Eſt*, Sacramentaliter videlicet (nam de Sacramentis agitur) *Corpus meum*, illud nimirum verum & viuificum corpus quod pro vobis traditur & frangitur: & *Sanguis meus*, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum.

Verùm ecquónam modo *Eſt*, ſacramentaliter? Illum modum explicet ipſum illud Verbum, ex quo τὸ ῥητὸν Sacramentorum habemus, vt ex regula à nobis hactenus allata, Scripturæ è Scripturis intelligantur.

Panis quem frangimus, nónne eſt communio corporis Chriſti, *de pane*: & Poculum be-

nedictionis cui benedicimus, nónne communio ſanguinis Chriſti eſt? Hoc facite in mei recordationem, *de vino:* & Hoc facite quotieſcunque biberitis, ad mei recordationem. *Itaque de toto Sacramento.*

Sacramentalem igitur modum illum definimus, quatenus Dominus noſter Ieſus Chriſtus verè (.i. ὄντως non κατ᾽ εἴδωλον) non nudum panem & vinum, ſed vera ſymbola veráſque teſſeras corporis & ſanguinis ſui: neque hæc tantùm ſymbola, ſed etiam præter illa, corpus ſuum & ſanguinem nobis offert fruendum ac poſſidendum in vitam æternam: cuius hîc habemus vera & efficacia pignora, donec plenam in patria felicitatem conſequamur. Modus igitur ille eſt ſpiritualis; nec minùs verus, quia ſpiritualis: ſed idcirco verior, quia ſpiritus eſt qui viuificat: hæc autem verba, quibus fides noſtra innititur, non ſunt humana, ſed ex filii Dei inſtitutione, Spiritus ſunt & vita: fide nimirum per ſpiritum ſanctum in animis noſtris ingenerata, & ex illius virtute myſterium hoc efficaciter & ſalutariter comprehendente.

Non inania igitur ſigna oſtentari, nec imaginarium aliquod corpus, nec fictum ſanguinem Chriſti in ſacramento exhiberi credimus: ſed illud ipſum corpus quod traditum eſt pro nobis, & illum ſanguinem pro nobis fuſum nobis verè in Sacramento demonſtrari atque exhiberi: vt illorum verè fiamus per fidem participes, id eſt Chriſtum cum omnibus ſuis donis verè poſſideamus: Verè nimirum, quia per veram fidẽ veris veri Dei promiſſionibus innixam: ſicuti verũ illum Deum nobis alioqui inuiſibilem & incomprehenſibilem percipimus, id eſt verè cognoſcimus & adoramus: & vitam æternam non fruſtrà ſperamus, & il-

lius

lius vi in hac etiam mortali vita conuerſatio noſtra eſt in cœlis.

Fides enim non eſt imaginatio quædam, aut inanis contemplatio, ſed ſcientia ſalutis, efficiens vt ea quæ ſperantur, reuera extent: & ea verè demõſtrans quæ non videntur, id eſt ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, vt ait Apoſtol.

Denique, vt in Sacramento duo diſtinctè ineſſe diximus, Signa ipſa & Res ſignificatas: ex eodem quoque principio & Signorum & Rerum Veritatẽ, officia, efficaciamque agnoſcimus, totámq; Sacramẽtorũ συναλήθειαν ex Verbo Dei reueremur. Itaque vt vobis ad duarum illarum quæſtionum, De præſentia veri corporis Christi in cœna, & eiuſdem in eadem vera & reali perceptione, capita diſtinctè reſpondeamus,

Profitemur nos hactenus credere totum Chriſtum in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento verè adeſſe: & à fidelibus totum, non portionem panis (vt calumniamini) ſed totum & integrum Chriſtum, verè percipi ad ſalutem: ac proinde nos veram Chriſti in Cœna præſentiam, verámque eiuſdem in eadem perceptionem amplecti: craſſam verò *Capernaiticam & Cyclopicam*, qualem vos inducitis, toto pectore deteſtari.

QVOD ERAT DEMONSTRANDVM.

HANC autem noſtram fidem, & Verbi Dei luculenta perſpicuaque veritate inniti, eandemque veteri & Catholicæ Eccleſiæ olim conſtitiſſe, ex his illuſtribus teſtimonijs, paucis quidem illis & ex magna copia delibatis, æquus lector iudicabit:

hanc Veritatem à multiplicibus mendacij commentis diſtinguet, eámque à veſtris, Ieſuitæ, calumnijs aſſeret atque vindicabit.

De cõmunionis illius myſterio qua cum Chriſto capite Fideles vt illius membra coaleſcunt, & vnum cum illo fiunt, hæc ſunt:

Ephel. 5. 32. *Myſterium hoc magnum eſt: loquor autem de Chriſto & de Eccleſia*: & vers. 30. ita explicatur.

Membra ſumus corporis eius, ex carne eius, & oſſa ex oſſibus eius.

Ioan. 17. 23. *Vt vnum ſint, ſicuti & nos vnum ſumus: ego in eis & tu in me* &, *Vt omnes vnum ſunt, ſicuti Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis ſunt.*

Ioan. 6. 51. *Ego ſum panis viuificus qui è cœlo deſcendi: ſi quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro Mundi vita.*

Viuificam illam ſuam quidem vim exerit Filius Dei in Verbo ſuo, fidem in nobis efficacem ingenerans: eam autem luculentiùs exhibet in Sacramentis & in ſacra ſua Cœna maximè, quam ad vitalem illam carnis & ſanguinis ſui vim repræſentandam propriè inſtituit: cuius inſtitutionis verba Matthæus, Marcus, Lucas accuratiſſimè referunt. Quæ verba vt omnibus nota non eſt opus exſcribere: ſicuti neque ea quæ in eum planè finem à Paulo commemorantur 1. *Corinth.* 11. 23.

Vſum Cœnę Domini demonſtrãt hi loci perilluſtres: Luc. 22. 19. *Hoc facite in mei recordationẽ.* &,

1. Cor. 10. 16. *Poculũ benedictionis cui benedicimus, nónne eſt cõmunio ſanguinis Chriſti? panis quẽ frangimus, nónne communio eſt corporis Chriſti?*

Ioan. 6. 55. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis*

meus verè eſt potus. & eiuſdem capit. vers.63. *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam: verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus ſunt, & vita ſunt.*

Matth.28.20. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* &, *Omnis poteſtas mihi data eſt in cœlo & in terra.* &,

Epheſ.4.10. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui etiam aſcendit lōgè ſupra omnes cælos, vt impleret omnia.*

Act.1.9. *Et quum hæc dixiſſet, aſpicientibus ipſis eleuatus eſt.*

Matth.26.11. *Semper pauperes habebitis vobiſcum: me verò non ſemper habebitis.*

Act.3.21. *Quem oportet quidem cœlo capi, vſque ad tempora reſtitutionis omnium.* &c.

Hi loci, & veram Fidelium cum Chriſto communionem in Cœna, & veram Chriſti in Cœna præſentiam demōſtrant: Capernaiticam & Cyclopicam manducationem, & Idolum craſſæ & imaginariæ Præſentiæ, quod carnis Chriſti Veritatem deſtruit, omnino excludunt.

Ex huius veritatis Αναλογίᾳ ſemper docuit vetus & Catholica Eccleſia.

Symbola omnia hunc diſertè articulum notant, ASCENDIT IN COELOS: & vetus Euchariſtiæ forma hęc verba habet, quę vos etiamnū retinetis, dū ré negatis, SVRSVM CORDA. HABEMVS AD DOMINVM: dū vos deorſum, in panem videlicet, in quo contineri corpus affirmatis, idem corpus Chriſti detruditis.

Auguſtinus. *Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, Viſibili elemētorū ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, Sacramēto, & Re ſacramēti.i.*

corpore Chriſti,&c. Sacrificium autem vocat Cœnam Domini, non meritorium illud veſtrum ex opere operato (quod ne per inſomnium quidem cognouit erudita Vetuſtas) ſed planè *εὐχαριστικὸν*, & *μνημονευτικὸν*, verum & vnicum ſacrificium cuius ſempiterna vis eſt,ac proinde nunquam iterãdum:ſicuti exponit Ambroſius, & Decretũ notat: *In Chriſto ſimul oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? nónne per ſingulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius, vna eſt hoſtia,non multæ.* &c.

Idem Auguſtinus, *Aliud eſt Sacramentũ, aliud virtus Sacramenti.* &,

Idem. *Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti.credere enim in eum, hoc eſt, Panem & vinum manducare. Qui credit in eum, manducat eum.* &.

Idem, *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Accipiant & hoc boni:ſed non ſint ſoliciti. loquebatur enim de præſentia corporis ſui.nam ſecundum Maieſtatem ſuã ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffabilem & inuiſibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum eſt, Ecce,ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.Secundum carnem verò quam Verbum aſſumpſit, ſecundum id quod de Virgine natus eſt, ſecundum id quod à Iudæis comprehenſus eſt,quod ligno confixus,quod de cruce depoſitus,quod linteis inuolutus,quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, Non ſemper habèbitis me vobiſcum. Quare? quoniam conuerſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & deducentibus eis videndo non*

ſequendo

ſequendo aſcendit: Non eſt hîc. ibi enim ſedet ad dexteram Patris, & tamen hîc eſt: quia non receſſit præſentia Maieſtatis. Secundum præſentiam Maieſtatis, ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiã carnis rectè dictũ eſt, Me autẽ nõ ſemper habebitis. Habuit enim Eccleſia ſecundũ præſentiã carnis paucis dieb. modò fide tenet, oculis nõ videt.

Idem, *Sicut eundem Filium & redemptorem noſtrum, ſecundum diuinitatem, inuiſibilem, incorporeum & incircumſcriptum, ſicut Patrem & Spiritum ſanctum non credere, impium eſt: ita eundem Filium Dei in hominem aſſumptum, viſibilem, corporeum & localem poſt reſurrectionem, non credere & profiteri, profanum eſt.*

Auguſtinus, *Donec ſæculum finiatur, ſurſum eſt Dominus: ſed tamen hîc nobiſcum eſt veritas Domini. corpus enim in quo reſurrexit in vno loco eſſe oportet: veritas autẽ eius vbique diffuſa eſt.* Item *Vna perſona Deus & homo. Vbique per id quod Deus eſt: in cœlo per id quod homo eſt.* &c.

Cyrillus autem, *Credere oportet fideles, quãuis corpore ſuo abſit Chriſtus, virtute tamen ſua res omnes noſque maximè gubernare: & adeſſe ſemper ipſum iis omnibus qui eum diligunt. Propterea dicebat, Amen dico vobis, vbicunque duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio ipſorum. Sicuti enim quãdo in terra verſabatur, vt homo, tunc etiã implebat cœlos, & Angelorũ conſortia minimè relinquebat: eodẽ nunc modo quũ ſit in cælis cũ carne, terrã replet & cũ iis eſt qui eum diligunt. Obſeruandũ eſt autẽ, quòd licet ſecundum carnẽ tantùm abiturus erat (adeſt enim sẽper virtute Deitatis, vt diximus) modico tamen tẽpore ſe cũ*

diſcipulis futurũ dicebat, apertè ſeipſum nominãs, ne quis in duos filios Chriſtum diuidere auderet: ſed vt vnũ eſſe quiſque credat: non quod vna ſit natura, ſed quia in vtraque natura eſt vnus Chriſtus.

Verùm quid plura commemoremus? quum & horum teſtimoniorum plena ſit veteris & Catholicæ Eccleſiæ memoria, quæ veram Chriſti in ſacroſanƈto Cœnæ ſacramento præſentiam & participationem tam diſertè aſtrũat, vt qui huic Catholicæ veritati repugnet, vel orthodoxorum Patrum ſcripta nunquam legiſſe, vel non intellexiſſe, vel (quod diabolicum eſt) intelleƈtæ veritati malignè aduerſari videatur. Plures locos exſcribere eſſet ἀπροσδιόνυσον & importunum: quum & in harum Quæſtionum examine, inſtitutæ ſcriptionis fines penè iam exceſſiſſe videamur. Finis itaque huic ſermoni tandem aliquando imponendus eſt: quandoquidem ex hac leui indicatione noſtra æquis ſobriiſque Leƈtoribus iam nõ obſcurũ eſſe poteſt, qua fide nobiſcum agatis, & qua fronte ſacræ Theologiæ nomen & profeſſionem vſurpetis, id eſt quàm reuera ſitis vel Ψευδοθεόλογοι vel planè Ἀθεόλογοι.

RESPONSIONIS HVIVSce Pars ſecunda, compleƈtens Examen ſiue potius velitationem de vera docendi Ratione, & de Verbis: vt quænam ſit Ieſuitarum Turnoniorum eruditio, ex famoſi quoque illorũ libelli pagella conſtet.

RELIQVVM eſt vt de ſciendi Modo quem vos vt bene diſſerendi architeƈti vobis proprio quodam iure vendicatis: & de ſingulari illa humanitatis cognitione (quam hoc erudito etiam

ſæculo

ſæculo totam eſſe veſtram profitemini, vt Academiarum non modò luminibus obſtruatis, ſed vt illarum quoque culpa exulantem Eruditionem ad veſtras ſedes, tanquam ad Veritatis aſylum, poſtliminio reducem veſtro beneficio conſeruari certis argumentis demonſtretis) iam aliquid dicamus. Hæc enim ſunt veſtra encomia, hæ prædicationes, hi communes hominum de ſingulari veſtra eruditione ſermones, eorum etiam qui nec veſtra ſcripta (quæ nondum extant) legerunt, nec vos ipſos quidem audierunt vnquam. Sít-ne verum hoc iudicium tum illud demum pleniùs cõſtabit, quum veſtri illius ordinis Coryphæi exquiſita eruditionis ſuæ monumenta è Muſeis ſuis, in quibus etiãnum latent, in lucem oculóſque hominum eduxerint, vt in hac delira Mundi ſenecta, dum molitur Barbaries vetus illud ſuũ imperium (à quo renaſcente Euangelio exturbata fuerat) inuadere, de genere humano optimè mereamini. Verùm ex hac pagina, quam eruditionis veſtræ ſpecimen ita eſſe voluiſtis, vt celeberrimo hominum theatro eluceret, ſi cordato lectori conſtiterit, vos in recta docendi ratione, politiorúmque literarum cognitione non minùs peccare, quàm in rebus hactenus oſtendimus: quid reſtat aliud quàm vt conſtituamus, Vos in omni veritate eſſe εἰδωλοποιητὰς, nec minus λογισμοπόρους quàm ψυχομπόρους? Certè, vos ea prudentia eſſe exiſtimamus vt in hoc ſcripto quod publico deſtinabatis, Pindarici illius memineritis,

Ἀρχομένω δ' ἔργω πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές.

Ex illo igitur ſcripto eruditionis veſtræ iudiciũ ſtatui debere, Prætor iudicabit. Nos præſcripta verborum formula agemus. *Secundum allegata* (vt aiunt) *& probata*, æquum Iudicem oramus

atque obteſtamur vt de veſtra eruditione ferat ſententiam, ac proinde meritó-ne rectam docendi rationem, bonarúmque literarum cognitionem in vobis deſideremus. Opere in magno fas eſt obrépere ſomnum. In paucíſſimis his autem famoſi libelli verſibus vos dormitaſſe, quàm intolerandum eſſet, & vobis pœnitendum! Deinde, rogamus vt hæc ſit nobis vtilis exceptio. In omni bene morata Republ. (cuius intereſt tanquam pupilli, vt ſuæ vtilitatis omnes curam gerant) fas cuilibet eſſe, eos omnes accuſare, qui in illius peccant cómoda. Teſtamur igitur nos *fungi vice cotis* in veſtris illis examinandis, neque eloquentiæ ilius & exquiſitæ eruditionis quam oſtentatis, laudem affectare.

Non nobis licet eſſe tam diſertis,
Qui Muſas colimus ſeueriores.

Candida fide ea depromimus, quæ curta noſtra ſupellex ſuppeditare poteſt: eadémque fide ea in vobis culpamus quæ germanæ eruditioni publicæque vtilitati aduerſari exiſtimamus. Candidum itaque lectorem oramus vt hæc tam patienter legat quàm nos patienter ſcripſimus, & breuiter perſtrinximus.

THESES illas philoſophicas ſingulatim nunc examinare neque inſtituti noſtri eſt, neque huius aut temporis aut loci. De ſciendi Modo, quem Plato & Ariſtoteles Τρόπον παιδείας, & Χεῖρα φιλοσοφίας vocant, breuiter agere propoſitum eſt. Hoc verò affirmamus, Si vel ex his pauculis, (vt ex vnguibus leonem) vel ex ordinarijs illis Academiæ veſtræ ſcholis, judicandum eſt, quidnam in hac neceſſaria Philoſophiæ parte poſſitis: Aut Logicam imperitè docuerunt Peripatus & Academia, aut illum ſciendi, Ieſuitæ, modum vos ignoratis. Niſi ex ipſis rebus id verum eſſe conſtet, errorem

rorem vltro fatebimur, verámque differēdi rationem paratiſsimo animo à vobis diſcemus.

Permagnum Logices opus eſſe Εὐπορίαν προτάσεων, id eſt Enuntiationum rectè componendarum rationem, docet Philoſophus.

Debent autem enuntiationes ita componi vt rei ſubiectæ naturam commodè & breuiter repræſentent. Omnis autem oratio ita conſtitui debet, vt veluti corpus animalis (quemadmodum ait apud Platonem Socrates) ita ſuis principiis firmata, conſequutionum ἀλληλουχία tota conformetur. Vſus denique (qui Logicæ orationis primarius finis eſt) in his maximè Theſibus debet elucere, quum id vnum habeant propoſitum vt rem ipſam propriis ſuíſque terminis breuiter complectantur. Inſtitutum noſtrum minimè patitur vt hîc Logica tractemus, Hæc obiter notamus, vt quàm Logicè loquamini, eruditus Lector agnoſcat. In pauciſsimis verbis quàm loquaci prolixitate veſtrę illæ Theſes ſint cumulatæ, vt patientiſsimas aures offendant, ἀμετροεπεῖς, ἀπεραντολόγοι (quales Sophiſtarum ait eſſe Ariſt.) écquis non videt? Peccant porrò in primaria demonſtrationis lege, Quòd rerum genera commiſceant: (quod eſt Μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος.) Quòd terminis abutantur, qui in vnoquoque rerum genere debent eſſe οἰκεῖοι, id eſt, proprij & quaſi vernaculi. Ecquis enim ſanus non videat, Ieſuitæ, in hac pagella vos in Theologia rhetoricari, & in rhethorica illa veſtra Præfatione (quam veſtræ eloquentiæ monumentum deſtinabitis) ineptè philoſophari voluiſſe. Ex quibus verò principiis doctrinæ veſtræ ξυναλήθεια, (etiam ex veſtra hypotheſi) ſtabiliatur, quænam conſequutionum ratio, è quibus principiis deducta atque conſtituta eſt; denique, écquis illius farraginis in vllo genere doctrinæ vſus eſt? De

Theſibus philoſophicis loquimur. Nonnulla quidem è Platonis & Ariſtot. doctrina in illis animaduertimus, ſed ita à vobis tractata vt ἀφιλοσοφώτερον & infelicius quicquã à quoquam nõ poſſit. Quòd ſi Scholas illas veſtras inuiſere eruditis liceat & libeat, Illóſne ἀλόγους in veſtro Gymnaſio clamores, Logices fœtus eſſe arbitrabuntur? Iam, frigidæ quędam terminorum notationes, quę κατ' ἀντιπερίστασιν vehemétiſſimos ardores hiſce exclamationibus concitent, habebuntur pro Peripateticis & Academicis diſquiſitionib⁹? At quàm inutiles ſint veſtrorum Ἐκτραγῳδημάτων concertationes qui non ſentit, vel nunquam Theatra veſtra vidit: vel tanquam ex Nili Catadupis ſurdus eſt, & auribus planè ἀμούσοις. Vera, cognita, explorata, nos verè & candidè dicimus, aſſerimus. Diſcat ſcilicet Iuuentus è tenebricoſis illis veſtris ſenticetis commodam diſſerendi rationem, vt inani ſcientiæ opinione tumens, Thraſonica audacia ferox, meram tantùm ſuperſtitionem crepet: officium in rebus neceſſariis prætermittat ſuum. Tales enim diſcipulos à vobis ferè informari maximo Reipub. detrimento, res ipſa clamat.

DE Verbis nos profectò, omnium hominum minimè in verbis ſuperſtitioſi, inutilem diſquiſitionem eſſe exiſtimaremus, niſi vos, Ieſuitæ, verborum phaleris, bene ornatéque dicendi ſpecie, ſiue (vt vos loquimini) forma, &, vt nos, φενάκῃ miſeræ iuuentuti miſerè illuderetis. Theologos & Philoſophos λόγων eſſe ὑπηρέτας non decet: ſed quum è Theologiæ & Philoſophię vera laude vos æqui Iudices deturbent, écquid reſtat vobis, Ieſuitæ, aliud quàm quod Graculo Horatiano, vt ſi furtiuis coloribus nudati ſitis, ſaltem propria laude, id eſt bene loquendi dicendíque ratione, veſtra

ſtra rudera ſuffulciatis? Inuiti hoc examen ingredimur, ſed ita voluiſtis: quippe qui eruditionis eloquentiæque opima ſpolia, Academiis omnibus ex ea laude deturbatis, propriè vobis vendicetis. Veniam igitur nobis det æquus Lector vt veſtræ Præfationis verba breuiſſimè perſtringamus.

Præfatio Ieſuitarum.

Scitè quidem Theocritus duriſſimis in rebus ſpem abijciendam non eſſe iudicabat: quòd viri nomine dignus is non eſſe videatur qui rerum afflictarum æſtu ita fluctuat, vt nullo dato conſtantiæ ſpecimine confeſtim ſe deorſum ferri præcipitem non grauatè ferat. Cui quidem ſententiæ cohærentes. &c.

Scitum profectò & venuſtum primordium, vt eruditus Palæmon hauddubiè ſit exclamaturus, *Quàm lepidè lexeis compoſtæ vt teſſerulæ omnes! &c,* Illud tamen, *Nullo dato conſtantiæ ſpecimine*: & illud, *Non grauatè ferat*, ridebit vt affectatum, & importunè aſſutum. At illud, *Cui quidem ſententiæ coherentes*, non ex Ciceronis, Cæſaris aut Terentii, ſed ex Thomæ, Scoti, ſiue Bonauenturę arculis depromptum agnoſcet. Illud autem, *Vt nautæ in medijs vndarum perturbationibus*, à Latinæ linguæ ſimplicitate abhorrere iudicabit. Iam verò illa Profeſſionis veſtræ oſtentatio, *Tantus lectæ iuuentutis factus eſt ad nos concurſus vt maiorem antea hic viſum eſſe non meminerimus*, Hippiæ vaniſſimi Sophiſtæ Thraſonicam gloriationem in memoriam reuocauit, Ἔγωγε μυρίους (inquiebat Hippias) τῶν ἑλλήνων παῖδας εὐγενεστέρων κἀν ἀθήνησι, διὰ τὰς τῶν λόγων ἐπιδείξεις ξυνήθροισα. Nemóne veſtrũ ἀττικώτερον loqueretur? Vtinam complures, Eccleſiæ & Patriæ commodo, ad vos alliceretis! At quàm verè de to-

to hoc genere ſitis gloriaturi, euentus oſtendet. Iam aurea ſunt illa ſuauiſſimæ veſtræ eloquentiæ verba: *Qua de re non mediocriter commoti, & præſertim ornatiſſimæ Claudiæ Turnoniæ eiusque filij Comitis Roſſillonis Clariſſimi, ſingulari in nos noſtróſque auditores ſtudio atque beneuolentia incitati, dabimus operam vt de more iuuẽtutem ipſam, & quam in dies expectamus copioſiorem, ingenuis artibus cum virtutum ornamentis copulatis non ſolum illuſtremus: ſed & Vniuerſitatum priuilegijs (quæ ad hanc vſque diem propter varios bellorum turbines diſtribui commodè non potuerunt) ſuo tempore cumulemus, prout felicis memoriæ Mœcenas noſter ampliſſimus (Franciſcum* dico *Turnonium, Cardinalem illuſtriſſimum huius Academiæ parẽtem optimum) Pontificia & Regia autoritate nixus fieri decreuit.* Quantam calamiſtri diligẽtiam, quantam verborum lectiſſimorum copiam, quàm aptam & venuſtam ſtructuram in toto illo orationis flumine! Placent nimirum vobis ἀρχαισμοὶ vt illuſtrem Heroinam Claudiam Tureniam, vocetis *Ornatiſſimam*: illuſtrem verò Herôem, Comitem Roſſilonæum, *Clariſſimum* appelletis. Vſus tamen eſt bene loquendi arbiter. Ciuem certè vel mediocri fortuna, *Ornatiſſimum clariſſimúmque* vocaremus, vt vernaculo ſermone, *Honorable ou honeſte perſonne*. Primariæ nobilitatis familiæ, quales Tureniam & Turnoniam vniuerſa nouit Gallia, *Illuſtris* appellationem merentur. Quídnam autem *Clariſſimus* & *Clariſſimatus* Romanis olim eſſet, non ignoramus: ſed contra loquendi conſuetudinem nunc vos ita loqui affirmamus. Vos igitur *De more veſtro*, homines ſcilicet πολιτικώτατοι, iuuentutẽ Ciuilis decori honeſta & neceſſaria cognitione imbue-

imbuetis,id eſt docebitis opportunè quod neſcitis.Iam ſuauiſſima ſunt illa ὁμοιόπτωτα *Ingenuis artibus cum virtutum ornamẽtis copulatis* &c. Omnino vt ingenuos adoleſcentes,Ieſuitas efficiatis,& honeſtas familias dilapidetis. quo genere virtutum veſtrarum iuuentutem fidei veſtræ cõmiſſam vos faſcinare,complures iam conquerũtur.Quàm vietum autem & inſulſum eſt illud, *Propter varios bellorum turbines diſtribui commodè non potuerunt*! Inuenuſtas ſanè Veneres! At Priſcianus purum putúmque ſolœciſmum in Profeſſoribus Vniuerſitatis Turnoniæ, haudquaquam feret: qui aiunt *Dico*, venuſta ſanè ἐπεζεύξει.Pontificem autem in hac Monarchia Regi anteponi, num Francus feret? Quàm opportuna autem hæc eſt Euallage? *Quæ ſanè res non paruos eſt tibi ſtimulos additura,vt vbi per aliquot annos iis autoribus quos hic Catalogus præfert inuigilaueris,iiſdem honorum titulis ad magnos Patriæ vſus exorneris. Vale.* Ad quém-nam illud *Tibi* refertur?Quænam verò illa *Res* eſt? Non poteſt dici quicquam inuolutius. Atqui debebatis meminiſſe,illud in ſcribendo & loquendo optimum eſſe quod ſit maximè perſpicuum & luculentum. Pudet profectò pigetque ſingula expendere.Totum illud veſtrum dicendi genus vel dilutũ eſt vel ampullatum, cuiuſmodi eſt ſciolorum & Sophiſtarum, qui quiduis quolibet loco ambitioſa & iactabũda imperitia alluunt & conferruminant. Simplex contrà eſt Veritatis & Eruditionis oratio,explicata, luculenta, apta, prudẽs. Pannoſam & vietã loquacitatẽ mucoſorũ Sophiſtarum eſſe,eruditi intelligunt. In ſumma, caſtum purúmque latini ſermonis vſum in vobis deſideramus:id-ne iure,ex hoc quidem Sapientiæ

veſtræ ſpecimine ſobrius Lector iudicato. Num verò græcè melius quàm latinè ſciatis, qui Græcas(ſicuti veſtro hoc publico ſcripto deprædicatis)declamationes habetis, tum conſtiterit quum Græcè aliquid edideritis. Quod ſi Chœrileum illud ſiue Mæuianum Carmen veſtrum de D. D. Petri & Pauli encomiis, (quod ad nos deferendum curauiſtis, vt veſtras quoque in eo genere gazas oſtentaretis) exſcribi tempus & charta paterentur: nouo certè argumẽto perſpicuum eſſet, quàm bene de illa Iuuentute cuius ad vos concurſum fieri gloriamini, ſitis meriti. Verùm apage Symphoniæ veſtræ oppidoquàm diſcordis nauſeas. Neque vos Marſyæ ſupplicium pertimeſcitis?

Rem omnino alienam tractatis, Ieſuitæ, dum bonarum literarum inſtitutionem profitemini: quippe qui caſtitatem ſermonis infeliciter calamiſtrato loquendi genere violetis, ineptáſque argutiolas pro vero ſciendi modo inducatis, ipſáſque adeo liberales diſciplinas Sophiſtico cothurno turpificetis:(ſic enim Hippocrateam in eádem querela vocem, τὸ αἰσχεπποιεῖν, liceat ex Cicerone interpretari)ac proinde verè, neque per calumniam: liberè & candidè, neque per conuitium, aſſerimus quod initio huius Reſponſionis proponebamus, Vos in verbis, in ipſáque docendi ratione grauiſſimè peccare, id eſt Ἀφιλοσόφους & ἀπαιδεύτους eſſe. Id verò ex eo libello quem eruditionis veſtræ ſingulare quoddam monumentum extare, quem in hac Ciuitate, ad Regiæ huius Academiæ ignominiam proſtare voluiſtis, conſtare ſobrius & eruditus Lector iudicabit.

A -CA

ACADEMIÆ NEMAVſenſis in hac Reſponſione conſilium.

Quid igitur? Omninò ita eſt. Linguarum, artium, & totius philoſophiæ ſolidam germanamque cognitionem, Euangelii renaſcentis Auroram his temporibus eſſe voluit Deus: vt illis quaſi auſpiciis Veritas, diſcuſſis Sophiſtices tenebris, è ſpelæo prodiret. Iuuentutem quæ ad illa tempora in Syreneis Sophiſtices tenebris quaſi conſeneſcebat, felicior linguarum diſciplinarúmque cognitio mirum in modum excitabat, & ex his elementis ad puriorem Euangelii cognitionem deducebat. Hac humaniorum literarum luce mendacium cœpit innoteſcere, & negligi paſſim: contrà, ſalutaris doctrinæ cognitio magis ac magis propagari in dies. Parlamenta, Academiæ, totæ Vrbes illo eruditionis tyrocinio ſanæ doctrinæ odore replebantur: imperitorum Monachorum craſſa & ſtupida Ignorantia paſſim ridebatur. Quid Sathan? Veritatis videlicet ſimia, Eruditionis cothurnum in theatrum eduxit, vóſque excitauit, Ieſuitæ, qui Linguarum ſcientiarúmque cognitionem non modò oſtẽtaretis, ſed & ordinem eum quem in Eccleſia ſua his extremis temporibus Deus inſtaurauerat, ſummæ vtilitatis ſpecie imitaremini. His artibus iuuẽtutem inſtituendam ſuſcepiſtis, quòd earum rerum quibus ad humanitatem iuuentus ingenua informari debet, periſſimi vulgò haberemini: Ludos literarios paſſim aperuiſtis: Catechiſmos etiã more noſtro habere cœpiſtis: denique ordinis noſtri ſimulachrũ ſumma accuratione imitati eſtis. Veritatem igitur

his armis inſtituiſtis oppugnare,& Mendacii paſſim collabentis rudera inſtaurare. At quibuſcunque tandem telis inſtructi ſitis,à vobis tamen non poteſt opprimi Veritas, quæ maiora quàm veſtra ſint, Philoſophiæ & Eloquentiæ propugnacula, per homines illiteratos olim euertit. Hoc etiam addimus, Vt vt magnam eruditionis famam paſſim vobis concilietis,nondum tamen aliud reuera conſtitiſſe,quàm vos non germanam Eruditionem, ſed Eruditionis ſimulachrum habuiſſe tantùm, vt eadem erroris efficacitate hominibus imponeretis, oſtentatione Eruditionis qua in Veritatis doctrina hominibus illuditis: atque adeò non minus Eruditionis quàm Veritatis fumos imperitis vos vendere. Non poſſumus aliter de vobis æſtimare, donec certiora eruditionis veſtræ teſtimonia nobis dederitis.

HÆC autem de multis pauca,Profeſſores Turnonii, non veſtri(ita nos Deus bene amet) inſectandi cauſa, aut contentionis, vanæque gloriæ pruritu, ſed Veritatis publicæque vtilitatis ſtudio, in his veſtris quas ad nos miſiſtis, Theſibus annotauimus.De quo iudicio noſtro, & prouocatæ à vobis vltro Veritatis patrocinio,parati ſumus coram legitimis iudicibus reddere rationem.Neque tamen prouocati perſonas veſtras laceſſiuimus: de rebus ipſis verè & liberè reſpondimus, quidnam à vobis peccaretur, quòd ad Eccleſiæ Patriæque vtilitatem pertineret,ſine fuco & felle conati ſumus demonſtrare. Si peccata illa veſtra non videtis, Iuuentus, cuius credulitate & patientia abutimini, oculos tandem aperiat, & veſtra propiùs perſpiciat, verum à falſo diſcriminet. Sin per ætatem & clamores veſtros (quibus non dubitamus quin hanc veram libertatem aut liberam veritatem noſtram ſitis grauiſſimè inſectaturi)

turi) haudquaquam ei licet, Parentes ſaltem aut qui in parentum ſunt loco (quorum intereſt ne ſui heredes, chariſſima pignora, temporis nō modò faciant iacturam, ſed maximo quoque accepto incommodo cariſſimè emant pœnitere) ne patiantur ampliùs vos puppis & cruſtulis filios ſuos circumuenire, nocentiſſimíque lucri genere ſuorùm filiorum mercaturam actitare: eóſque Gehēnæ filios facere qui Eccleſiæ & Patriæ commodis ſunt deſtinati. Intolerabile profectò erat, noſtro ſilentio veſtráque importuniſſima loquacitate opprimi Veritatem: vóſque infelici quodam cothurnatæ Eruditionis præiudicio omnium Academiarum ordinem permiſcere, & miſeræ iuuentuti non modò impunè, ſed etiam cum laude & præmiò illudere. Eccleſiæ & Patriæ charitas hoc à nobis quidem officium efflagitabat: ad Academias autem omnes in Regni huius latifundio variè diſtributas, Pariſinam cumprimis noſtrûm omnium veluti matrem pertinet videre, Nequid detrimenti Eccleſia & Patria à vobis patiatur.

De Religionis nonnullis capitibus diſputauimus. Oramus autem eos omnes qui nobiſcum non ita ſentiunt, vt in bonam partem interpretentur noſtram libertatem, & explorent an temerè Verbi Dei & Eccleſiæ Catholicæ autoritatem in hac doctrina ſtabilienda afferamus: neque propterea nouæ diſſidiorum faces inflammentur. Quum Veritatem altercando amitti & vetus docuerit Prouerbium, & funeſtiſſima poſt annos complures in hoc Regno experientia demonſtrauerit, quantò rectius & vtilius futurum eſſet de Veritate ex veritate diſputare, eo videlicet quem Veritatem maximè decet modo, id eſt candidè, ſimpliciter, cordatè, piè: non vt Veritatem vincamus, ſed vt à Veritate victi Veritatem conſequamur, vt ſi-

mul cum Veritate coronemur. quod victoriæ præmiíque præſtantiſſimum eſt genus. *Præſtat enim* (vt inquit magnus ille Theologus) *vinci à vero quàm verũ per falſum vincere, vt infeliciſſima mẽdacy victoria pereat victor.* Agitur hominum ſalus: quam vnicuique charam eſſe conſentaneum eſt. Pacis, ſummo Dei beneficio, nobis tributæ hic longè optatiſſimus eſſet fructus, ſi ineundæ con• cordiæ illuſtrandæve Veritatis ratio quædam iniri poſſit, eo ordine & modo qui optimus commodiſſimúſque eſſe videretur. Sin minùs (id eſt ſi hominum peccata tantum beneficium impediant) hoc tamen conſtituendum eſt, Veritatem vinci nullo modo poſſe cuius æternam eſſe victoriam omnium ætatum experientia comprobauit. Non erit Veritas ſuis peregrina, quum Deus norit eos qui ſui ſint, & illi vocem Paſtoris intelligant, peregrini auerſentur. Verborum quidẽ contentionibus Veritatem defendi aut illuſtrari minimè putamus, & ab huiuſmodi certaminibus penitus abhorremus: quum tamen nunquam ſit deſerenda Veritas, illud quoque ſingulari Dei beneficio nobis ſit tributum vt Chriſtianiſſimi Regis noſtri Edicto, Veritatis publicè docendæ facultas nobis conſtet: fas quoque nobis eſſe, Veritatem à calumnia vindicare, écquis cum ratione negauerit? Ne in Veritate aſſerenda modeſtia in nobis meritò deſideretur, illud verò nobis prouidendum fuit. an verò in hac ſcriptiuncula id præſtiterimus, piorum & cordatorum iudicium eſt.

Dominus Deus noſter, belli pacíſque ſummus arbiter, qui ſe Pacis Deum proprio quodam & verè auguſto nomine vult appellari, miſero huic Regno, & inter omnes Regni huius prouincias huic miſerrimæ Occitaniæ pacem cõmodam diuturnám-

turnámque tandem aliquando pro ſua miſericordia largiatur. Pacem illam publicam, qua tantopere indigemus, non impediet bellum Veritatis cũ mendacio ſempiternum: & quicquid Sathan, & Sathanæ miniſtri molientur, nihil per ipſorum furores Veritati decedet: ſed tunc vincet Veritas, quum oppugnabitur, NEMAVSI, ad XII Octobris anno vltimę Dei patiẽtię, cIↄ Iↄ LXXXII.

ETIAM VENI, DOMINE IESV.

ACADEMIAE NEMAVSENSIS EXPOSTVLATIO

De Ieſuitarum Turnoniorum bis cocta (vt ipſi diſertè aiunt) Crambe.

ID EST

Quòd non reſponderint, ſed iiſdem planè inculcatis, ad ſuum Tribunal Academiam quaſi ream citarint: quum ſolidis ſeriiſque ipſius argumentis ſolidam ſeriámque reſponſionem opponere debuiſſent.

Adiũcta eſt accurata vniuerſa diſputationis Sũma.

PROVOCATI à vobis, Ieſuitæ, vobis hactenus reſponderamus: vnius profectò (ſicuti candidè teſtati ſumus) veritatis defendendæ illuſtrandæque ſtudio. Hoc quoque vos Veritati, hoc piis honeſtiſque quamplurimorum hominum votis ſanè debebatis, vt qua fide nos à vobis laceſſiti plæraque Theſibus veſtris

oppoſueramus, eôdem vos animo & candore, & noſtra dilueretis & veſtra defendereris. Dum tamen eius eruditionis quam proprio quodam iure vobis vendicatis, opinione dignum quidpiam omnes arrectis oculis, auribus, animis exſpectamus: ecce, poſt menſes quatuor totos quibus parturitis, noua à vobis tandem naſcitur Scytale: non nobis quidem quicquam apportans noui, ſed idem planè inculcans quod anno proximè elapſo edideratis, id eſt bis coctam (vt totidem verbis agnoſcitis) Cramben obiiciens, nos verò ad Imperij veſtri tribunal reos citans, vobis videlicet Iudicibus grauiſſimarum controuerſiarum aleam ſubituros. Sunt enim hæc ipſa Crambes illius veſtræ verba: quam non pigebit totam exſcribere, vt ad eam non modò reſpondeamus, ſed & de veſtra & de noſtra reſponſione iudicare tutiùs prudens & æquus Lector poſſit.

Mirabere fortè quid ſit, quòd præter conſuetudinem noſtram, anni proximè elapſi Concluſiones Theologicas tibi quaſi cramben bis coctam etiam hoc anno obiiciamus. At profectò deſines mirari, vbi cauſam eius rei breuiter acceperis. Quum enim hæ Propoſitiones in Miniſtrorum Nemauſenſium manus incidiſſent, earúmque illis minùs elegantia probaretur, ac neſcio quid ad reprehendendũ Ariſtarchi videlicet acuti, arripuiſſent: libello hanc vnam ob cauſam edito non leuiter exagitarunt. Atque vt intelligeres quàm meritò id fecerint, eaſdem omnino, ne verbo quidem immutato, tibi ſtatuimus eſſe denuò proponendas. Nec verò ſatis habuerunt improbè calumniari, niſi etiam libellum illum ſuum quibuſdã propoſitionibus omnino falſis & à veritate planè alienis reſpergerent, vt coràm, ſi modò huc

ad nos

ad nos venire audeant, fauente Deo conuincemus. Ac ne in poſterum liceat ipſis conqueri, quòd aliquot tantùm (vt ipſi loquuntur) ante diſputationẽ horis ad illos cõcluſiones tranſmittamus, en maturè nunc mittimus, vt ſi animus eis non deeſt, in cãpum arenámque deſcendant: qua re nihil nobis gratius facere profectò poſſunt. Habes rationẽ conſilij noſtri, optime Lector. Hæc veſtra ſunt verba, Ieſuitæ, ad veſtrũ exẽplar compluriũ dierũ noctiúmque ſudoribus exantlatum, optima fide collata atque deſcripta. Cætera, quum eadem ſint planè, ex ſuperioris anni libello hauriantur.

Periniquæ igitur conditionis inſolentiam nouitatémque vos etiam, Ieſuitæ, perſpexiſtis, qui miraturum hac de re Lectorem præfati eſtis. Verùm eccuínam vos in animum inducturos arbitramini, vt deſinat mirari, nulla tã peregrini Decreti cauſa reddita: idque nõ in Academia modò ſed in Eccleſia Dei maximè, in qua nihil niſi cũ ratione licet? Primùm id à vobis poſtulamus, Ieſuitæ, Cur nõ reſpondetis? cur non rationibus noſtris nouas rationes opponitis, quibus euincatis nos hallucinari? Hóccine eſt cum ratione reſpondere, Vos eaſdem Propoſitiones veſtras, ne verbo quidẽ immutato, Lectori obtrudere? Quomodò Lector intelliget vos à nobis non fuiſſe meritò reprehenſos, ſi nulla defenſionis veſtræ ei conſtet ratio, noſtræ autẽ reprehẽſionis argumenta perſpiciantur? Non eſt aut Theologi aut Philoſophi, quum ratio quæritur, petere principiũ: tyrãnis eſt in libera Academiæ Rempubl. obtrudere, Hoc diximus: neque eſt veſtra Pythagorea autoritas. Ecquo tãdem iure imperiũ illud vſurpatis? Vobíſ-ne cũ hominibus rẽ eſſe obliti eſtis? Si adſunt vobis rationes quibus doctrinam veſtrã defendatis, cur eas eruditis de re tota ſobriè

iudicaturis non exhibetis: ſi deſunt, cur nos improbè calumniari affirmatis: ſi calumniamur, cur non proditis calumniam: ſi non calumniamur, écquis non videt vos in nobis immeritò culpandis calumniari? Atenim in hoc quoque proſtituti pudoris veſtri monumento, vos ſcientes-volentes fucum facere, qui noſtram Reſponſionem vel per tranſennam legerit, manifeſtè iudicabit: vt vos veſtro indicio tanquam ſorices prodamini. Ecquis enim non animaduertit nos bona fide ipſiſſima Propoſitionum veſtrarum verba exſcripſiſſe, vt ne apicem quidem vllum immutauerimus? Vbinam ſunt ergo propoſitiones illæ falſæ quibus libellum noſtrum reſperſimus? Falſum prodite, vel vos ex talionis lege falſi tenemini. Quòd autem affirmatis, ſolam Propoſitionum veſtrarum elegãtiam nobis minus probari: eamque vnam ob cauſam libello edito nos eas grauiter exagitaſſe, & in eo caput eſſe reprehenſionis noſtræ: ſi quid in vobis ſupereſt frontis, ipſe liber docebit continuò nũ verè loquamini. Siccine reueremini veritatem, vt in re etiam quæ omnium teſtimonio probari aut refelli poteſt, id non modò auditoribus veſtris (quibus ne Reſpõſionem noſtram legerent, interdixiſtis) inculcetis quod planè aliter habere res ipſa clamat: ſed & publico ſcripto publicã nomini veſtro notam inuratis ignominiæ ſempiternæ? Rectè-ne néc ne vos reprehenderimus, penes æquos Iudices arbitrium eſto. Hoc profectò cõſtat, nos ré ipſam, rem omnino ipſam in vobis libello illo noſtro propriè damnauiſſe: & tribus quæſtionibus, iiſque grauiſſimis, vniuerſam diſputationẽ noſtrã fuiſſe occupatam. Humaniorum quidem literarum cognitionem (& in ipſis verbis & in ipſo ſciendi modo maximè) in vobis deſiderauimus: ſed vix vnam aut alteram paginã huic examini tribuimus. Ex quibus tamen pauculis cordati viri diſ-

cent ſuis liberis prouidere, ne eius rei quam ignoratis, oſtentatione miſeræ iuuentuti pergatis imponere. Nos verò rem interea ipſam & damnauimus & damnabimus in vobis: & eam quidem rem quæ & auguſtiſſima & præſtantiſſima eſt in vniuerſa vita, quippe quę ad animæ noſtrę ſalutem pertinet: vt quos laqueis veſtris irretitos tenetis, ab illis tandem cognitæ veritatis efficacitate ſe extricent, neque iſta ita legant tanquã in puluere ſcholaſtico Quotlibeta pro Doctoratu proponerentur: ſed norint ſalutem ſuam agi, ac proinde seriò in his ſibi verſandum eſſe intelligãt. Et licet veſtrûm alij pugnent aduerſus cógnitam veritatẽ, alij ignoratione veritatis inoletum mendacium tueantur, omnéſque certatim in eo elaboretis vt homines vel in errore detineatis, vel errorem in illis augeatis: perſuaſum tamen habemus hunc noſtrum laborem filiis Dei non inutilem futurum. Atque ex primordiis eius diſputationis, cuius vos cauſam dediſtis, vberiores fructus in poſterũ præſagimus: quum veſtrorum etiam complures iam incipiant oculos aperire, & ex ipſis effectis perſpicere quínam ſitis, Catholicam veritatem nobiſcum, per Dei gratiam, amplectentes.

Verùm quàm temperata eſt illa Dictatura veſtra? Edicitis vt ad *vos audeamus venire, ſi animus non deeſt in campum arenamque deſcendere.* Ecquis ſobrius non videt eo vno ipſo rationes maximè vobis deeſſe? Fáſne cuiquam eſſe ſanus quiſquam arbitrabitur, vt aduerſario ſuo aduerſarius & loci & Iudicum legem imponat: is etiam qui ad certamẽ aduerſariũ prouocarit, quum ciuiles leges edicant prouocãti, vt prouocato & loci & armorũ optionẽ relinquat. Vos igitur qui nos ad certamen pertraxiſtis, in Turnonio illo imperio veſtro Iudices ſedebitis in propria cauſa: & vt de nobis inaudi-

ta cauſa planè condemnatis claſſicum modò canitis, ita trophæa debellatis, imaginarij victores, tādem conſtituctis. Nobis certè animum minimè deeſſe ad tuendam veritatem, ſcripta noſtra abūdè teſtantur: quæ quidem Academiarum omniū theatro cōmunia eſſe voluimus, vt Iudices omni exceptione maiores & de nobis & de vobis iudicarét. Num veſtri Gymnaſij anguſtias omnium Academiarū latifundijs vos anteponetis? A vobis igitur, Ieſuitæ, ad illarum iudicia prouocamus. Si animus vobis non deeſt tuendæ illuſtrandæque Veritati, in nobilem illum campum deſcendite, è Muſeis exquiſitæ illius eruditionis Ieſuiticæ myſteria eruite. Quòd ſi commoda iniri ratio poſſit colloquij inter vos & nos conſtituendi, votorum noſtrorum ſummā videremur planè conſequuti. Hoc profectò votis omnibus peroptamus, vt Regio beneficio, liberæ legitimæque diſputationis copia nobis tribuatur. Ad rem tam piam, tam honeſtam, tā vtilem, tam denique neceſſariam promouendam, vt vos nobiſcum coniungatis, vos etiam atque etiā hortamur, rogamus, obſecramus, obteſtamur. Nos certè quidem pro tam neceſſario officio deuouemus, noſtrarúmque Eccleſiarum nomine ſanctè pollicemur, illas pro hoc Veritatis examine nihil vnquam detrectaturas. Quòd ſi has conditiones repudiatis, & pro more veſtro conatus noſtros veteratoriè eluditis, teſtis nobis eſto vniuerſus Mūdus per nos haudquaquam aut ſtetiſſe aut ſtare, quominus Veritas moderata diſputatione illuſtretur. Si quoque id quod in controuerſia eſt, tanquā firmiſſimam rationem inculcatis, ſcriptis reponitis, écquis non videat vos iam manus dare, & victos expugnatóſque eſſe à veritate, ſilentio illo veſtro vos confiteri?

Verùm vt de re tota Lector iudicare cōmodiùs vtiliúſ-

vtiliúſque poſſit, & in Michaëlitiis illis diſputationibus veſtris, præter communia penſa, habeant Auditores veſtri de quo diſputent: Reſponſionis noſtræ ſummam iuuerit ſubiecto Diagrammate repreſentare: quod quidem & doctrinæ noſtræ & veſtræ comparationem in hoc argumento ſimpliciſsimè complectatur. Ad veſtram quoque illam dubitationem, cuius expediendæ rationem vos inuenire non potuiſſe profitemini, breuiter & perſpicuè reſpondebimus.

DIAGRAMMA, SVMMAM complectens, tum veteris & Catholicæ doctrinæ quæ in Reſponſione noſtra fuſiùs explicatur, tum nouæ & peregrinæ quam Ieſuitæ Turnonij in ſuis Propoſitionibus, nulla ratione reddita, ratam fixámque eſſe iubent.

VETVS ET CATHOLICA DOCTRINA, id eſt, Aurum doctrinæ ſalutaris.

QVum Eccleſiæ nomen & faciem Sathan ſæpè ementiatur, primùm omnium conſtituendum eſt & quid ſit Eccleſia, & quibus notis vera germanáque Eccleſia ab æquiuoca, id eſt, à falſa adulterináque Eccleſia diſtinguatur.

1 *Eccleſia*, eſt communio Sanctorum, id eſt filiorum Dei per vniuerſum terrarum orbem diſperſorum, in vno capite Ieſu Chriſto coadunatio & ſocietas.

2 Vt vt autem vna illa ſit Eccleſia Catholica, Chriſti ſponſa, fidelium mater, gemina tamen illius notio & quaſi facies diſtinguenda eſt. Inuiſibilis quidem, vni Deo propriè cognita, electorum cœtus: Viſibilis autem, ex iis nimirum notis quæ veram Eccleſiam à falſa diſterminant, hominibus conſpicabilis: in qua mali permixti ſunt cum bonis, hypocritæ cum fidelibus, ad inſtaurationis vſque tempus. Multi quippe ſunt in Eccleſia, qui non ſunt de Eccleſia.

3 Viſibilis Eccleſiæ ſunt notæ, Verbũ Dei, & legitima ex illo Verbo Sacramentorũ adminiſtratio.

4 Vt in vna Eccleſia ſalus eſt, ita Veritas. Veritas autem vnico Dei verbo cõtinetur, qui & ſalutis noſtræ & ſalutaris doctrinæ autor eſt.

5 Vnicum illud Dei Verbũ quo ſalutaris doctrina definitur, agnoſcimus Prophetarũ & Apoſtolorum doctrinam, veteris & noui Teſtamenti libris comprehenſam.

6 Illo Verbo Dei ſcripto omnia fidei dogmata ad ſalutem neceſſaria cõtineri credimus: neque ab eo vel quicquam demere vel ad illud adiũgere quidpiam, cuilibet creaturæ fas eſſe affirmamus.

7 Ex illo Dei Verbo veritas à mendacio certò diſtinguitur, ipſúmque proinde Verbũ ex ipſo Verbo, facta locorum inter ſe comparatione, ex ipſa quidem fidei analogia notatis locorum prudenter circumſtãtiis, rectè intelligitur: vt ad eam quæ ad ſalutem noſtram pertinet, veram ſolidámque ſcientiam, nullus fidelium dubitationi locus relinquatur.

8 Eccleſia Catholica, Verbo illo ſcripto vt fũ-

damento

damento innixa,eſt columna & firmamentum Veritatis,id eſt cuſtos & interpres ſalutaris doctrinę:atque adeò magna eſt auguſtáque Eccleſię,hoc auſpicio Verbi Dei,autoritas.

9 Quemadmodum Deus nouit eos qui ſui ſunt,ſolidúmque ſtat fidelibus hoc Dei fundamẽtum,quo firmata eorum fide, non poſſit excidere: ita propter hominum peccata,viſibilis illa Eccleſiæ facies,varijs mutationibus & viciſſitudinibus iuſto Dei iudicio ſæpe percellitur.

10 Itaque non perſonarum aut locorum, ſed doctrinæ ſucceſſio in Eccleſia quærenda eſt, quæ vna eademque in vnici illius Verbi monumentis conſtanter perdurat:vt in mediis quidem vel maximarum mutationum tenebris nũquam deſit qui verum Deum agnoſcat & colat.

11 *Idolorum* ſiue Imaginum cultum,omnéſque voluntarios ipſis hominum commentis,cõtra Dei Verbum aut ſine Dei Verbo excogitatos Dei colendi ritus,toto pectore deteſtamur.

12 Ex animis hominum exturbanda ſunt primùm Idola ſiue Imagines,vt ex omnibus ſiue priuatis ſiue publicis locis poſtea exturbentur. At quum priuato homini nihil liceat in Republ. iniuſſu Magiſtratus,non poſſunt,illa niſi publica autoritate,publicè exturbari.

13 *Sacramenta* Catholicæ Eccleſiæ nota (vt diximus) altera,ſunt Verbi ſigilla & teſſeræ.Quod enim Verbum docet,idipſum exhibent Sacramẽta, Chriſtum videlicet ipſum cũ omnibus ſuis donis:vt in eum Eccleſia per fidẽ inſita,ſit heres remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ.

14 Verbum Dei,Chriſtũ nobis proponit vnicum redemptorem & Mediatorem generis humani,verum Deum & verum hominẽ, duabus naturis in vnam perſonam hypoſtaticè vnitis, naturarũ tamẽ ipſarũ in ipſa perſona proprietatibus in-

confuſis & diſtinctis omnino manentibus.

15 Ita veri illius & vnici Mediatoris Chriſti, Dei & hominis, carnem credentibus cibum eſſe verè viuificum, & ſanguinem potum verè vitalem docet. Idipſum de Chriſto Sacramenta teſtantur, adhibitis ſignis, ad rem eandem & illuſtriùs & efficaciùs ſignificandam atque obſignandam.

16 Chriſti caro non eſſet viuifica, neque ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorũ, niſi Chriſtus eſſet & Deus & homo. non enim eſſet Redemptor, ſi tantùm aut Deus aut homo eſſet: ſed vtrunque & Deum & hominem eſſe oportuit, vt totus & integer eſſet verè Ieſus, id eſt ſeruator Eccleſiæ ſuæ.

17 Cœna igitur Domini, quæ ad ipſius memoriam teſtificandam atque recolendam inſtituta eſt, non imaginarium aut figuratum Chriſtum in nudis ſignis, ſed verum Chriſtum pro nobis crucifixum & mortuum, atque adeò totum & integrum fidelibus exhibet atque repreſentat.

18 Itaque totus & integer Chriſtus in Cœna verè adeſt: & totus & integer à fidelibus verè percipitur: verè nimirum, non Capernaiticè ſiue Cyclopicè (id eſt vel Tranſubſtantialiter vel Conſubſtantialiter) ſed per fidem quæ non eſt aliquid imaginarium aut commentitium, ſed ex promiſſione veracis & omnipotentis Dei, efficaciſſima eſt credentibus.

Ex vi igitur & neceſſitate contrariorum neceſſariò conſequitur id eſſe falſum quod Catholicæ veritati repugnat: ac proinde falſa eſt

NOVA ET IESVITICA doctrina, & Palea & fœnum eſt:

Atque adeò

19 Non eſt verum, *Eccleſiam Romanã eſſe Catholi-*

tholicam Eccleſiam, id eſt particularem vnius ciuitatis Eccleſiam, eſſe vniuerſalem. id enim eſt Orbem in Vrbe includere, vt ait Hieronymus.

20 Neque verum eſt, *Pontificem Romanum eſſe caput Eccleſiæ Catholicæ*: quum vnum ſit Eccleſiæ caput, Chriſtus: vt neceſſe ſit eum eſſe Antichriſtum (ſicuti ait Gregorius Papa) qui vniuerſalis Epiſcopi vel ſummi Paſtoris ſiue Pontificis nomen & autoritatem in Eccleſia vſurpat.

21 Neque verum eſt, *Verbi Dei interpretationem ab Eccleſiæ autoritate pendere*: quum Verbo Dei vt fundamento, Eccleſia, quanta quanta eſt, innitatur: ſicuti ait diſertè Apoſtolus.

22 Neque verum eſt, *Duo eſſe Dei Verba: vnum ſcriptum, alterum non-ſcriptum ſiue Traditiones*: quum vnus ſit Deus, vna veritas, vna fides, vt idem ait Apoſtolus.

23 Neque verum eſt, *Eccleſiam non poſſe errare*: quum Eccleſia viſibilis, quandiu in hoc mundo peregrinatur, non ſit ſine ruga & macula: permixtis nimirum hypocritis cum fidelibus, ipſiſque fidelibus triſtiſſimas peccati reliquias in ſe circunferentibus, vt eorum in eo ſit perfectio, quòd ſe imperfectos agnoſcant. Hominibus autem conſtare Eccleſiam perſpicuum eſt.

24 Neque denique verum eſt, *Eccleſiam ſucceſſioni perſonarum alligari, vt hac nota verè Catholica agnoſcatur*: quum non perſonis, ſed doctrinæ diuinæ Eccleſia innitatur.

25 Non eſt verum, *Idolum ſiue Imaginem inter ſe differre*: quum planè ſint Synonyma vocabula (illud enim Græcum eſt, hoc Latinum) idem vniuocè & identicè ſignificantia.

26 Vanum eſt & prorſus ineptum hoc Idolorum patrocinium, *Honorē eū qui imaginibus exhibetur ad ipſa Prototypa referri*: quæ quidē Prophetæ, vanitatem & mendacium appellāt: Apoſtolus

verò, Nihil vocat. Hæc eſſe imaginum Prototypa, hanc illarum eſſentialem formam ſiue quidditatem quũ affirmet Catholica veritas, omnino conſequitur, Grauiſſimam fieri iniuriam ſanctis Dei ſeruis, quorum nominibus in hac delira Mundi ſenecta, abutitur ſuperſtitio: quũ & ipſi, dũ viuerẽt, diuinos hos cultus totis animis ſint execrati.

27 Vana etiam eſt diſtinctio, *Latriæ, Duliæ, Hyperduliæ*: quum his dicendi quoque generibus minus Deo quàm Sanctis obſequiũ tribueretur.

28 Quapropter minimè verum eſt, *Imaginum cultum in Eccleſia Catholica eſſe retinendum*: quum & id ſeueriſſimè vetet Lex Dei, ſempiterna bene viuendi regula, tanquam ſummum aduerſus Dei Maieſtatem ſcelus: & Euangelium eadem ſeueritate interdicat, vt ab Idolis caueamus.

29 Non eſt verum, *In Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſti corpus contineri*: quum diſertè teſtetur Scriptura, & Chriſtum hominem in Cœlum aſcendiſſe, & neceſſe eſſe illum Cœlo contineri vſque ad tempora reſtitutionis omnium. Nõ ergo Chriſti corpus in Sacramento, vel ſub forma panis (vt dicitis) continetur, ſi Cœlo contineatur.

30 Neque verum eſt, *Panem Euchariſtiæ in verum Chriſti corpus, & in verum Chriſti ſanguinem, poſt conſecrationem tranſſubſtantiari: vt nõ amplius ibi ſit panis aut vinum, ſed verum Chriſti corpus, & verus ſanguis*: quia hoc commentum planè euertit veritatem corporis Chriſti, quod non poteſt eſſe verum corpus ſi ſit ſimul in pluribus locis: & veritatem Sacramenti, quod non poteſt eſſe verum Sacramentum, ſi ſigna in rem ſignificatam tranſmutentur.

Licet tamen hæ duæ opiniones ſint per ſe falſæ, ſunt tamen inter ſe diſparatæ atque contradictoriæ, vt vnà ſtare nullo modo poſſint. Quamobrem viderint etiam atque etiam Ieſuitæ Turnonii quid

rerum agant, quũ aſſerũt verum Chriſti corpus in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento contineri. affirmamus enim illud dogma eſſe prorſus inconueniẽs & incompatibile (vt puris putíſque ipſorum verbis vtamur) cum doctrina Trãſubſtantiationis, quam tamẽ Romanæ Eccleſiæ principem eſſe cardinem nemo neſcit. Noſtram autem inſtãtiam ita ſimpliciſſimè probamus, vt veritatis ſtudioſus Lector de re tota ſine fuco aut verborum inuolucris explicata, opportuniùs certiúſque iudicare poſſit.

Primus Syllogiſmus.

Qui Tranſubſtantiationis doctrinam euertit, is Romanæ Eccleſię autoritatem euertit.

Atqui, Ieſuitæ Turnonii nouo illo ſuo dogmate quo ſtatuunt verum corpus Chriſti in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento contineri, penitus euertunt doctrinam Tranſubſtantiationis. Ergo & Romanæ Eccleſiæ autoritatem peſſumdant.

Secundus Syllogiſmus, quo probatur aſſumptio.

2 Genuina Tranſſubſtantiationis doctrina eſt, Panem & vinum Euchariſtiæ tranſſubſtantiari, id eſt in verũ Chriſti corpus & ſanguinem realiter, ſenſualiter & eſſentialiter conuerti, vt non amplius ibi ſit ſubſtantia panis & vini, ſed noua ſubſtantia corporis Chriſti, quod in veritate manibus Sacerdotum tractetur, frangatur, fidelium dẽtibus atteratur, & in ventrem demittatur, &c. ac proinde Panem Sacramẽti & verum Chriſti corpus idem planè eſſe vniuocè & identicè.

Atqui dicere, Verum Chriſti corpus in ſancto Euchariſtiæ ſacramento contineri, huiuſmodi doctrinæ ex diametro & contradictoriè repugnat.

Illam igitur euertit: quum duæ contradictoriæ non poſſint eſſe ſimul veræ.

Tertius Syllogiſmus.

Maior per ſe probata eſt: ſic probatur Minor.

3 Relatorum ea natura eſt vt id quod ſunt aliorum eſſe, aut ad aliud quoquomodò dicantur: atque adeò in mutua affectione tota inſint, diſtinctis nimirum illis terminis A quo & Ad quem circumſcripta: vt vnum idémque eſſe nõ poſſint. *&c.*

Atqui Continere & Contineri, ſunt relata.

Ergo vnum idémque eadem ratione eſſe nullò modo poſſunt.

DEMONSTRATIONIS conclusio ex ſuperioribus Syllogiſmis neceſſariò naſcens.

Continere & Contineri, ex lege relatorum non ſunt neque poſſunt eſſe idem.

Atqui in hac propoſitione, *Verum Chriſti corpus in Sacramento continetur*, manifeſtum eſt quòd Panis Sacramenti, continet verum Chriſti corpus: & verum Chriſti corpus continetur in Sacramento:

Ergo, Panis Sacramenti & verum Chriſti corpus in Sacramento non ſunt idem, id eſt non eſt verum quod dicit doctrina Tranſſubſtantiationis, Panem Sacramenti eſſe verum Chriſti corpus, & de corpore Chriſti vniuocè & idẽticè prædicari.

Ita veſtrum dogma, Ieſuitæ, cũ doctrina Tranſſubſtantiationis ſtare nullo modo poteſt, ac proinde eam planè euertit. *Quod erat demonſtrãdum.* Neque enim exiſtimamus vos reſponſuros, Pontificem Romanum facere poſſe vt duæ contradictoriæ ſint ſimul veræ, id eſt affirmatio & negatio de eadem re iiſdem planè circunſtantiis verè enuntientur.

Inde

Inde nouũ *Corollarium* ex ſupra poſitis neceſſariò conſequitur. Ieſuitæ Turnonij, qui nouo illo & vernaculo dogmate, Tranſſubſtantiationis (vt demonſtrauimus) doctrinam conuellunt, id faciunt vel malo animo aduerſus Romanam Eccleſiam Dominam ſuam & de ipſis optimè meritam: vel imperité.

Si malo animo id agant,rei ſunt ingratitudinis, rebellionis,& feloniæ(vt loqui ſolent):ac idcirco grauiſſimè puniendi. Si imperitè id docent, cur docent rem incognitam?& per conſequens imperitiæ ſuæ pœnas ferre debent, id eſt in eo numero cenſeri,quos ſcripta,eáque repetita,indignos eſſe teſtantur qui doceant,antequàm didicerint.

Reſtat noua vobis exceptio,Ieſuitæ, vt à criminum illorum ignominia voſmet leuetis:Vos nimirum veritatis vi coactos mẽdacij abſurditatem in nouo illo Tranſſubſtantiationis commento aduerſus veterem & Catholicam veritatem nato, & peruidiſſe & repudiaſſe. Nos reſpondemus, Si mendacium ibi peruidiſtis, cur illo repudiato, veritatem inuoluiſtis nouo mendacio? Diſcite igitur veritatem Catholicam in vera Eccleſia Catholica, & exploratæ veritati ne repugnetis.

Quòd autem in hoc Sacramenti argumento nobis quædam dubitabundi oppoſuiſtis, Articulo VIIII veſtrarum propoſitionum:proximum eſt vt (quemadmodum initio ſumus polliciti) ad ea breuiter & candidè reſpondeamus.

RESPONSIO AD NOVAM Exceptionem Ieſuitarum Turnoniorum, aduerſus concluſionem noſtram, quæ eſt huiuſmodi Reſpons. noſtræ pag. 85.

Profitemur nos hactenus credere totum Chriſtum in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento verè adeſſe, & à fidelibus totum, non portionem panis (vt calumniamini) ſed totum & integrum Chriſtum, verè percipi ad ſalutem: ac proinde nos veram Chriſti in Cœna præſentiam, verámque eiuſdem in eadem perceptionem amplecti: craſſam verò Capernaiticam & Cyclopicam, qualem vos inducitis, toto pectore deteſtari.

Ieſuitarum Exceptio.

Si, vt profitetur qui Academiæ Nemauſenſis nomine cum Theſibus noſtris bellum ſuſcepit, totus Chriſtus in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento verè adeſt, & à fidelibus non portio panis, ſed totus & integer Chriſtus verè percipitur, nullam planè reperire poſſumus cauſam cur à Tranſſubſtantiationis voce aduerſarij noſtri abhorreant, qui rem ipſam Tranſſubſtantiationis vocabulo comprehenſam, publico ſcripto ſe confiteri, apud omnes teſtatum eſſe voluerunt.

ACADEMIÆ NEMAVSENSIS ad illam Ieſuitarum exceptionem, breuis & luculenta Reſponſio.

Mirum eſt vos, magiſtros in Iſraële, rerum tam diuerſarum diuerſam rationem perſpicere non potuiſſe. Quòd autem vos prætermiſſo Dei Verbo, & Catholicæ Eccleſiæ doctrina (ſicuti in Orthodoxorum Patrum monumentis explicatur) longùm

valere iuſſa, toti in Scholaſticorũ diſputationibus hæreatis, illáque adeò Theologia, Prophetarum & Apoſtolorum libris exturbatis, in veſtra Academia exponatur: non miraremur profectò ſiquid huiuſmodi incidiſſet quod à Verbo Dei & Orthodoxæ vetuſtatis doctrina totum eſſet definiendum, ſi id vos ignoraretis. eſſet enim inciuile id à vobis expoſcere quod profitemini neſcire: ex regula, Quam quiſque norit artem in hac ſe exerceat. At quũ huius dubij explicatio, è Magiſtrorum veſtrorum libris peti luculẽter poſſit, quàm indecora eſt in vobis rei tã confeſſę ignoratio! Illi igitur Magiſtri veſtri difficultatem illam vobis euoluent, ſi modò dubitandi rationem priùs vobis expoſuerimus.

Duo nobis obijciebatis. Vnum, *quòd omnipotentis Dei vim & poteſtatem in eas anguſtias redigeremus, vt pluribus in locis vnum corpus conſeruare non poſſet.* Alterum, *quòd pro Chriſti corpore, quod Catholici ſub panis forma verè comedunt, portionem panis* (.i. nuda & inania tãtùm ſigna, & imaginariũ quidpiã & fictitiũ,) *pro vero Chriſti corpore haberemus.*

Vtrumque nobis per calumniam affingi teſtati ſumus, vóſque in referenda Eccleſiarũ noſtrarũ doctrina vehementer præuaricari: ſicuti ex actis ipſis euicimus, noſtrámque doctrinam ex luculenta Verbi Dei & eruditæ Vetuſtatis autoritate confirmauimus. Ad primum autem illud accuſationis veſtræ caput ita reſpõdimus, vt quũ nihil aduerſus noſtram reſponſionem exceperitis, ſilentiũ pro aſſenſu nobis ſit. Ad ſecundum ita reſpondebamus.

Affirmabamus in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramẽto duo diſtinctè eſſe conſiderãda: Signa ipſa, id eſt Panem & vinum, & Rem ſignificatam, id eſt Chriſtum cum omnibus ſuis donis. De ſignis autem ita ſtatuebamus, Nõ eſſe nuda & inania ſigna abſentis Chriſti, ſed illum panem & illud vinum

Euchariſtiæ fidelibus eſſe communicationem corporis & ſanguinis Chriſti, eo nimirum modo qui ſacramẽtis conueniret,(id eſt Sacramentali & ſpirituali)illámque adeò communicationem fide definiendam eſſe.

De re autem ipſa, id eſt, Chriſto cuius caro & ſanguis per illa ſigna repræſent tur, ita profitebamur: Totum & integrum Chriſtum, id eſt verum Deum & verum hominem,adeſſe in Sacramento: eundémque totum & integrum à fidelibus verè percipi:& craſſum carnalémque omnem communicandi modum iubebamus faceſſere. Quòd autẽ Sacramentali doctrina è ſuis principiis demonſtrata,ipſáque ſacræ Euchariſtiæ formula explicata,& rationibus teſtimoniiſque comprobata, diſputationi clauſula eſſet adhibẽda, Profeſsi ſumus nos *Hactenus*, (id eſt,ſicuti copioſiùs expoſueramus) *credere totum & integrum Chriſtum in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento verè adeſſe,Non portionem panis,vt calũniamini*, id eſt ex veſtris verbis, non nudum panem pro vero Chriſti corpore: ac proinde ex legibus bene diſſerẽdi,Cõplexio diſputationis ad ipsã diſputationẽ vos profectò reuocabat,vt inde noſtram ſententiam perdiſceretis.

Quid hìc vos,Ieſuitæ?Academicè fatemini vos non poſſe cauſam reperire, cur à Tranſſubſtantiationis voce abhorreamus,quum rem ipſam Tranſſubſtantiationis vocabulo comprehenſam amplectamur.Vt vos abeo ſcrupulo liberemus, agè,Trãſſubſtantiationis doctrinam huic noſtrę modò à nobis explicatæ opponamus:non vt ea quidem repetamus quæ ſunt à nobis in Reſponſione noſtra accuratiùs annotata,ſed vt illius ſummam vobis etiã teſtibus breuiter perſtringamus.

Tranſſubſtantiationis doctrina affirmat,Panem & vinum ſacroſanctæ Euchariſtiæ, his prolatis,

Hoc eſt

Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, in verũ Chriſti corpus & ſanguinem tranſſubſtantiari, id eſt Panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum corpus & verum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: non ſacramentaliter tantùm, ſed ſenſualiter, corporaliter, realiter, de facto, in veritate manibus Sacerdotum tractari frangi & fidelium dentibus atteri. Ita ſubſtantiam huius panis incipere eſſe quod non erat, id eſt non ampliùs eſſe panem, ſed in in nouam ſubſtantiam transmutatum eſſentialiter eſſe corpus Chriſti, illud verè, illud ſanè quod ſumptum eſt de Virgine, quod mortuum eſt, quod reſurrexit, quod aſcendit in cœlos, idem deſcendere & eſſe in Cœna corporaliter, localiter, circumſcriptiuè, occupatiuè: & quamuis remaneant panis & vini accidentia, tamen non ibi eſſe ampliùs vel panem vel vinũ. &c.

Romanæ Eccleſiæ doctrinã & verba agnoſcitis.

Quid igitur? E noſtræ & illius doctrinæ comparatione, vtriuſque diſcrimen animaduertite. Noſtra, in Sacramento ſigna & rem agnoſcit diſtinctè Hæc, ſigna cum re confundit. Noſtra, verum corpus & ſanguinem Chriſti quærit in Cœlo: quò carnis & ipſius Aſcẽſionis veritas, Verbi Dei auſpiciis nos deducit. Hæc, vtrunq; de Cœlo elicit, & in terris non modò locat, ſed nouo etiam conuerſionis genere, panem & vinum in Chriſti corpus & ſanguinem tranſformat: ac proinde carnis Chriſti veritatem planè euertit. Noſtra, docet verum Chriſti corpus, fidelibus viuificum, per fidem quæ ſurſum nos attolit, eſſe comedendum: Hæc, ore ipſo & dentibus ſenſualiter & corporaliter, id eſt Capernaïticè, animos hominum terræ defigit, ne credant verbis Filij Dei: quæ omnino ſpiritualia eſſe ipſe concionatur. Complures alias comparationis

circumſtantias deinduſtria prætermittimus,quum de veri corporis Chriſti in ſacroſancto Euchariſtię Sacramento præſentia, eiuſdémque communicatione hìc tantùm agatur.

Duabus ergo de cauſis non à nouo tantùm Trāſſubſtantiationis vocabulo, ſed à re ipſa maximè abhorremus. Prima eſt,quia deſtruit veritatē corporis Chriſti,ideóque fidem noſtram: quę nulla eſt niſi Ieſum Chriſtum verum Mediatorem complectatur. Non eſt autem verus Mediator, ſi non ſit verus homo:Nec verus homo,ſi verum non habeat corpus:Neque verum habet corpus, ſi illius corpus ſit infinitum:Infinitum autem erit, ſi nullo certo loco cōtineatur. Docet autē Tranſſubſtātiatio,vbi primùm facta eſt conſecratio à Sacerdote, ibi eſſe corpus Chriſti,ac per conſequens vbicunque celebratur Miſſa, ibi Chriſti corpus adeſſe realiter.Altera ratio eſt,quòd ſigna ipſa cū re confundat,id eſt Sacramentum planè euertat, quum Sactamentum ſigno & re ſignata definiatur. Si panis enim & vinum non adſunt ampliùs, ſed nuda tantùm remanent accidentia, vbínam ſunt ſigna, ac proinde vbi & quomodò Sacramentum?

Superioris reſpōſionis accuratior explicatio.

Verùm,vt dubitandi ratio illuſtriùs ſolidiúſque conſtet,Exceptionis veſtrę verba iuuerit attentiùs expendere.non enim obliti ſumus, Ieſuitæ, vos eſſe Ieſuitas, id eſt decipularum nectendarum architectos,& in verborum diſtinctiuncularúmq; inſidiis totam artem veſtram occupari.Ex præſcriptis igitur verbis agamus, quum apud vos is qui cadit à ſyllaba,cadat à toto. *Si, vt profitetur is qui Academiæ Nemauſenſis nomine* &c. Verba veſtra agnoſcitis,quæ hactenus à nobis exſcripta legat Iudex,ne idē repetamus.Inuoluta quoque illa & obſcura breuitas veſtra, qualē ne Loxias quidē

Apollo

Apollo vnquã inuenit, magnas tenebras offundit huic diſputationi. Eã igitur explicem⁹, imo potiùs excribremus, vt mentẽ veſtrã apertius intelligam⁹.

Idcircóne, Ieſuitæ, exiſtimatis nos rem Tranſſubſtantiationis vocabulo comprehenſam amplecti, vel quòd (vt quidem vobis videtur) negemus Panem eſſe in Cœna, vel quòd totum & integrũ Chriſtum in Cœna verè percipi affirmemus?

De priori dubitationis parte primùm dicamus. Veſtra ſunt verba, in propoſitione illa veſtra Septima, ex qua nata eſt diſputatio: *Caluinum elabi nõ poſſe quin pro Chriſti corpore, quod Catholici ſub panis forma verè comedunt, ſe portionem panis ſectatoribus ſuis obtrudere confiteatur.* Veteris accuſationis ſenſum percipimus, verba non agnoſcimus. écquis enim noſtrûm ita vnquam eſt loquutus, *Nos portionem panis ſumere in Cœna*, pro *pane*? Hoſtili igitur inuidia nos grauatis contra leges differendi, quibus cauetur non eſſe malefice agendum cũ aduerſario. Affirmamus quidem nos panem & vinũ ſumere in Cœna Domini, ſigna videlicet rei ſacræ. A veſtris iampridem nobis obijcitur. *Nos nuda & inania ſigna, tanquam abſentis Chriſti figuras tantùm habere, rem ipſam negare, quòd illa negemus tranſſubſtantiari.* Idem quoque vos nobis obijcitis. Reſpondemus, vos planè calũniari, & ex hypotheſi veſtra, & ex veſtris verbis negam⁹, *Nos portionẽ panis, (vt nimirũ calumniamini)* in Cœna vel adeſſe, vel à fidelibus ſumi. Non enim portionem panis, ſed panẽ: non nudum & ſimplicem panem pro vero Chriſti corpore, ſed veram veri corporis Chriſti teſſeram percipimus, Chriſti quippe totius (vt imaginariæ illi portioni veſtræ Totum opponamus) verum & efficax ſignaculũ, ex Dei promiſſione. Ecquis inde rectè colligat nos negare panẽ adeſſe in Cœna & à fidelibus percipi, atque

inde nos amplecti Tranſſubſtantiationem? Quum & id in quæſtione ſit poſitum,& de Signorum vſu & officio ſingulis penè diſputationis noſtræ paginis fuerimus loquuti. Neque id veſtrorum cuiquam hactenus in mentem venit, vt nobis obijceret nos ſigna cum re confundere, quum illud ipſum ſit quod illis ſemper obiecerimus.

De pane & vino oſtendimus:de toto & integro Chriſto iam videamus: aut potiùs vos audiamus aduerſus nos ita diſputantes: *Tranſſubſtantiationis doctrina tenet, quòd totus & integer Chriſtus eſt in Cœna. At vos idem publico ſcripto confitemini: Ergo Tranſſubſtantiationem admittitis.* Deinde, *Si totus & integer Chriſtus adeſt in Cœna, & verè percipitur à fidelibus, cur non & ipſius caro verè adeſt & percipitur in Cœna? Quod ſi ita eſt, écquodnam eſt inter veſtram & Tranſſubſtantiationis doctrinam diſcrimen: & cur rē ipſam vocabulo comprehenſam probantes, à vocabulo abhorretis?*

Ad id nos ita reſpondemus. Affirmamus Chriſtum totū & integrum eſſe in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento: negamus cōſequutionem, Ergo Chriſti corpus, vel Chriſti caro eſt in Sacramento. Aliud enim eſt Chriſtus, aliud Chriſti caro: non quidem alius Chriſtus, ſed in vno Chriſto, aliud, id eſt, vt veſtri loqui ſolent, aliud eſt, *Totus Chriſtus*: aliud, *Totum Chriſti.* Diſtinguite igitur Perſonam à Naturis, quæ in vna perſona duæ incommutabiles manēt, & cauſam inuenietis cur & totum Chriſtum in Cœna eſſe dicamus, ad hoc vt ipſius caro ſit nobis viuifica: & ipſam illam Chriſti carnem in Cœna localiter eſſe pernegemus. Quod vt certiùs vberiúſque intelligatur, ſubſtracta hactenus dubitādi ratione, proximum eſt vt re altiùs repetita, Magiſtri illi veſtri rem à ſuis principjis

cipijs demonſtrent, quæ quidem per ſe rata fixáque, in ipſis tamen aſſumptionibus ſæpenumerò à vobis euertuntur, vt falſæ quoque concluſiones inde colligantur: quemadmodum in hoc argumẽto luculẽter apparet. Ipſos igitur rem à capite arceſſentes audiamus, vt ex ipſorum verbis certa huius controuerſiæ noſtræ demõſtratio cõficiatur, id eſt vos veſtris gladiis iugulemini.

E Scholaſticorum doctrina ſuperior Reſponſio, veluti cardo vniuerſæ diſputationis, cõfirmatur: Veram nimirum hanc eſſe propoſitionem, Chriſtus totus & integer eſt in Cœna: *nec tamen conſequi*, Chriſti carnem ibidem eſſe localiter & ſenſualiter.

Prima Regula.

In Chriſto duo diſtinctè agnoſci debent: Perſona, & Naturæ in vna perſona vnitæ.

Lombard. lib. 3. Diſt. 1. Dei ergo filius, hominis factus eſt filius, natus ſecundum veritatem naturæ, ex Deo Dei filius: & ſecundum veritatem naturæ, ex homine hominis filius, vt veritas geniti non adoptione, non appellatione, ſed in vtraque natiuitate filij nomen naſcendo haberet: vt eſſet verus Deus & verus homo, verus filius. Non ergo duos Chriſtos, neque duos filios, ſed Deum & hominem vnum filium, manentem in duabus ſubſtãtiis, ſicuti naturæ veritas contulit, non confuſis naturis neque immixtis, ſed ſocietate vnitis,

Secunda regula.

Perſona naturam aſſumpſit, non Natura perſonã.

Idem eodem lib. Diſt. 5. Certum eſt & ſine ambiguitate verum, quòd non Natura perſonam, nec

Perſona perſonam, ſed Perſona naturam aſſumpſit, &c.

Ibidem. Sic veritas incommutabilis manet Diuinæ humanæque naturæ, vt ſicut vera ſemper eſt eius Diuinitas, ita ſemper & *incommutabilis eius ſit Humanitas*, quam ſibi vnitam ſumma Diuinitas gerit.

Tertia Regula.

Naturæ in perſona ſubſiſtunt inconfuſæ, incommunicabiles, incommutabiles, cum ſuis proprietatibus eſſentialibus: ac proinde, *vt Naturæ ita ipſarum proprietates peræque vniuntur in perſona.*

Eiuſdem lib. Diſt.6. ex Auguſtino, Quum legitur Verbum caro factum eſt, in Verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnoſco verum hominis filium, *& vtrunque ſimul vnam perſonam*, Deum & hominem ineffabilis gratiæ largitate cōiunctū.

Ibidem ex Damaſceno, Vnam hypoſtaſin filii Dei confitemur in duabus naturis perfectè ſe habentibus, Deitatis & Humanitatis: & has duas naturas cuſtodiri & manere in ipſo poſt vnionem, non ſeorſum & ſecundum partes ponendo ſingulas, ſed vnitas inuicem in vnam compoſitam hypoſtaſin, ſubſtantialem, inquimus, vnionem, ſcilicet veram & non ſecundum phantaſiam: ſubſtātialem autē, nō duabus naturis perficiētibus alteram, ſcilicet vnam compoſitam naturā, ſed vnitas inuicē in vnam hypoſtaſin compoſitam Filij Dei, & manere eandem ſubſtantialem differentiam. (*id eſt eſſētiales proprietates Naturarum, ſicuti diſertè explicat.*) Quod creabile manſit creabile, quod increabile increabile, & mortale mortale, & immortale immortale: & *Circumſcriptibile Circumſcriptibile*, & incircūſcriptibile incircūſcriptibile.

Eiuſdem lib. diſt.7. in clauſula diſputationis iubet

firmi-

firmiter tenere, Quòd Deus hominem aſſumpſit, homo in Deum tranſiuit. *At quoniam ferreum erat illud dicendi genus, quod veluti aureum ſuperſtitio poſtea amplexata eſt, addit interpretationẽ:* Non naturæ verſibilitate, ſed Dei dignatione: vt nec Deus mutaretur in humanam ſubſtantiam aſſumendo hominem, nec *Homo Glorificatus* in diuinam: quia mutatio vel verſibilitas, Naturę diminutionem & abolitionem ſubſtantiæ facit.

Complures quoque alii exſtant hac de re loci, quos conſultò prætermittimus: quum hi duarum in vna perſona Chriſti naturarum Vnionem ſatis luculenter demonſtrent, vt omnibus perſpicuum ſit doctrinam Tranſubſtantiationis hæc principia funditus conuellere.

At eādem illam Vnionem perſonalem eiúſque vim & efficaciam, Thomas ille veſter iam explicato, ex eadem parte Summæ quam vos hoc anno continuādam in veſtra Academia ſuſcepiſtis: ſubſtratis priùs regulis pro more noſtro.

Quarta Regula.

Vt verus Chriſtus retineatur, totus Chriſtus agnoſci debet.

Thomas Tertiæ Partis Sũmæ Theolog. Quaſt. 2. Artic. 2.

Omne igitur quod ineſt alicui perſonæ, ſiue pertineat ad naturā eius, ſiue nō, vnitur ei in perſona. Si ergo humana natura Verbo Dei non vnitur in perſona, nullo modo ei vnitur: & ſic totaliter tollitur Incarnationis fides. quod eſt ſubruere totam fidẽ Chriſtianam. Quia ergo Verbum habet naturam ſibi vnitam, non autem ad ſuam naturam diuinam pertinentem, conſequens eſt quòd Vnio ſit facta in Verbi perſona, non autem in natura.

Quinta Regula.

Vnum eſt idémque Eſſe perſonæ & naturarum.
Eiuſdem partis Quæſt 17. *Art.* 2. Quia in Chriſto ſūt duæ naturæ & vna hypoſtaſis, neceſſe eſt quòd ea quæ ad naturam pertinent in Chriſto, ſint duo: quæ autem pertinēt ad hypoſtaſin in Chriſto, ſint vnum tantùm. *Eſſe* autem pertinet & ad naturam & ad hypoſtaſin quidem, ſicut ad id quod habet eſſe: ad naturam autem, ſicut ad id quo aliquid habet eſſe.

Sexta Regula, quintæ conſectarium.

In concreto verum eſt, quod non poteſt eſſe verum in abſtracto. Illā autem eſſendi rationē ſic illuſtrius exponit idē eiuſdē Partis & Quæſt. Art. 1.
Numerus dualitatis in Chriſto ponitur circa ipſas naturas, & ideò ſi ambæ naturæ in abſtracto prædicarentur de Chriſto, ſequeretur quòd Chriſtus eſſet duo. Sed quia duæ naturæ non prædicantur de Chriſto, niſi prout ſignificātur in ſuppoſito, oporteret ſecūdam rationem prædicari de Chriſto vnum vel duo. *Idcirco ait ibidem*, Naturam ſecundum ſe cōſideratam, prout in abſtracto ſignificatur, non verè poſſe prędicari de ſuppoſito ſeu perſona: & ita adhibet vtilem & neceſſariam exceptionem, *Aliud eſſe prædicari in concreto, aliud in abſtracto.* &c. ne locum prolixum exſcribamus.
Vnde aiebat Lōbardus ex Damaſceno, lib. 3. *diſt.* 7. Hoc nomē ſcilicet *Chriſtus*, perſonæ eſſe dicimus, nō monotrópωs, id eſt vno modo dictū: ſed duarum naturarum eſſe ſignificatiuum, ſcilicet Deitatis & Humanitatis. Ex deitate autem & humanitate Deum perfectum & hominem perfectum, eundem

dem & eſſe & dici ex duabus & in duabus naturis cõfitemur. Sic ergo dicitur aliud eſſe filius Dei, aliud filius hominis: quia alterius eſt ſubſtãtiæ vel naturæ, inquantũ eſt filius Dei, & alterius inquantum eſt filius hominis: non quòd ipſe filius Dei & hominis ſit duo illa diuerſa, id eſt, duæ diuerſæ naturæ.

Vnione hypoſtatica è Magiſtris veſtris ita breuiter explicata, de ipſis ſingulatim naturis, deque ipſa natura humana propriè (quum ipſa ſit diſputatio potiſsimùm inſtituta) aliquid dicamus.

Septima Regula.

Vt Diuinitas per ſe infinita eſt, ita humanitas eſt per ſe finita: ideóque illa vbique ſemper eſt neceſſariò, hæc neceſſariò nunc eſt in cœlo.

Idem Thomas Part.3. Quæſt.17. Art.2. Sic igitur quum humana natura coniungantur Filio Dei hypoſtatice vel perſonaliter, & non accidentaliter: conſequens eſt quod ſecundum humanam naturã non adueniat ſibi nouũ Eſſe perſonale, ſed ſolùm noua habitudo Eſſe perſonalis præexiſtentis ad naturam humanam, vt ſcilicet perſona illa iam dicatur ſubſiſtere, non ſolùm ſecundum diuinam naturam, ſed etiam *ſecundum humanam naturam*, id eſt, *vt veſtri interpretantur*:

Diuina natura ab humana ſeparari non poteſt poſt vnioné hypoſtaticam, in qua incœpit Perſona duabus naturis reuera conſtare: & quãuis æterna ſit Diuinitas, & Agnus occiſus fuerit ab initio mundi, tunc tamen incœpit Perſona exiſtere realiter & ímpletiuè, quum humanitatem ſtato illo Incarnationis tempore Diuinitas aſſumpſit: & licet *ipſa Diuinitas ſit infinita per ſe, Humanitas autem per ſe finita, nunquam tamen ab Humanitate Diuinitas ſeparatur*, neque à *Diuinitate*

Humanitas, quæ ſua natura circunſcriptibilis, ſuo loco continetur in Cœlo: neque eſt in terris, quum eſt in Cœlis.

Idem eiuſdem part. Quæſt. 57. *Art.* 1. Locus debet eſſe proportionatus locato. Chriſtus autem poſt reſurrectionem vitam immortalem & incorruptibilem inchoauit. Locus autem in quo nos habitamus, eſt locus generationis & corruptionis, ſed locus cœleſtis eſt locus incorruptionis. Et ideò non fuit conueniens quòd Chriſtus poſt reſurrectionem remaneret in terris, ſed conueniens fuit quòd aſcenderet in Cœlum. *&c.*

Ibidem, Licet præſentia *Corporalis* Chriſti fuerit ſubtracta fidelibus per aſcenſionem, præſentia tamen Diuinitatis ipſius ſemper adeſt fidelibus: ſecundum quod ipſe dicit, Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Qui enim aſcendit in cœlos non deſerit adoptatos, vt Leo Papa dicit. Sed ipſa aſcenſio Chriſti in cœlum, qua corporalem præſentiam nobis ſubtraxit, magis fuit vtilis nobis quàm præſentia corporalis fuiſſet. &c.

& Articul. 2. Aſcenſio eſt motus localis qui diuinæ naturæ non competit, quæ eſt immobilis & inlocalis. Sed per hunc modum *Aſcenſio competit Chriſto ſecundum humanam naturam, quæ continetur loco, & motui ſubiici poteſt.* Vnde Chriſtus aſcendit in Cœlum ſecundum quod homo, non ſecundum quod Deus.

& Articul. 3. *ex Auguſtino*, Erit tanta obedientia corporis glorioſi ad animmam beatam vt vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid Spiritus, quod nec ſpiritum poſſit decere, nec corpus. *Decet autem corpus glorioſum & immortale eſſe in loco cœleſti. &c.*

Atqui vt Aſcenſionem Humanitati competere

ait, ita

ait,ita Seſſionem ad dexteram , Diuinitati: vt ex ipſis locis conſtat,quos non eſt hic neceſſe exſcribere,quum inter nos hoc conſtet axioma, *Totum Chriſtum eſſe in Cœna*:hoc quum controuertatur, *Chriſtine corpus ſiue caro ſiue humanitas ſit in Cœna*, hoc verò à nobis explicandum erat. At complures hac de re locos hîc de induſtria relinquimus,quum hi quos modò protulimus, ad dubium illud veſtrum expediendum (ſi ratio quidem vobis eſt ſatis) ſatis eſſe videantur. Hanc enim agnoſcimus eſſe Catholicam veritatem. Si quid igitur aliis in locis Lombardus & Thomas maiorum gentium veſtrarum proceres, doceant his Catholicæ veritatis principiis contrarium, recta dictabit ratio vt ſtatuamus, noua illa commenta, eſſe veritatis Catholicæ idola & abortus:ob eámque rem ab ipſis non-ſanis ad eoſdem ſanos prouocemus.

Vniuerſæ Reſponſionis Concluſio & Summa.

Iam verò, vt hunc locum tandem aliquando concludamus,duo in hoc argumento extrema cauenda eſſe aſſerimus:Ne vel minus vel plus quàm decet,Sacramentis tribuamus:Medium autem tenendum,quod in rebus omnibus optimum eſt.Illi minus Sacramento tribuunt,qui exiſtimant nudas tantùm figuras in Cœna offerri, quæ abſentis in cœlo Chriſti memoriam in nobis reuocent. Contrà, plus quàm par ſit Sacramento alii tribuunt, qui ſignum in rē ipſam tranſſubſtantiari,& Chriſti ipſum corpus realiter & localiter adeſſe in Cœna arbitrantur:quemadmodum tenet Eccleſia Romana. Inter duo illa extrema nos Medium tenemus,certæ Cynoſuræ,id eſt Verbi Dei auſpicio & ductu.Nos enim Chriſtū ita adeſſe in Cœna aſ firmamus,vt & ipſe docet,& ipſum decet.Ipſe enim ait,*Hoc eſt corp⁹ meū,Hic eſt ſanguis meus*,&c.

Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. & *Expedit vobis vt ego abeam.* & *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum.* Et de Aſcenſione illa diſertè teſtatur idem illud Verbum, *Chriſtum aſpicientibus Apoſtolis ſublatum fuiſſe in cœlum.* &, *Oportere illum Cœlo capi vſque ad tempora reſtitutionis omnium.* Hoc ipſe luculenter docet, vt ipſa ſecum pugnare Veritas nullo modo poſſit.

Hoc autem ipſum decet, vt verus agnoſcatur Redemptor & Mediator generis humani, id eſt Verbum æternum Patri homouſion, quod caro factum eſt pro nobis, Deus manifeſtatus in carne, ac proinde verus Deus & verus homo: qui ait, *Ego ſum panis ille vitæ qui è cœlo deſcendi: ſi quis ederit ex hoc pane &c.* Cuius communicationis cum Chriſto teſſera & ſignaculum eſt, ſacroſanctum Cœnæ ſacramentum, ad hunc vſum propriè à Chriſto inſtitutum, vt vitalis ille eſus & potus in animis noſtris obſignaretur.

Credimus igitur non inania ſigna corporis & ſanguinis ſui, id eſt Panem & Vinum ſacroſanctæ ſuæ Cœnæ tanquam vanas & ludicras ipſius abſentis figuras nobis offerri: ſed credimus ipſum verum Redemptorem noſtrum, atque adeò totum in Cœna, verè & efficacirer adeſſe, & à nobis totum percipi per fidem, qua vnum cum ipſo ſimus, & ipſius vita viuamus. Signa hic habemus in terris: ipſum verò viua fide quærimus in cœlis, & eò aſpiramus quod ex ipſius promiſſione ſperamus, ipſum interea præſentiſſimum in hac peregrinatione noſtra ſentientes, non corporis quidem ſui præſentia, ſed diuinitatis: quæ ita humanitatem aſſumpſit, vt carnis veritatem minimè deſtruxerit. Licet enim Chriſtus vbique ſit (quatenus Deus eſt, & quatenus Diuinitas ab Humanitate, aut à Diuinitate Humanitas, poſt illam de qua lo-

quuti

quuti ſumus, Perſonæ vnionem ſeparari nullo modo poteſt) non tamẽ conſequitur, Chriſti carnem vel corpus eſſe vbique, vel in ipſo Cœnæ pane localiter adeſſe: quãdoquidem Perſonæ veritas non impedit veritatem humanitatis, quæ omnino vera eſſe non poteſt, ſi ſit vbique: neque Naturæ veritas Perſonæ veritatem, quæ viciſſim non eſt vera, ſi Chriſtus Mediator noſter, Deus & homo, non ſit vbique, ex promiſſione ſua: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. &c.*

Quamobrem, publico hoc ſolenníque ſcripto omnibus iterum teſtatum eſſe volumus, Nos non inania ſigna (*id eſt portionem panis pro vero Chriſti corpore, ſicuti calumniamini*) tãquam abſentis Chriſti figuras, in ſacroſancto Eucharistiæ ſacramento percipere: ſed panem & vinum in illo Sacramento ita ore ſumere, *vt totum & integrum Chriſtum, Diuinitatis ſuæ præſentia, & omnipotẽti Spiritus ſancti virtute animis noſtris præſentiſſimum, per fidem verè percipiamus*: quò ſimus caro de carne eius, & oſſa de oſſibus eius. Illius quoque Corpus credimus ita nunc eſſe in Cœlo, vt in eo ipſo corpore tandem prodeat iudex Mundi & vindex Eccleſiæ ſuæ: electos in æternæ hereditatis, quam illorum nomine cernit, poſſeſſionem recepturus, & reprobos æterno ſupplicio mulctaturus.

QVOD ERAT DEMONSTRANdum, & ex poſitis principijs neceſſariò conſequitur.

Hæc de rebus ipſis, pauca. Ad conuicia autẽ veſtra, ne vobis ſimiles ſimus, non reſpondemus. Nemauſi, ad XIIII. Septemb. CIↃ IↃ LXXXIII.

ETIAM VENI, DOMINE IESV.

CONSENSVS IESVITARVM ET CHRISTIANORVM IN DOCTRINA RELIGIONIS.

VBI EXAMINANTVR Propoſitiones Confeſſionis Auguſtinianæ: quibus ceu Catholicis pronunciatis, D. Hieronymus Torrenſis Ieſuita, ſummam totius Ieſuiticæ Theologiæ complecti voluit.

D. HIERONYMO TORRENSI, IESVITAE, ET ACAdemiæ Dilinganæ Profeſſori, VVilhelmus Bidembach D. cognitionem Ieſu Chriſti precatur.

VEtuſta quadam ſed ridicula diuinatione prædicta fuiſſe perhibetur Achilli victoria de Hectore. Nam vt Hector nomen haberet, quod ſyllabarum numero ab Achille vinceretur: ſic armis & viribus quoque ipſum Hectorem Achille inferiorẽ fore credidit, quæ omnia præter cœleſtem veritatem credidit Ethnica ſuperſtitio. Non diſſimili fiducia Confeſſionem Auguſtinianam conſcripſiſſe tu videris Hieronyme. Nam vt Auguſtiniana literarum notis numeroſior, & ipſo vocis ſono plenior eſt, quàm Auguſtana: ſic rerum quoque bonitate & doctrinæ præſtantia hanc ab

ab illa ſuperari poſſe ſomniaſti. Autoritatem certè illius multò, quàm huius, maiorem futuram eſſe, nec ipſe diſſimulas, quin ſperaueris. Et profectò, ſi quis in Auguſtiniana Confeſſione vel numeros & ſonos ſpectet appellationis: vel craſſitiē voluminis, palmā obtinuiſti abſque controuerſia. Sin verò non propterea Christo ſuperior eſt Auguſtinus, & Paulo Poſſidonius, quia ſyllabis ſuperant: vt nec Pompeius Cæſarem bello vicit, quem vincebat nomine: nec Iudæorum Thalmud diuinis Biblijs ideo præſtat, quia chartarum multitudine ſpiſſius eſt, fruſtra Torrenſis oſtentaſti ſpecioſum titulum, & craſſum Codicem tuæ ſex ſyllabarum, & ſexcentarum ſexaginta paginarum Confeſſionis Auguſtinianæ. Verùm ſit hoc partim dignitatis tuæ: vt cùm ſis Magiſter noſter, ſplendidum tuis libris præfigas veſtibulum: partim tuæ obſcuræ diligentiæ: vt qui ocio abundas, papyrum perdas & tempus. Iſtud verò ſacrilegium quomodo excuſabis? quòd cùm omnino conſtituiſſes, non ex Scriptis Propheticis & Apoſtolicis, ſed Auguſtinianis, Confeſſionem colligere, auguſtam (vt tu vocas) & auream: tu iudicio peruerſo, fide nō bona, ex certis incertis, veris falſis, quæ vnquam vſpiam Auguſtino adſcripta ſunt, monumentis, Rhapſodiā conſuiſti. Quemadmodum enim in centone non vnius coloris, nec eiuſdem precij ac bonitatis panniculi conſarciuntur: ſic tu in tua Farragine, tritico paleas, hoc eſt, Scriptis germanis notha, naturalia ſpuriis illegitimè miſcuiſti. In lege ſcis prohibitum Deut. 23.
fuiſſe, ne Manzer ingrederetur in Eccleſiam Domini: & tu ſpurios libros Eccleſiæ Chriſti obtrudere Deut. 22.
non vereris. Veſtis ex lana ſimul & lino contexta malè audit: tu variis dictis, filo & ſtylo diſcre-

pantibus veſtire & palliare impietatem conaris. Quaſi verò ſatis eſſet, præfari: Louanij nuper neſcio quem indiculum Poſſidonij excuſum, pleraque quæ tu allegas, Auguſtino tribuere: & Eraſmi tãquam temerarij Batani iudicium ex alto deſpiciẽdum eſſe. Quem virum tam emunctæ naris & exquiſitiſſimi iudicij in Veterum ſcriptis recognoſcendis ita contẽptim habes, vt qui bonas literas & linguas amant, te vel ob hoc vnũ amare nequeant. Sed peioris fidei eſt illud facinus: quòd ſententias tuis verbis conceptas, quas tu Propoſitiones, vel Pronũciata Catholica, interdũ etiã Titulos nominas, ita ſingulis capitibus & ſectionibus ſoles præmittere: vt quod tu antecepta opinione fingis, id tibi Auguſtini verba, nolint velint ſentire cogantur. Vt vnũ & alterum è multis proferam exemplum. Libro 2.c.4. Propoſitione 18. fol. 126. dicis: Neminem certò ſcire ac ſtatuere debere, remiſſa ſibi eſſe peccata. Ad hoc tuum Pronunciatum, quod Catholicum eſſe non poteſt, niſi tota fides Chriſtiana ſit hæretica: ad hoc igitur probandũ allegas dictum Auguſtini, vbi inquit:

» *Et erit quiſquam noſtrũ, qui audeat dicere, Iuſtus*
» *ſum? Puto enim hoc eſſe: Iuſtus ſum, quod eſt, pecca-*
» *tor non ſum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Ioan-*
» *nes: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos*
» *ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Item il-*
» *lud: Noli ergo intrare mecum in iudicium Domine*
» *Deus meus. Quãtumlibet rectus mihi videar, pro-*
» *ducis tu de Theſauro tuo regulam, coaptas me ad*
eam, & prauus inuenior. En quàm aptè & quàm candidè, id quod contra Pontificios iuſtitiarios dictum eſt, contra Euangelicos, qui in vno Chriſto iuſtitiam ſuam collocãt, à te detorquetur? Eodem lib.

& cap.

& ca. Prop,9.fol.117.negas hominẽ ſola fide iuſtificari. Id cõfirmaturus dictis Auguſtini, locũ adducis apertiſſimè tuo Pronũciato, ſi Dijs places, C tholico, repugnantem. Sic enim Auguſtinus ait: Cùm Apoſtolus dicit, arbitrari ſe, iuſtificari hominẽ per fidem ſine operibus legis, non hoc agit, vt præcepta ac profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur: ſed vt ſciat ſe quiſq; poſſe per fidem iuſtificari, etiãſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim iuſtificatũ, non præcedunt iuſtificandum. Potuiſſésne ad ſtabiliendum tuum dogma de operum iuſtificatione aliquid adferre impertinentius? Eius generis magnã congerere poſſem materiam, ſi totam tuam obſcurã & horridam ſyluam ſuccidere liberet. Iam vbi dicta quædam occurrunt, quæ vel nobis cõtra vos patrocinari, vel non ſatis fortiter pro vobis contra nos militare videntur, hîc in mirificis ſcholys nunc ad marginẽ allitis, nunc in mediũ contextũ infartis, ea fingis refingis, torques retorques, & in omnes formas, Proteo verſatilior mutas. Exẽpli gratia, fol.127. vbi Auguſtinũ ſic loquẽtẽ inducis: Ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo. Non litigemus, nolo tecũ habere cauſam, vt ego proponã iuſtitiã meã, tu conuincas iniquitatem meam. Ne intres in iudiciũ cũ ſeruo tuo Quare hoc? Quare times? Quoniam non iuſtificabitur corãte omnis viuens. Hîc tu egregius Scholiaſtes acutũ Scholion apponis, Chryſippo & Crantore dignum: Non (inquis) ait Auguſtinus vel Dauid: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omne opus viuentis: ſed omnis viuens: eſt enim aliquod opus viuentis bonum. Viuens autẽ cõparatus ad Dei mũdiciẽ & puritatẽ, timet in iudiciũ cũ Deo intrare. O dictũ benè, pluſquã Magiſtraliter & Noſtra-

liter: beaſti tuos Pamphile. Sed heus tu ineptiſſime Gloſſator, poſſunt ne opera perſonæ viuentis Dei placere, vbi ipſa perſona viuens Deo non placet? & num iuſtificatur perſona ex operibus, an verò opera ex perſona, prout credit vel non credit, æſtimantur?

Rom. 14. *Neſcis ne, quod ex fide non eſt, peccatum eſſe? Oblitus ne es eius, quod modò ex Auguſtino citâras, opera ſequi iuſtificatum, non præcedere iuſtificandum? Fol 194. ad ſacrificium Miſſæ probandum, „ illud ex Auguſtino allegas: In hoc corpore ſumus, „ huius corporis participes ſumus, quod accipimus, no„ uimus. Ibi tu Gloſſema inſeris pro ſecreto tuo & magico murmure Canonis tuendo. Nota (inquis) lector, Auguſtin. cum de Eucharistia loquitur, frequēter vti huiuſmodi verbis: Quod accipimus, nouimus. Quod nouerunt fideles, & ſimilibus: vt intelligas, ipſum dedita opera noluiſſe quibuſuis hominibus myſterium ſacroſanctum præſentis in ea Chriſti propalare. O lepidiſſimi capitis acutiſſimum acumen, quo ſi Gabriel Biel fuiſſet præditus, non ex triuio deduxiſſet originem ſecreti Canonis, à Paſtorib. nimirum: qui cùm in agro pane ſupra lapidē poſito Canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum panis conuerſus eſt in carnem. Ipſi autem igne de cœlo acerrimo diuino iudicio ſunt percuſſi: propter quod ſancti Patres ſtatuerunt, vt de cætero Canon diceretur ſub ſilentio. Hæc Biel. Torrenſis autē multò ingenioſior fundat eum in dicto Auguſtini: Quod accipimus, nouimus. Ruſtici ergò quid accipiant, noſſe nō debent. Quod ſcimus loquimur, ait Nicodemo Chriſtus. Ergò ſecundum Dialecticam Ieſuiticam Nicodemus id ſcire non debebat cùm tamen Chriſtus eum propter inſcitiam redarguat, & cùm de perſona tum de officio ſuo luculen-*

ter erudiat. Sed non vides nugator nugaciſſime id, quod apud Auguſtinũ ibidẽ ſtatim ſequitur: Quod accipimus (inquit) nouimus, & qui NON NOSTIS, NOVERITIS, *& cùm didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis. Qui non noſtis (inquit) noueritis. Vnde autẽ nouerint, niſi ex publica & clara annũciatione mortis Domini, & cõmemoratione inſtitutionis Chriſti? En, hoc eſt bona fide ac ſtudio ſingulari (vt Torrenſis iactitat) Confeſſionem Auguſtinianam verè auguſtam & aureã colligere: ſcilicet: ſuppoſititia ſcripta pro veris Sinonia fraude in Eccleſiã inſinuare: ſenſũ autoris nõ ex autore petere, ſed ex tuo cerebro in autorem ingerere: gloſſis textum obſcurare, & ſcoriis argentum obducere. Quæ ſi excutere ſingula vellẽ, & te paſſim criminis falſi reum peragere atque conuincere: naſceretur mihi opus maius Iliade. Sed non reſpon*- Prou. 26. *debo ſtulto iuxta ſtultitiam eius, ne efficiar ei ſimilis: nec ſuſcipiã repurgandũ Augiæ ſtabulũ ad quod nõ duo Hercules ſufficerẽt. Aliud eſt inſtitutũ meũ, alia te aggrediar via, quã nobis ſacræ literæ cõmonſtrãt: & ad quã tu ipſe me in Epiſtola tua præliminari quaſi manu duxiſti. Cũ enim in ea προσφωνήσει ad Cardinalẽ Albanẽſem & Epiſcopũ Auguſtanũ (ignorat.n. Cardinales Germania) permiſiſſes tibi, vt me prolixè & acerbè vituperares, Chriſtianũ Ieſuita, paſtorẽ lupus: & obieciſſes multa, quæ nõ curo: ac minatus eſſes, quæ nõ metuo: (cur.n. me fumi Torrẽſis terreãt, qui à caudis titionũ fumigatiũ nõ eſſe metuẽdũ ex Eſa. didici?) cùm, inquã, magnã in cõuitiã*- Eſai. 7. *do petulãtiã, maiorẽ mẽtiendi libidinẽ, impudentiã in calũniãdo maximã vſurpaſſes: tãdẽ vnũ aliquod tãto hiatu dignũ profers: terrificũ ſanè, ſi verũ eſſet: & tale, ad quod expalleſcere poſſet is, qui neſciret,*

vos ad nullũ veſtrũ mendaciũ erubeſcere conſueuiſſe. Dicis nulla eſſe apud nos principia, niſi Protagoræ: vt quod cuiq; videatur, verũ ſit: regulã certam nullã, præter plubeã illã & Leſbiã, quæ ad omnẽ figurã ſoleat inflecti. Hunc te honorẽ habere ſacris literis docuit infelix Staphylus, & prophanus Hoſius: quos ne infeliciter imitatus viderêre, ſuperare voluiſti blaſphema voce. Vt ergò non obſcurè videas, quæ ſint noſtra principia, quæ αἰτήματα, *quæ axiomata, quæ demonſtrationes: en tuis* ἀγράφοις, *hoc eſt, nullo ſcripturæ teſtimonio ſubnixis Poſitionibus & Pronunciatis Cacolycis oppoſita ſacrarum Scripturarum cœleſtia oracula: non tàm multa numero, quàm pondere grauia. Applicabo.n. noſtrã, quam tu Leſbiam vocas, regulam ad Propoſitiones tuas: & defungar hoc labore, vt harmoniam cõſenſionemq; tuorũ dogmatũ, ac Scripturæ diuinitus inſpiratæ, demonſtrem. Tu vide, niſi cæcus ſis, quàm examuſſim ſibi inuicem reſpondeant. Sed hoc ſcias velim, mihi non cũ Auguſt. rem eſſe: quẽ, vt decet, ex animo veneror: & cuius ſi quæ ſunt pudenda, cũ Semo & Iapheto honeſtè malo tegere, quàm cũ Chamo impudenter publico ludibrio exponere. Tecum congrediar Torrenſis, & cũ tuis Poſitionibus, quas Auguſtini dictis affinxiſti, & quibus totam Theologiã Ieſuiticã voluiſti comprehendere. Nõ opponã alia teſtimonia Auguſtini: quod in procliui eſſet facere: & fecerunt dudum Antonius Coruinus, Ioãnes Piſcatorius, Hermannus Bodius, Eraſmus Sarcerius, & complures alij, iudicio, quàm tu maiori, & meliori fide. Qui, vt tu araneæ inſtar venenum, ſic ipſi tanquam apes, mel è floſculis Auguſtini exuxerunt. Nec diſputabo de Auguſtini ſcriptis*

conſenta-

conſentaneis vel diſſentaneis, germanis vel nothis: ſed propius te vrgebo, & premam validius, apertiſſima Scripturarum teſtimonia, omni exceptione maiora, in os ac faciem tibi ingeram. Hæc amplectar, hîc commorabor, habitabo, hærebo: hîc confligam, extra has metas & hos carceres non euagabor. Quod te ideo ſcire volo, vt ſi quando reſponſurus es, cogites, quid & ad quæ reſpondendum ſit. Scripturarum (vt monet ipſe Auguſtinus) non quorumque proprijs, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. Vtrique Scripturas legimus: vtrique tanti ponderis molibus cedamus. Sin tu à Scripturis, more veſtro, ad Patres, ad Concilia, ad Traditiones, ad Decreta, ad Decretales, ad Clementinas, ad Extrauagantes euagaberis: ſemper tibi illud occinam: Iam dic tandem de tribus capellis. Atqui nõ de Scriptura, (inquies) ſed de intelligentia hæreſis eſt. Age ergò de germana & genuina ſententia, in timore Dei & ſtudio veritatis, diſputemus. Age, ſpiritualia ſpiritualibus comparantes, loca cùm locis conferentes, ſecundum analogiam fidei Scripturas interpretemur. Hauriamus aquas non de ciſternis putidis & rimarum plenis, hâc illâc perfluentibus ſed de viuis lympidíſque fontibus Iſraëlis: eruamus veritatem ex linguarum & ſermonis proprietate, ex totius corporis Scripturarum compage & καταρτισμῷ, ex contextuum ſerie & iunctura, ex dictorũ ſcriptorúmue occaſione & cauſis. Cur enim tempus perdamus in varijs variorum Sctiptorum expoſitionibus conciliandis, vel alijs probandis, improbandis alijs? Et quid quæſo magnoperè intereſt Eccleſiæ, quid ille vel ille ſentiat? ac vt quidam ait:

De cute quid faciat ille vel ille ſua? modò, quid ſpiritus in Scripturis velit, intelligatur. Ad librum legis nos ablegat Moſes: ad legem & teſtimonium Eſaias: audire, quod os Domini locutum eſt, iubet Propheta: Moſen & Prophetas audire iubet Abraham: attendere lectioni monet Paulus: attēdentes ſermoni Prophetico laudat Petrus: ſcribere ſe omnibus, filiolis, adoleſcentibus, patribus, profitetur Ioannes: Scripturam nihil inaniter dicere, teſtatur Iacobus. Denique Scripturas ſcrutari præcipit is, quē Deus Pater audiri de cœlo mādauit. Cui præcepto obſequentes Berrhoenſes commendat Lucas, cuius laus eſt in Euangelio. His veſtigijs inſiſtamus Hieronyme: & ſi nomen tueri noſtrū volumus, quo ſacræ paginæ Doctores appellamur, age has paginas diurna nocturnáque verſemus manu: in his enucleandis rectéque intelligendis omne noſtrū ſtudium operámque ponamus: has celebremus, prædicemus, ornemus, quantum poſſumus. Id autem non fiet, ſi dixerimus, Scripturas eſſe incertas & ambiguas, materiam litis, atramentum ſutorium, literam mortuā, literā occidentem, obſcurā, dubiā, cereum naſum, Sphyngis ænigma, Sybillæ folia, principia Protagoræ, regulā Lesbiā & plūbeā, quæ ad omnē figurā inflecti ſoleat. His enim omnibus emblematis ornare Scripturas vobis per ludum & iocū ſolenne eſt. Quas iſtas voces ſi retrò per iugulum adigat fulmen cœleſte, ſi terra dehiſcat & tartarus, quis mi retur? Certè, vt Chriſto in cruce pendente, ad blaſphemias in ipſum indigniſſimè coniectas, ſol obtenebratus eſt: ſic iſtæ voces tibi ac tuis, niſi reſipiſcatis, æternas accelerabūt tenebras. Scilicet Iudæi ſuos ſarcaſmos luerūt: vobis autem, quia Ieſuitarum nomen

men prætēditis, diuina parcet vltio? Biblicos libros cremauit quondā Maximinus, & ante hūc Epimanes veriùs quàm Epiphanes Antiochus: neuter impunè. Tu impiæ linguæ flabello ignes iſtos funeſtos reſuſcitare conaris. Hûc enim illud de Protagoræ principijs non obſcurè tendit: cuius libros ab Athenienſibus crematos eſſe aiunt, quoniā ſic exorſus fuiſſet: De Dijs non habeo quod dicā, ſi ſint an non ſint. Ac vos alioquin etiā vix vllos Deos potentiores eſſe iudicatis, quàm Veſtā & Vulcanū: quod tot luculētis & propè perpetuis ignibus, & ardentibus fumantibusq; rogis Martyrū teſtātur Pōtificij carnifices. Sed caue Torrēſis, ne dū Babylonicū caminū cupidè ſuccendis, flāmma reciprocāte cōſumaris: vel ſaltem hoc metue, ne fauillæ tibi in oculos reſilientes, te excæcent. Nam & Valens Arianus Cæſar, multorū Orthodoxorū vſtulator, à Gotthis crematus miſerè interijt: & Sedechias ſacri voluminis incendiarius, oculos illius nefariæ flāmæ ſpectatores amiſit. Triſtior autem & horribilior eſt illa cæcitas, qua Deus huius ſeculi excæcat ſenſus incredulorum, ne illuceſcat illis lumen Euangelij gloriæ Chriſti. Quorum è numero te eſſe doleo: cui ipſa lucerna pedum noſtrorum obſcura, & lux mentium caliginoſa, & rectiſſima ſemita curua & diſtorta eſt. Verùm ſic impleri oportet, quod Hoſeas ait: Rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis: præuaricatores autem corruent in eis. Dum autem in his tuis tenebris & erroribus lumen tibi præfero diuinorum eloquiorū, etſi fortaſſis malā apud te inibo gratiā: tamen ſi nihil inde tibi lucis acceſſerit, mihi certè nihil lucis decedet. Non enim ignotum eſt illud vetus & verum dictum, quod ab Ennio poſitum in vna re, transferri in multas poteſt.

Homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit.
Vt nihilominus ipſi luceat, cùm illi accenderit.

Tu verò illud Hieremiæ tibi ac tuis aſſeclis Ierem. 13. *dictum putato: Date Domino Deo veſtro gloriā, antequam tenebreſcat: & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.*

Sed nunc Conſenſum Ieſuitarum & Chriſtianorum, hoc eſt, diſcordiā veræ & falſæ Religionis, ſeu pugnam mendacii & veritatis videamus. Inſtituetur enim Ieſuiticarum Poſitionum examen Chriſtianum, quod eiuſmodi futurum eſt, vt quæ piæ vel tolerabiles ſunt apud Torrenſem ſentētiæ, quales ferè ſunt, quibus doctrinam de ſancta & indiuidua Trinitate comprehendit, eæ in diſputationem non trahantur: quæ verò impiæ ac falſæ ſunt, ſub examen Scripturarum reuocatæ, breuiter ac perſpicuè confutentur.

POSI-

POSITIONES IESVITICÆ.

Eccleſiam veram & Catholicam viſibilem & manifeſtam eſſe. Torrenſis Auguſtinianæ Cõfeſſionis lib. 1. cap. 6. paragrapho, vel titulo 2.

EXAMEN CHRISTIANVM.

NON fortuitò locum de Eccleſia, loco de Scripturis ſacris, qui meritò præponi debebat, Torrenſis antepoſuit. Sed hoc eo conſilio fecit, vt non Eccleſia à Scripturis, ſed Scriptura ab Eccleſia ſuã autoritatem accipere videretur. Atqui Apoſtolus Epheſ. 2. manifeſtè Eccleſiam ſuper fundamẽtum Prophetarum & Apoſtolorũ ſuperſtruit: non contrà Prophetarum & Apoſtolorũ ſcripta ſuper Eccleſiam fundat. Pondera autem verborum in hac Poſitione conſidera. Torrenſis non membra Eccleſiæ, ſed Eccleſiam, & non quamlibet particularẽ, ſed Catholicam, hoc eſt, vniuerſalem, & quidẽ VERAM, quæ non nominis tãtùm honore, ſed reipſa veriſſimè Eccleſia Dei ſit, viſibilem & manifeſtam eſſe ſtatuit. Emẽdat ergò articulum Symboli Apoſtolici, vt iam non dicendum ſit: Credo ſanctã Eccleſiam Catholicam: ſed, video, fortaſſis etiam palpo, Eccleſiam: cùm tamen fides earum rerum ſit, quæ Hebr. 11. non videntur. Quid autẽ reſpondet Heliæ diuinũ Rom. 11. 3. Reg. 19. oraculum? Reliqui mihi ipſi (inquit Dominus, nõ tuis oculis, nõ externo viſui) ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genu coram Baal. Sub Aſa rege, Azarias filius Obed ſic vaticinatur: Tranſibũt multi dies in Iſrael, abſque Deo vero, & abſque Sacerdote, abſq; Doctore quoque & abſque 2. Para. 15.

Lege. Num tu hîc Eccleſiam Iſraeliticam periiſſe dices, quia nec viſibilis nec manifeſta fuit? At enim ſolidum fundamentum Dei ſtat, habens ſi-
2.Tim.2. gnaculum hoc: Nouit, Dominus, qui ſint ſui. Dominus nouit, etiamſi Torrenſis non videat. Princeps paſtorum nouit oues ſuas, etiamſi mercena-
Ioan.10. Hoſ.2. rio ignotæ ſint. Sponſus ſponſam nouit, quam ſibi
1.Pet.3. in fide, iudicio & iuſtitia deſponſauit. Quæ quia digitis monſtrari nequeunt, ſunt occultus homo cordis. Itaque in Epithalamio Chriſti & Eccleſiæ
Pſal.45. Dauid canit: omnem gloriam filiæ Regis eſſe ab intus. Si oculis corporeis eſſet aſpectabilis, extrinſecus eſſe diceretur ornatus Eccleſiæ. Verùm, vt
Rom.2. non is, qui in manifeſto Iudæus ſit, Iudæus eſt: nec ea quæ in manifeſto ſit carnis circumciſio, circũciſio eſt: ſed qui in occulto Iudæ9 fuerit, is Iudæus eſt, & circũciſio cordis, circũciſio eſt, quæ Spiritu cõſtat, nõ litera, cuius laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo. Sic non is Chriſtianus eſt, qui nudo titulo inſignitur: multò minus ea Eccleſia eſt, quæ tantùm externo ſplendore conſpicua nitet & coruſcat quæ thiaratum Pontificem, galeratos Cardinales, mitratos Epiſcopos, bicornes Abbates, cucullatos Monachos, raſos & vnctos Sacrificulos, atque alios ſimiles Pilatos (Prælatos inquam) Doctores & ductores habet, qui vel Epicuræo contemptu omnis Religionis diffluunt: vel acerbiſſimo odio verum Chriſti Euangelion immaniter perſequuntur. Sed ea demum vera, ſancta, Orthodoxa & Catholica Eccleſia eſt, quæ
Eph.1. gratuito fauore Dei ab æterno electa, ſub vno ca-
Eph.4. pite Chriſto, per Verbum & Sacramenta in vnitate fidei congregata, vnóque & eodem Spiritu ſanctificata, coaleſcit in corpus κατηρτισμένον, & in templum ſanctum Domino. Apud Ioannem ſic
Ioan.10. definitur, vt ſit grex earum ouium, quæ à Chriſto cognitæ,

cognitæ, & eum viciſſim agnoſcentes è manibus eius erui in æternum nequeunt. Dicerem nō tàm cum Huſſo, quàm cum Paulo, Eccleſiam verã eſſe numerum prædeſtinatorum: ſi dignus eſſet Torrenſis, qui auream illam catenam Apoſtoli intelligeret, qua prædeſtinatos, vocatos, iuſtificatos, glorificatos, pulcherrimo nexu copulat. Sed quia Pontificii Eccleſiam ſepticolli Babyloni affingũt, non mirum eſt, ſi de ea cùm erroneè ſentiant, tum confuſè loquantur. Rom 8.

IESVITA.

Lib. 1. ca. 6. Parag. 7.

Eccleſiam non errare, neque ſuos in errorem inducere.

CHRISTIANVS.

SI de ſua, hoc eſt, Pontificia Eccleſia hoc affirmat Torrenſis, quæ Eccleſia malignantiũ dicitur: id tam verum eſt, quàm illud, quod olim Lacedæmonii ſolebant dicere: In tota ſua Repub. non eſſe adulterum: cùm tamen promiſcuis nuptiis & vxoribus communibus vterentur. Etſi enim clamant Papiſtæ: Non peribit Lex à Sacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec Ier. 18.
ſermo à Propheta: tamen audiunt à Ieremia: Noli- Ier. 7.
te confidere in verbis mendacii: dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Hæc eſt enim gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei ſui, nec recipit diſciplinã. Periit fides & ablata eſt de ore eorum. Et rurſus: Quo- Ier. 8.
modo dicitis: ſapientes nos ſumus, & Lex Domini nobiſcum eſt? Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Verbum enim Domini proiecerunt, & ſapiẽtia nulla eſt in eis. A Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciũt mẽdacium.

Sin verò id Torrẽſis de Eccleſia Chriſti intelligit: eam non errare? verum quidem eſt, hanc, quatenus Eccleſia Chriſti eſt, & quatenus à Spiritu ſancto gubernatur, non penitus totam errare in articulis fidei. Sed quia carnem quoque geſtat, quæ nõ tota mutatur in Spiritum, ea propter etiam errare poteſt, & errat, vel minus rectè intelligendo, vel minus firmiter credendo, quæ à Deo præſcripta ſunt: non tamẽ ita errat, vt in errore perſiſtat & pereat: ſed admonita & edocta melius, errores nõ defendit pertinaciter, ſed culpam agnoſcens confugit ad miſericordiam Dei in Chriſto promiſſam ac præſtitam, atque ita illuſtratur & ſaluatur. Affirmare autem, quòd omninò non erret, hoc demum eſt ex Eccleſia Deum facere. Nã aut neges Eccle-
Pſalm.116. ſiam ex hominibus conſtare, aut illud ex Pſalmo
Pſalm.119. deleas: Omnis homo mẽdax. Et rurſus: Erraui ſicut
Eſai.53. ouis quæ periit. Et alibi: Omnes nos quaſi oues er-
Eſai.42. rauimus. Apud Eſaiã Dominus ait: Quis eſt cęcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi nuncius meus, quẽ miſi? Quis cæcus niſi perfectus? & quis cæcus, niſi
Dan.9. ſeruus Domini? Daniel de Eccleſia populi Dei loquens: Omnis Iſrael (inquit) præuaricati ſunt Legem tuam, & declinauerunt, ne audirent vocem tuam. Ergò vel in omni Iſraele Eccleſiam periiſſe dicas, vel Eccleſiam errare poſſe concedas. Si ad noui Teſtamenti Eccleſiam prouoces, en tibi Ec-
1.Cor.1. cleſiam Corinthiorum: quos Paulus vocat Eccleſiã Dei, ſanctificatos per Chriſtum Ieſum, vocatos ſanctos, inuocantes nomen Domini, Fratres, ditatos in omni ſermone, & omni cognitione, confirmatos teſtimonio Ieſu Chriſti, non deſtitutos vllo dono, expectantes reuelationem Domini noſtri
1.Cor.10. Ieſu Chriſti, vocatos in conſortium filii Dei. Et a-
1.Cor.2. libi appellat eos prudẽtes, perfectos. Et tamẽ eoſ-
1.Cor.15. dem monet: Ne decipiamini. Hortatur eos: Expergiſci-

giſcimini iuſtè,& ne peccetis. Credit de iiſdem, 1. Cor. 11.
quod inter ipſos ſint ſchiſmata: Vituperat eorum ἀταξίας: Metuit de ipſis, ne qua fiat, vt quẽadmodũ 2. Cor. 11.
ſerpens Euam decepit verſutia ſua, ita corrumpãtur ſenſus eorum à ſimplicitate erga Chriſtum. Quorſum autem iſtæ admonitiones, exhortationes, reprehenſiones? quorſum ille ſolicitus metus? ſi Eccleſia errare non poteſt, ſi nec decipit nec decipitur? Iam de Galatarum Eccleſijs non metuit tantùm, ne fruſtrà erga ipſos laborârit, ſed inſen- Gal. 4.
ſatos etiam ſeu ſtultos vocat, atque ita faſcinatos, Gal. 2.
vt non crederent veritati. Concludimus ergò, Ec- Pſal. 32.
cleſiam errare poſſe: vt verum maneat: Pro hac (remiſſione peccatorum) orabit ad te omnis ſanctus: neque eximatur ab orationis dominicæ particula hac: Remitte nobis debita noſtra: quam ipſi quoque Apoſtoli, lumina & columnæ Eccleſiæ, orare edocti ſunt ab eo, qui nouit quid ſit in ho- Ioan. 2.
mine: & qui ſe omnibus diebus ad conſummatio- Matt. 28.
nem ſeculi Eccle ſiæ ſuæ ad futurum eſſe promiſit.

IESVITA.

Scripturas ſacras obſcuras eſſe. Lib. 1. cap. 7. Parag. 3.

CHRISTIANVS.

HIc tibias infla Torrẽſis, vt Protagoræ principia ſtatuas. Certè lux eſſe non poteſt veſtra doctrina, niſi Scriptura obſcura ſit. Verſaris ergo hìc in foro proprio, & in eadem arena, in qua ante te ſudârunt alii multi ὀυκ ἀκονιτί. Congredere igitur hìc nobiſcum, ſi vir es, & excute omnia. Nam ſi hanc Propoſitionem euiceriś, omnia obtinueris. Etſi autem non ignoro, te illud Petri allaturum, de difficultate quorundam locorũ Pauli: tamen interea dum tu illum locum proferes, &

ego eum in te retorquebo: Quid ad hæc ſequentia
Pſalm.119 reſpondere velis, diſpice: quòd à Dauide Verbum
Domini lucerna pedibus ſuis, & lumẽ ſemitis ſuis
Pſalm. 19. eſſe dicitur: quòd præceptum Domini lucidum ap
pellatur, & illuminans oculos: quòd à Dauidis fi-
Prouer.6. lio affirmatur: Mandatum lucerna eſt, & Lex lux:
Eſai.45. quòd in Eſaia Dominus proteſtatur, ſe non in ab-
Ioan.16. ſcondito locutum eſſe: quòd Chriſtus ſe non per
prouerbia loqui nobis, ſed palàm de Patre ſuo an-
nunciare velle promittit: quòd in illa ſua ardẽtiſ-
Ioan.17. ſima precatione profitetur: Pater manifeſtaui no
2.Tim.3. men tuum hominibus: quòd Paulus Timotheũ ſa-
cras Literas à puero nouiſſe prædicat; quæ ipſum
eruditum reddere ad ſalutem poſſint. Aut ſi te mul
titudine obruere velle videor, Petri (quem tu fun-
damentum Eccleſiæ appellare non dubitas) locum
2 Pet.1. hunc vnicum refelle: Habemus firmiorem ſermo-
nem Propheticum: cui dum attenditis ceu lucer-
næ apparenti in obſcuro loco, rectè facitis, donec
dies illuceſcat, & Lucifer exoriatur in cordib. ve-
ſtris. Ergo niſi hãc Propoſitionẽ, Scripturas ſacras
obſcuras eſſe, retractas & reuocas, mox ſolẽ in me-
ridie lucere negabis. Quãquam tibi eas tuíque ſi-
milibus non obſcuras tantùm eſſe libenter cõceſ-
Rom.11. ſerim, ſed in excęcationem, cõpunctionẽ, laqueũ,
Eſa.6. captionem & offendiculum, vobis non minus
pſal.69. quàm Iudæis cedere, cum Eſaia, Dauide, & Paulo
affirmauerim. Verùm non quia noctua ad ſplendo-
rem ſolis cæcutit, idcirco etiam aquilarum obtu-
tus radiis ſolaribus hebetatur. Nec quia aſini ro-
ſarum odore moriuntur, idcirco apibus etiam ille
exitialis odor eſt. Vobis igitur tenebræ ſint Scri-
2.Cor.2. pturæ: nobis autem lux in Domino. Sint pereunti-
bus odor mortis ad mortem, ſaluandis autem odor
vitæ ad vitam. Certè his veſtrįs de Scripturarum
obſcuritate querelis nihil aliud efficitis, quàm
quod

quòd proprio indicio veſtram cum noctuis & veſpertilionibus ſocietatem proditis.

IESVITA.

Veram Scripturarum interpretationem, vt & difficilium de fide & religione Quæſtionum deciſionem, ex Eccleſiæ conſenſione & Traditione petendam eſſe.

CHRISTIANVS.

NOs neque Eccleſiæ conſenſionem ſpernimus; neque Traditiones, verè & γνησίως Apoſtolicas, reiicimus: ſed quia non ſtatim Eccleſiæ cõſenſio eſt, quod Papa vnus, duo Epiſcopi, tres Monachi, quatuor Sacrificuli, ſtatuerunt: nec ſtatim Apoſtolica Traditio eſt, quę hoc nomine venditatur: imò diſertè monemur, videamus, ne quis nos decipiat iuxta Traditionem hominũ: ideò in ſcripturarum interpretatione & difficiliũ Col.2.
de fide Quæſtionũ deciſione alias certiores regulas & rectiores normas obſeruamus: Ad legem magis (inquit Eſaias) & ad teſtimonium. Quòd ſi non Eſa.8.
dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et Paulus Prophetiam vult eſſe analogam fidei. Et alibi: Sermonibus loquimur, non quos Rom.12.
docet humana ſapientia, ſed quos docet Spiritus ſanctus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Omnis enim Prophetia Scripturæ (inquit Petrus) propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed à Spiritu ſancto impulſi locuti ſunt ſancti Dei homines. Quo autem ſpiritu dictatæ ſcriptæque ſunt, eodẽ etiã intelliguntur & explanantur. Nam Pſalm. 25.
ſecretum Domini timentibus eum, & teſtamentũ

1.Cor.2. 2.Pet.1.

Act.17. ſuum manifeſtabit illis. Vnde & Berrhœenſes, qui receperant ſermonem cum omni animi promptitudine, quotidie ſcrutabantur Scripturas, an hæc ita ſe haberent. Et tam abeſt, vt propterea reprehendantur, vt vel in maxima eorum laude illud ponatur. Iam quoties ad ipſum Chriſtũ Quæſtiones deferuntur de Lege, de Diuortio, de Sabbato, de Meſſia, de regeneratione, de reſurrectione, de vera ad ſalutem via: ſemper ſciſcitantes remittit ad Scripturas. Quomodo (inquit) legis? An non legiſtis? Nunquam ne legiſtis? Quomodo ſcriptum eſt? Erratis, neſcientes Scripturas, &c. Similiter Apoſtoli omnes controuerſias, Scripturarum accõmodatione ad id quod in Quæſtione vertitur, dirimunt. Hinc illa eis familiaris vox: Sicut ſcriptum eſt. Et: Scriptum eſt enim: Dicit enim Scriptura: In Lege ſcriptum eſt: Dauid dicit: Oſee dicit: Eſaias clamat, & ſimilia. Haud aliter, qui Apoſtolos proximè ſecuti ſunt, Patres & Concilia factitârunt. Nam ſicubi in nodum incidebant, & hærebant in ſalebra, ſemper ad Scripturam recurrebant. Hæc erat illis doctrina & Teſtimonium Domini, lux oculorum, lumen pedum, lucerna greſſuum. Si quæ erat obſcuritas, eam vel enodatione verborum, vel locorum perſpicuorum collatione illuſtrabant. Et quanquam veris interpretibus honeſtum locum dabant, honeſtiorem conſenſioni multarum Eccleſiarum: tamen demonſtrationes certiſſimas ex his diuinorum eloquiorum teſtimoniis ſumebant. Hæc erant illis tanquam Lydius lapis: quo & Satanam, quantumuis in Angelum lucis transformatum, arguebant: & ſpiritus omnes probabant, num ex Deo eſſent, an aliunde. In Scripturis Eccleſiam quærebant, per Scripturas eam oſtẽdebant, ex Scripturis diffiniebant, quicquid ſine Scripturis diceretur, eadem facilitate contemnebant,

bant,qua erant dicta.Sine his teſtibus nemini volebant haberi fidem, per has paſtorum vocem ab vlulatu luporum diſcerni & poſſe & debere iudicabant.Certè non alijs armis Nicæna Synodus Arium,Conſtantinopolitana Macedonium,Epheſina Neſtorium,Chalcedonenſis Eutychen debellauit. Quapropter, qui nunc vocem iudicis in materiam litis conuertunt, nouum introducunt morem,in politia quidem intolerabilem, in Eccleſia verò etiam damnabilem : digni,quos vt blaſphemos pii omnes execrentur.

IESVITA.

Multa nobis credenda, eſſe licet in ſacris Literis expreſſe ſcripta non ſint. Lib.1.cap. 8. Parag.2.

Multa ab Apoſtolis facta,multa etiam Chriſtiano eſſe ſeruanda, quæ tamen ſcripta non ſunt. Parag.4.

CHRISTIANVS.

Fides(inquit Apoſtolus) ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei.Quomodo igitur verè credi poſſunt,quę in verbo Dei expreſſa non ſunt?Hæc ſcripta ſunt,vt credatis,ait diſcipulus Domino dilectus:quod ocioſè diceret, ſi etiam quæ non ſcripta ſunt,credi mandaret. Ridiculè ablegaret Abrahamus fratres Epulonis diuitis ad Moſen & Prophetas,vt illos audiant,ſi nō omnia,quæ credenda ſunt,in illis extarent. Vana eſſet Apoſtoli gloriatio coram Agrippa rege:Auxilium nactus Dei,vſque in hodiernum diem ſto, teſtificans tum paruo tum magno, NIHIL ALIVD dicens, quàm ea quæ Prophetæ prædixe-

Rom.10. Ioan.20. Luc.16. Act.25.

runt. Nihil aliud (inquit) dicens. Torrenſis autem, Agrippa rege & Berenice regina impudentior, obſtrepit: Multa alia, Paule, etiam credenda ſunt, quæ à Prophetis non ſunt prædicta. Sed & Mileti nugatus eſſet Paulus, ſi non nugaretur Torrenſis. Ter enim repetit ibi, de perfectione doctrinæ, nimirum etiam Scripturæ ſuæ, loquens ad Epheſinæ
Act. 20. Eccleſiæ presbyteros: Nihil ſuffugi eorum, quæ eſſent in rem veſtram, quin annunciarem vobis. Et iterum: Non enim ſubterfugi, quò minus annũciarem OMNE conſilium Dei vobis. Et tertiò: OMNIA oſtendi, ὑπέδειξα, clariſſimè demonſtraui vobis. Equidem hac in parte Paulum imitari Magiſtrum ſuum, vt re, ſic & verbis voluiſſe iudico: qui
Ioan. 15. ad diſcipulos ſuos ait: Vos dixi amicos, quia OMNIA, quæ audiui à Patre meo, nota feci vo-
Ioan. 14. bis. Et: Spiritus ſanctus vos docebit OMNIA, & ſuggeret vobis OMNIA, quæcunque dixi
Ioan. 16. vobis. Et rurſus: Cùm autem venerit *ille*, qui eſt Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Hæc qui de vocali prædicatione Apoſtolorum, non autem de Scriptura eorum, vera eſſe dicit: is Spiritum ſanctum nõ æquè adfuiſſe Apoſtolis ſcribentibus, ac loquentibus, abſur-
2. Tim. 3. diſſimè dicat neceſſe eſt. Denique, quomodo ſacræ literę poſſunt eruditum reddere ad ſalutem, ſi non omnia quæ ad ſalutem ſunt credenda, in illis expreſſa ſunt? Quomodo omnis Scriptura diuinitus inſpirata eſt, ſi non inſpirat omnia, quæ credi debent? Quomodo vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem in iuſtitia, ſi tam multa ei deſunt? Quomodo integrũ faciet Dei hominẽ, quæ ipſa non eſt integra? Quomodo ad omne opus bonum faciet ἐξηρτισμένον, quę ipſamet manca & mutila, & luxata eſt? Certè quod Eſaias de diuinis prædictionibus futurarum calamitatum

mitatum dicit,id nos ad vniuerſam Scripturam recte applicare poſſumus:Requirite(inquit) diligẽter in libro Domini,& legite:vnum ex eis non deſuit,alter alterum non quæſiuit. Quia quod ex ore meo procedit,ille mandauit, & Spiritus eius ipſe congregauit ea.Si vnum non defuit ex iis, quæ ad maledictiones & pœnas ſpectabant, quomodo vnum ex iis deerit,vel (vt Torrenſis blaſphemat) MVLTA deerunt, quæ ad perpetuam ſalutem conſequendam credenda ſunt? Eſai.34.

Quemadmodum autem nihil tutò creditur,niſi quod ſcriptum eſt: ſic etiam nihil in Eccleſia neceſſariò ſeruandum eſt,quod ab Apoſtolis factum eſſe in Scripturis non legitur. Scimus enim ſeueriſſimè prohibitum eſſe:Non facietis ſinguli,quod vobis rectum videtur.Et rurſus:Quod præcipio tibi,hoc TANTVM facito Domino : nec addas quicquam,nec minuas. Deut.12. Nam quod in fine Apocalypſeos conteſtatur author, id non tàm pro illius libri,quàm totius ſacræ Scripturæ Epilogo grauiſſimo haberi debet.Conteſtor(inquit)omni audiẽti verba Prophetiæ libri huius: ſi quis appoſuerit ad hæc,apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetię huius,auferet Deus partem eius è libro vitæ,& à ciuitate ſancta,& ex his,quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Apoc.22.

IESVITA.

Petrum primum fuiſſe & caput Apoſtolorum. Lib.1.cap. 9.Parag.1.

CHRISTIANVS.

Luc.21. PEtrus ipſe, memor dicti Magiſtri ſui: Reges Gentium dominantur, vos autem non ſic: confutat hanc poſitionem, ita ſcribens:
1.Pet.5. Neque ceu dominium exercentes aduerſus cleros, ſed ſic vt ſitis exemplaria gregis. Et Paulus contra eam diſertis verbis proteſtatur: Qui efficax
Gal.2. fuit (inquiens) in Petro ad Apoſtolatum circumciſionis, efficax fuit & in me erga Gentes. Cúmque cognouiſſent gratiam mihi datam, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbãtur eſſe columnæ, dextras dederunt mihi ac Barnabæ, ſocietatis, vt nos in Gentes, ipſi verò in circumciſionem Apoſtolatu fungeremur, tantùm vt pauperum memores eſſemus. In quo & diligẽs fui, vt hoc ipſum facerem. Cùm autem veniſſet Petrus Antiochiam, palàm illi reſtiti, eò quòd reprehenſus eſſet, &c. Vides, quot Argumenta vnus hic locus cõtra Petri primatum nobis ſuppeditet. Nam & Paulus, licet aliquot poſt Petri vocationem annis ad Apoſtolatum vocatus, nihil Petro de ſuo Miniſterio concedit: & inter columnas Eccleſiæ Cepham nõ primo ſed ſecundo loco numerat: & ſe ac Barnabam nõ vt ſeruos: ſed vt ſocios Petri habitos fuiſſe oſtendit: ſéque Petro in faciem reſtitiſſe dicit: ac eundem iam antea quoque ab alijs reprehenſum fuiſſe commemorat. Quod quis facere præſumpſiſſet, ſi princeps & caput Apoſtolorum exti-
Gal.1.&2. tiſſet Petrus? Denique duobus ferè capitibus Epiſtolæ ad Galatas, nihil aliud contendit Paulus, quàm ſe honore Apoſtolatus Petro eſſe parẽ. Hinc narrat, ſe ad Petrum veniſſe, non vt ſubiectionem profiteretur, ſed tantùm vt teſtatam omnibus faceret doctrinæ conſenſionem. Petrum quoque ipſum nihil tale poſtulaſſe, ſed dediſſe ſibi dextram

tram ſocietatis, vt communiter in Verbo laborarent: ſibi non minorem gratiam collatam eſſe inter Gentes, quàm Petro inter Iudæos. Denique, cùm minus fideliter ageret Petrus, fuiſſe à ſe correctum, & quidem non inuitum reprehẽſioni paruiſſe. Quid multis opus eſt? Percurre totã Actorum Apoſtolicorum hiſtoriam, & conquire, quicquid vſquam de munere poteſtatéque Petri extat: nihil profectò aliud reperies, quàm fuiſſe vnum ex numero duodecim, parem reliquis, & ſocium, non dominum. Etſi enim plærunque Apoſtolos videmus hoc Petro detuliſſe, vel propter ætatem grandiorem, vel propter rerum experientiam, vel propter animi magnitudinem & heroicum feruorem, vt in cœtu verba faceret, & quodammodo præiret, referendo, hortãdo, monendo: de poteſtate tamen, principatu ac dominio in reliquos, nihil legimus. Extollit quidẽ vocem ſuam Actor.2.
in die Pentecoſtes, & habet concionem grauiſſimam: ſed adſtant ei ad latus reliqui vndecim. Dicit quidem cauſam in Synedrio Ieroſolymitano: Actor.4.
ſed eandem vnà cum Ioanne perorat. Reſpondentes enim (habet textus) Petrus & Ioannes, dixerunt ad eos: An iuſtum ſit in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non. n. poſſumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Re- Actor. 15.
fert quidem Petrus ad Concilium, ſi quid faciendum eſt: & quid facto opus ſit, admonet: ſed alios ſimul audit: nec locum tantùm concedit dicendæ ſententiæ, ſed arbitrium illis permittit: vbi ſtatue- 1. Pet. 5.
runt, ſequitur & obtemperat. Cùm ad Paſtores ſcribit, non mandat ex imperio, quaſi ſuperior: ſed Actor. 11.
collegas ſuos facit, & comiter hortatur, vt inter æquales fieri ſolet. Cum accuſatur, quòd ad Gentes ingreſſus fuerit, etiamſi id fit immeritò, reſpondet tamen & ſeſe purgat. Iuſſus à col-

Actor. 8. legis ire cum Ioanne in Samariam, non detrectat:
ſed munus commiſſæ legationis fideliter exequi-
tur. Ex quibus omnibus palàm fit, aut fuiſſe æqua-
litatem & ἰσοτιμίαν inter Petrum & reliquos Apo-
ſtolos: aut certè nihilo plus poteſtatis fuiſſe Petro
in reliquos, quàm ipſi in illum habuerint. Vnde
illa memorabilis vox Bernhardi in Epiſtola ad
Eugenium: Verus ſucceſſor Pauli dicet cum Pau-
lo: Non quòd dominemur fidei veſtræ, ſed adiu-
tores ſumus gaudii. Petri hæres audiet Petrum di-
centem: Neque vt dominantes in clerum, ſed for-
ma facti gregis.

IESVITA.

Lib. 1. ca. 6. Parag. 2.

Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ.

CHRISTIANVS.

PRædicationem & doctrinã Petri de Chri-
ſto, fundamentum Eccleſiæ poſſe dici, Pau-
Epheſ. 2. lus ad Epheſios teſtatur. Petrum autem i-
pſum, hoc eſt, perſonam Petri, fundamentum Ec-
cleſiæ non eſſe, ex eo ipſo loco, quem Pontificii
Matt. 16. pro ſe allegant, euincitur. Vix enim propter Con-
feſſionem de Chriſto filio Dei viuentis, laudatus
fuerat: cùm propter immaturam ſapientiam ra-
tionis, audit à Chriſto: Abi poſt me Satana, ob-
ſtaculo es mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt,
ſed ea quæ ſunt hominum. Quis autem dicet,
Satanam Eccleſiæ fundamentum eſſe, niſi ipſe
Satanas? Vbi verò Eccleſiæ fundamentum man-
ſit, quando cœpit Petrus execrari & iurare, quòd
non noſſet hominem? Vbi manſit, quando Paulus,
videns,

videns, quòd multi non recto pede incederent ad veritatem Euangelii, dixit Petro coram omnibus: Si tu, cùm ſis Iudæus, gentiliter agis, ac non Iudaicè, cur Gentes cogis iudaizare? Denique, quando Petrus ſenuit, extendítque manus ſuas, & alius eum cinxit, ac duxit quò non volebat, quodnam tum fuit Eccleſiæ fundamentum? Num Petro ſuſpenſo, etiam Eccleſiæ fundamentum ſuſpenſum fuit? Nullum certè aliud poni potuit, poteſt, & poterit fundamentum, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus: lapis ille fundatus in Zion, in ſummo poſitus angulo, electus, precioſus: in quem qui credit, non pudefiet.

Gal. 2.
Ioan. 21.
1. Cor. 3.
1. Pet. 2.

IESVITA.

Petrum Romæ fuiſſe, ibique martyrio coronatum. Lib. 1. ca. 6. Parag. 3

Petrum Romanum Pontificem eſſe, & ſedem Romanam, ſedem Petri vocari. Parag. 4.

CHRISTIANVS.

Hic lectorem ad eruditiſſimum librum Vlrichi Veleni Minhouienſis remitto: cuius pars prior decem & octo comprehendit perſuaſiones ſeu demonſtrationes, ex ſacris literis & indubitatæ fidei hiſtoriis collectas, quòd Petrus nunquam poſt Chriſti paſſionem Romæ fuerit: & quòd Hieroſolymis, & non Romæ paſſus ſit. Altera pars ſeptem habet cauillos, quibus Romana Curia illis perſuaſionibus occurrere conſueuit: quibus tamen viciſſim ſeptem opponuntur reſponſiones, eos non aliter atque rudera quędam

diſsipantes. Certè quod eſt apud Euſebium, præfuiſſe Petrum Romanæ ſedi 25. annos, nullo negocio refellitur. Conſtat enim ex primo & ſecundo capite ad Galatas, circiter viginti annos à Chriſti morte, fuiſſe Hieroſolymis: veniſſe deinde Antiochiam: vbi quamdiu fuerit, incertum eſt. Gregorius ſeptem, Euſebius autem 25. annumerat. Atqui à morte Chriſti vſque ad finem imperii Neronis, ſub quo ipſum martyrio coronatũ fuiſſe referũt, reperientur tantùm triginta ſeptem anni. Si nunc de triginta ſeptem annis, viginti annos decidas, quibus habitaſſe Petrum Hieroſolymis teſtis eſt Paulus, reſtabunt ſeptemdecim ad ſummun, quos iam inter duos Epiſcopatus, Antiochenũ & Romanum, partiri oportet. Si diu Antiochiæ moratus eſt, non potuit Romæ ſedere, niſi perexiguum tempus. Quod ipſum clarius adhuc demonſtrare licet. Scripſit enim Paulus Epiſtolam ad Romanos è Corintho, cùm iter ſuſcepiſſet Hieroſolymam verſus, vbi captus fuit & Romam adductus. Iudicatur ergo Epiſtola hæc triennio vel quadriennio antè ſcripta fuiſſe (nempe anno conuerſionis ſuæ vigeſimo ſecundo) quàm Romam venerit: quod factum eſt anno conuerſionis ſuæ 25. anno imperij Neronis ſecundo. In illa autem Epiſtola ad Romanos nulla prorſus fit Petri mentio, quæ minimè omittenda erat, ſi Eccleſiam illam rexiſſet. Quinetiam in fine, dum longum catologum piorum recitat quos ſalutari iubet, de Petro planè ſilet: qui certè minimè debuiſſet præteriri, ſi Romæ fuiſſet.

Act. 28. Adducitur deinde Paulus vinctus Romam. Exceptum fuiſſe à fratribus narrat Lucas, de Petro nihil. Scribit illinc ad multas Eccleſias, eo biennio, quo Romæ in ſuo conductu manſit, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, poſteriorem ad Timotheum, ad Philemonem. Alicubi etiam

etiam quorundam nomine ſalutationes adſcribit. Non tamen vno verbo indicat, Petrum illic tunc fuiſſe. Imò ad Philippenſes, vbi dixit, neminem ſe habere, qui ita fideliter curet opus Domini, vt Phil. 2.
Timotheus, conqueritur omnes quærere quæ ſua ſunt. Et ad Timotheum, cùm iterum ſiſteretur 2. Tim. 4.
Neroni, quando & morte fidem ſuam teſtatus occubuit, ſcribens Lucam ſecum eſſe ſolum, grauius conqueritur in prima defenſione neminem ſibi adfuiſſe, ſe deſertum ab omnibus. Vbi tūc igitur Petrus? Nam ſi Romæ fuit, proditor fuit Euangelij: & vt antea in Chriſtum periurus abnegator, ſic nunc in Paulū perfidus deſertor & turpiſſimus ῥιψάσπις extitit. Quod abſit vt de Petro ſuſpicemur, qui cōuerſus cōfirmauit fratres ſuos: nedū ſeipſe nō confirmaſſet. Quamdiu igitur & quo tempore ſedem illam tenuit Petrus? Quid? quòd inter illos ipſos ſcriptores, qui Petrum vſque ad mortem Eccleſiam Romanam gubernaſſe tradunt, minimè conuenit, quis fuerit eius ſucceſſor, quia alii Linum, alii Clementem ſubſtituunt. Alii Clementem non modò nō ſecundum, ſed ne tertium quidem faciunt. Nam Petro, Lino, Cleto, demū quarto loco ſubmittunt Clementem. Hieronymus Syluius in ſuis ad Ignatii Epiſtolas Scholiis, Antuerpiæ non ita pridem ęditis, dum hanc diſcordiam ſcriptorum de ſucceſſore Petri concordare voluit, rem intricatiorem reddidit, quàm erat antea. Itaque etiamſi magnorum quorundam ſcriptorum authoritatem ſecutus, Petrum omninò Romæ mortuum eſſe concederem: tamen Epiſcopum ibi fuiſſe, præſertim longo tempore, nemo mihi perſuadebit. Tutiſſimum enim erit, reſpicere pactum inter Petrum & Paulum initum, ac mutuis etiam dextris confirmatum: vt hic in gentes, ille Gal. 2.
verò in circumciſionem Apoſtolatu fungeretur.

Proinde,vt ſocietas illa; quam inter ſe pacti ſunt, rata apud nos ſit: imò vt Spiritus ſancti ordinatio firma apud nos habeatur, in Pauli Apoſtolatum magis quàm Petri reſpicere nos conuenit: ſiquidem ita inter eos prouincias diuiſit Spiritus ſanctus,vt Petrum Iudæis, nobis Paulum deſtinaret. Sedem igitur Petri alibi quàm Romæ quærant Papiſtæ: niſi fortè Romæ ſedit;cum ſcripſit: Salutat vos ea quæ in Babylone eſt veſtræ conſors electionis Eccleſia. (1.Pet.5.) Nam quid de hoc loco veteribus nonnullis,& inter recentiores Franciſco Petrarchæ,ac Danti Aligheriovisum fuerit,Ieſuitis ignotum eſſe non arbitror.

IESVITA.

(Lib.1.cap. 9.Parag.5.) *Penes Romanam ſedem eſſe primatum, & autoritatem ſummam Eccleſiæ.*

CHRISTIANVS.

HÆc poſitio, quia è ſuperioribus pendet ſubuerſis illis vltrò corruit.Sed eſto.Fuerit Petrus Romæ: fuerit ibi mortuus:fuerit ibi ante mortem Pontifex Romanus:ſit Romana ſedes,ſedes Petri: quid tum poſtea? Num propterea primatum habebit? Atqui Iacobus prius ſedit Hieroſolymis: qua de vrbe prædictum fuit: (Eſa.2.) De Zion exibit lex,& Verbum Domini de Ieruſa- (Act.11.) lem:& ille idem Petrus prius ſedit Antiochiæ, vbi & diſcipuli primùm cognominati ſunt Chri- (Act.18.) ſtiani:& Paulus ſedit Corinthi,diebus multis, in qua ciuitate populus multus fuit Domino.Atqui inter Patriarchas vltimum locum habuit olim Hieroſolyma: Antiochia tertium: Corinthus verò,Epheſus,Philippi,Theſſalonica, & aliæ Eccle-

ſiæ,

ſiæ,tum quas fundauit Paulus, tum quibus alii Apoſtoli præfuerunt: prorſus ſunt præteritæ. Aut igitur præpoſterum illum ordinem fuiſſe fateatur Torrenſis: quod non faciet: aut nobis cõcedat, non eſſe hoc perpetuum, vt cuique Eccleſiæ debeatur is honoris gradus, quem quiſque fundator habuit. Sed & hoc neſcire non debet Torrenſis, Spiritum ſanctum non affixum eſſe aſſeribus cathedrarum & pulpitorum, (vt à pueris affigi quandoque ſolent veſpertiliones) vt inde diſcedere nequeat: niſi fortè, vt olim veteres Romani Victoriæ, ſic iſti Romanenſes Spiritui ſancto alas, quibus ſemel aduolauerat, reſecuerint, ne poſſit in poſterum auolare. Animo pio & fideli promiſſa eſt Spiritus ſancti gratia, non cathedris & ſucceſſionibus. Quòd ſi locus & inauguratio ſola ad ſummam authoritatem ſatis eſt: & Zedechias ſucceſſit Dauidi: & Caiaphas Aaroni: & idolum ſæpè ſtetit in templo Dei: & ὁ ἀντικείμενος in templo Dei ſeſſurus, ac ſeipſum tanquam Deum oſtentaturus eſſe prædicitur. 2.Theſ.2. Age ſucceſſerit Pontifex Romanus piſcatori Petro in cathedra: num propterea etiam ſucceſſit in pietate & officio? Num prædicat Euangelion vniuerſæ creaturæ? num hominum piſcator eſt, an verò pecuniæ? num eſt ſal terræ? num lux Mundi? num gregem paſcit, non ſeipſum? num in clerũ & populũ Domini dominiũ non exercet? num lucrũ turpe non affectat? nũ exẽplar eſt gregis? num aliis potius miniſtrare quàm ſibi miniſtrari cupit? 1.Pet.5. num omnes Epiſcopos & preſbyteros ſocios & ſympresbyteros ſuos eſſe putat? nũ ſubiectus eſt Regi tanquã præcellenti? nũ principibus tanquã à Deo & Rege miſſis? num fraternitatẽ diligit, Deum timet, Regẽ honorat? an verò cũcta illis facit cõtraria? audétq; non aliquid, ſed multa, ſed omnia, quæ 1.Pet.2.

breuibus Gyaris & carcere digna, imò verò, quæ pice,ſulphure & igni ſempiterno digniſsima ſũt: quæque ita iam ſordent & fœtent,vt Deus,quantumuis longanimis, fœtoré iſtius Vaticanæ cloacæ vix ferre diutius poſſe videatur.

IESVITA.

Lib.1.ca. 9.parag.6. *A Romana ſede de doctrina Catholica iudicium ferri,hæreſes damnari.*

CHRISTIANVS.

A Chriſto omnibus ſuis diſcipulis, etiam antequam Romanæ ſedis nomen fando auditum fuit,dicitur: Cauete à Pſeudoprophetis.Et alibi: Cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum. Ioannes omnibus Chriſtianis ſcribit: Chariſsimi, ne cuiuis Spiritui credatis:ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint: quoniam multi Pſeudoprophetæ (inter quos nunc etiam Ieſuitæ ſunt)exierunt in Mundum. Idem electæ dominæ & filiis eius ſcribens:Si quis(inquit)venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum,nec Aue ei dixeritis. Paulus verò ſcribens Corinthiis,in quibus plærique Laici, mercatores & opifices erant,qui Romam non ex Pontificia, ſed ex Imperatoria ſede nôrant, & quibus non tam Pontifex Romanus, quàm Lucius Mummius Conſul,deuaſtator quondam Corinthi, cognitus erat:Vt prudentibus(inquit)loquor: iudicate vos quod dico.Theſſalonicéſes autem (quorum Epiſcopus Nilus, etiam multis poſt Paulum annis,Romanæ ſedis primatum docto ſcripto validè concuſsit) hos inquam omnes iubet, omnia probare,

Matth.7. Matth.16. 1.Ioan.4. 2.Ioan. 1.Theſſ.5.

probare, quod bonum eſt tenere. Quid? quòd idem Paulus ex profeſſo ad Romanos ſcribens, non ad ſolum Epiſcopũ Romæ, ſed ad omnes fratres, quorum longiſſimum texit catalogum, hac admonitione vtitur: Obſecro autem vos fratres, vt conſideretis eos, qui diſſidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didiciſtis, gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui eiuſmodi ſunt, Domino Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per blandiloquentiam & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium. Nonne hîc Apoſtolus omnibus Chriſtianis de doctrina iudicium permiſit, & præſertim contra Ieſuitas iſtos blandiloquos & verſutos seductores ſimplicium, non Domino Ieſu, à quo denominari volunt, ſed ſuo ventri ſeruientes, fideliter præmonuit? Rom. 16.

IESVITA.

Ab Eccleſiæ Doctoribus petendam eſſe Scripturæ interpretationem. Lib 1. cap. 11. Par. 2.

CHRISTIANVS.

Scriptores Eccleſiaſticos, quos propter reuerentiam cano capiti exhibendam, Patres, & vocabulo propemodum indulgẽtiori Doctores Eccleſiæ vocant, multis nominibus veneramur. Primùm, quia ſuo ſuffragio & teſtimonio tradunt nobis in manus, ſcripta Prophetica & Apoſtolica, de quorum certiſſima ac Sacroſancta veritate diligenter & bona fide teſtantur. Deinde, quia in multis libris Biblicis explicandis non ignauam neque inutilem operam Eccleſiæ præſtiterunt: præſertim vbi ſuis humanis cogitationib. vel aliorum opinionibus non nimiùm in-

dulgentes, à textu Scripturarum nō longè diſceſſerunt. Tum quia aduerſus hæreticos multa pia dogmata ſolidis & perſpicuis ſacrarum Scripturarum teſtimonis ſtrenuè & conſtantèr defenderūt, & ſcriptis ſuis propagârunt ad poſteros: non noua dogmata aut Sacramenta inſtituentes, ſed pro veteribus dogmatibus ac Sacramentis contra architectos nouorum acerrimè propugnātes. Poſtremò, quòd hiſtorias Eccleſiaſticas laudabili diligentia ſcriptis conſignatas ad poſteritatem tranſmiſerūt: è quibus multiplex ad nos redit vtilitas. Sed in his omnibus Patrum teſtimoniis, interpretationibus, propugnationibus, hiſtoriis, ſic demùm eos ſequimur, cùm nos ad fontem ſacrę Scripturæ ſuo Miniſterio & iudicio deducunt: nō cùm nos riuulis ſuis ab ipſa fontis ſcaturigine abducūt. Nam ipſe Deus
Matt. 17. Pater filium ſuū dilectū audire præcepit: HVNC (inquit) audite: Nō Patres. Vbi autem vox filij Dei
Ioan. 5. nunc auditur alibi, quàm in Scripturis? Filius certè ipſe nos iubet ſcrutari, non Patres, ſed Scripturas: illas enim eſſe, quæ de ſe teſtimonium perhibeāt.
2. Pet. 1. Et Prophetarum (non Patrum) ſermoni tanquam firmiſſimo & ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco attendere iubemur: inſuper Propheticam Scripturam non eſſe priuatæ interpretationis (quorūcunque Patrum) monemur. Quòd ſi perpetua ſententia Scripturæ in rebus ad ſalutem neceſſariis, (aduerte Torrenſis, quid dicam) ſi ſententia, inquam, Scripturæ, non ſingulæ phraſes, quæ interdū propter abſtruſam difficultatem obſcuriores ſunt, in dogmatibus ſalutis noſtrę, nō in iis reb⁹, quibus ad ſalutem carere poſſumus, firma & lucida ſeu perſpicua eſt: non neceſſe eſt ſemper, ab Eccleſiæ Doctoribus (quos tu ſic vocas) Scripturę interpretationē quærere. Num enim, ſi Patres nulla vnquā

commentaria

cōmentaria ſcripſiſſent, Scriptura à nemine intelligi poſſet? quę in hoc ſcripta eſt, vt intelligatur & credatur, ac intellecta & credita, ſit virtus Dei in ſalutem omni credenti. Hæc ſcripta ſunt, (inquit Ioannes, antequam Patrum Eccleſiaſticorum nomina audita, nedum volumina perſcripta perlectáque fuiſſent) vt credatis, quòd Ieſus eſt Chriſtus ille filius Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Et tamen id ſcriptũ Ioannis propter ſuas quaſdem ei peculiares phraſes difficilius eſt: nihilominus ita ſcriptum eſſe ait, vt credatur: & quidem non à ſenioribus tantùm, ſed vt expreſſè in Epiſtola ſua dicit, etiam ab adoleſcentibus & filiolis. Ergò tum ſcripta Euangeliſtarum & Apoſtolorum abſque Patrum ſcriptis intelligi poterãt: hodie autem, quando repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aqua maris operientis, nõ poterunt? Sin Scriptura nõ eſt certa & perſpicua, ſed (vt Ieſuitæ nugãtur & blaſphemãt) ambigua & obſcura: quãtò igitur incertiores & obſcuriores erunt Patrum interpretationes? Nam ſi lux tenebræ ſunt, tenebrę ipſæ quantæ erunt? Sic tandem ad Protagoræ principia redibit Torrenſis: & Cuſanus ad ſuum mutabilem ac variabilem intellectum: & Pereſius Hiſpanus ad Sibyllæ folia: & Staphylus ad Breuiariũ neſcio cuius hominis: & Sotus ad Prælatos: & Hoſius neque pius neque ſanctus Caligula, faceſſere iuſſis ipſis Scripturis, cœleſtes reuelationes expectabit: cùm vanus ſit labor (ſi ἀνοσίῳ Hoſio credimus) qui Scripturæ tanquam creaturæ & egeno cuidam elemento tribuitur. Tandẽ Ius ipſum Pontificium nos ablegabit ad ſcrinium Pontificij pectoris, in quo omnia iura latent, ſicut in colo ſtercora: ex quo etiã Conciliabulũ Tridentinũ ſuũ hauſit Spiritũ: quẽ manticę incluſũ Veredarij celerib⁹

Ioan. 20.
1 Ioan. 2.
Eſai. 11.

equis Roma ſubinde Tridentum deportârunt. Ignoſce quæſo lector his ludis vſurpatis contra illos dũtaxat,qui ex ſacris Scripturis ludos ludificabiles petulantiſſimè impijſſiméque faciunt.

IESVITA.

Lib.1.cap. 11. Parag.3 *Antiquos Patres incorruptos eſſe iudices in controuerſiis poſterorum.*

CHRISTIANVS.

VT prudentibus loquor (inquit Apoſtolus) iudicate vos quod dico. Et iterum: Prophetæ duo aut tres loquantur,cæteri dijudicent. (1. Cor.14.) Iudicare igitur & poteſt & debet, non minus præſentis temporis Eccleſia,quàm ſuperiorum ſeculorum. Iudicii autem regula eſſe debet, non ea, qua contra Ieremiam vtebatur Clerus Iudaicus: (Ierem.18.) Non peribit Lex à Sacerdote,neque conſilium à ſapiente,nec ſermo à Propheta. Nam quia hi ſæpè ſcientiam repellunt,repellit & ipſos Dominus: nox illis ſæpè eſt pro viſione,& tenebræ pro diuinatione:ſæpe cæci fiunt ſpeculatores ciuitatis:ſæpè infatuatur ſal,& in ſterquilinium abiicitur.Sed ea vera & recta Regula eſt, de qua Pſaltes canit: (Pſal.19.) In omnem terram exiuit Regula vel amuſſis eorum,& in fines orbis terræ verba eorum. Nam mãdata Domini recta ſunt:& viæ eius rectæ: & ſceptrum eius ſceptrum rectitudinis:iudicia Domini vera ſunt,iuſtificata ſimul.Et quid multis? Solus Pſalmus centeſimus decimus nonus, incorruptus iudex eſt omnium controuerſiarum: (Pſal.119.) qui vbique Domini iudicia,non Patrum,prædicat:ac nũc legem,nunc teſtimonia,nunc vias,nunc mandata, nunc ſtatuta nunc iuſtificationes, nunc iudicia,

nunc præcepta, nunc ſermones, nunc eloquium, nunc Verbum Domini, egregia & planè Rhetorica expolitione inculcat. Quòd ſi omninò Torrenſis nos ad antiquorum Patrum iudicia reiicit, audiat Iobum, qui amicorum ſuorum verba per Mimeſin repetens: In antiquis eſt ſapiĉtia, & in multo tempore prudentia: ex ſua ſententia ſubiicit: Apud Dominum eſt ſapientia & fortitudo: & ipſe habet conſilium & intelligentiam. Ac ſi Patres ſemper incorruptè iudicaſſe arbitratur Torrenſis, cum Domino expoſtulet, qui apud Eſaiam conqueritur: Patres tui primi peccauerunt, & interpretes (vel Doctores) tui præuaricati ſunt in me. Et apud Ieremiam ſic dicit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis: & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea: & abierũt poſt prauitatem cordis ſui & poſt Baalim, quod didicerunt à PATRIBVS ſuis. Quoties ergo Ieſuitæ ſuos antiquos Patres crepabunt, toties nos vnum Patrem noſtrum in cœlis, illum antiquum dierum, opponemus: qui annũciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua manifeſtat Iſrael: quæ iudicia verè ſunt incorrupta, quia lex Domini immaculata, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, mandata Domini recta, lætificantia cor, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et quia Verbum Dei perſonam hominis non reſpicit, certè iudicium iuſtum iudicat: per quod etiam ſpiritualis diiudicat omnia, ipſe verò à nemine diiudicatur. Manet igitur manebitque Scriptura vox iudicis, etiamſi rumpantur omnes ii, qui eam materiam litis faciunt, & cum Protagoræ principiis comparant.

Iob. 12.
Eſa. 43.
Ierem. 9.
Pſal. 147.
Pſal. 19.
1. Cor. 2.

IESVITA.

Lib.1.cap. 11. Para.4. *Chriſtiani eſſe populi, ſanctorum Patrum ſequi autoritatem.*

CHRISTIANVS.

QVia in præcedentium poſitionum examine, hæc quoque diſcuſſa eſt, Torrenſis ſaltem ad hæc nuda Scripturæ teſtimonia reſpondeat, quomodo cum iſta ſua poſitione conueniant:
1.Cor.3. Ne quis glorietur in hominibus. Omnia namque veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue Mundus: omnia inquam veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Et iterum:
1.Cor.7. Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Et
1.Theſ.5. alibi: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et quia Torrenſis ſemper ingeminat Patres, Patres, Patrum iudicia, Patrum autoritates: cogitet etiam ſemel, quid ſit, quod Chriſtus Phariſæis dixit: Pa-
Matth.23. trem nolite vobis vocare in terra: Vnus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. Cogitet etiam, quid Paulus de ſe ipſe fateatur, cùm Patribus nimium
Gal.1. fuiſſet addictus: Perſequebar (inquit) Eccleſiam, ſtudioſus PATERNARVM TRADITIO-
1.Pet.1. NVM. Et Petrus: Redempti eſtis à vana veſtra conuerſatione, quam ex PATRVM acceperatis
Gal.5. traditione. In hac igitur libertate, qua Chriſtus nos liberauit, ſtemus, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemur: hoc eſt, ne rurſus à Deo Patre ad Patres homines, à Scripturis diuinis ad Traditiones humanas, ab autoritate cœleſtium oraculorum ad phantaſmata humanorum ſomniorum deficiamus.

IESVITA.

Peccatum originale non eſſe concupiſcentiam, vel habere concupiſcentiam, quæ ſunt pœnæ & effectus eius peccati. Lib. 2. ca. 1. Parag 3.

CHRISTIANVS.

NOn te pudet Torrenſis, rancidum illud ſophiſma tanquam cramben apponere? quod Anno 1530. à Sophiſtis illis opinatis confutatoribus Auguſtanæ Confeſſionis fuit noſtris Theologis obiectum: ſed in Apologiæ articulo ſecundo ita diluitur, vt non ſolùm iudicium, ſed etiam cādorem iſtis defuiſſe (hæc enim verba ſunt Apologiæ) appareat. An ignoras magne Doctor & Profeſſor, cùm concupiſcentia nominatur, non tantùm actus ſeu fructus, ſed perpetuam naturæ inclinationem intelligi? de qua Paulus ait: Peccatum non cognoui, niſi per legem. Nam & concupiſcentiam non nouiſſem, niſi lex dixiſſet: Non concupiſces. Rom. 7. Quid autem veſtro Thomæ reſpondebitis Ieſuitæ? Peccatum (inquit ille) originis, habet priuationem originalis iuſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ: vnde non eſt priuatio pura: ſed quidam habitus corruptus. Toh. prima ſecundæ, q. 82. Art. 1. Quid Bonauenturæ? dicenti: Cùm quæritur, quid ſit originale peccatum, rectè reſpondetur, quòd ſit concupiſcentia immoderata. Rectè etiam reſpondetur, quòd ſit debitæ iuſtitiæ carentia. Et in vna iſtarum reſponſionum includitur altera. Bonauentura ſuper Sent. lib. 2. diſt. 30. Art. 2. q. 1. num. 20. Quid Hugoni? cùm ait, originale peccatum eſſe ignorantiam in mente, & concupiſcentiam in carne. Age Torrenſis, ſi Chriſtiani populi eſt, Sanctorum Patrum ſequi autoritatem, cur non doctoribus Angelicis, & Seraphicis, ab ipſo ſanctiſſimo

domino Papa declaratis & canonizatis ſanctis, fidem adhibes, eorúmque autoritatem tãquam Eccleſiæ doctorum, & incorruptorum iudicũ, & ſanctorum Patrum ſequeris?

IESVITA.

Lib.1.cap. 2, Parag.1. *Concupiſcentiam in renatis malum quidem, ſed non peccatum eſſe.*

Parag 2. *Concupiſcentiam, quæ Paulo dicitur Malum inhabitans, lex membrorum vel carnis, lex peccati, vel peccatum, non propriè peccatum eſſe, & regeneratos reos non facere.*

CHRISTIANVS.

HIc, ne lõgum faciam, ablego te ad Apologiam Confeſſionis VVirtenbergenſis, quę in capite de Baptiſmo, hũc nodum ita accuratè diſſoluit, & planè explicat, vt nihil planius dici poſſe videatur. Summa hæc eſt. Peccatum duplicem habet conſiderationem. Vna eſt: quòd pugnet cum Spiritu ſancto, & cum lege Dei. Altera: quòd faciat homines coram Deo reos, & damnet eos. Nunc ſi peccatum definimus eſſe id, quòd faciat homines coram Deo reos & obnoxios æternæ damnationi, certè concupiſcentia, quæ in renatis poſt Baptiſmum remanet, & non regnat in mortali noſtro corpore, vocatur quidem peccatum. Et hoc eſt quod dicimus, hoc peccatum non imputari credenti, ſed condonari ex gratuita clementia propter Chriſtum: & quod ex Auguſtino citari ſolet: Concupiſcentiam carnis dimitti in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Sin autem peccatum definimus id eſſe

quod

quod pugnat cum Spiritu ſancto & cum lege Dei, certè concupiſcentia poſt Baptiſmum remanens, non ſolùm vocatur nomine, ſed etiam eſt verè, reipſa ac propriè peccatum. Pugnat enim cũ hac lege DEI: Non concupiſces: inimicitia eſt aduerſus DEVM: legi DEI non ſubditur: concupiſcit aduerſus ſpiritum: aduerſatur ſpiritui: rebellat legi mentis, hoc eſt, dictamini Spiritus ſancti ex lege Dei: captiuum reddit hominem baptizatum legi Dei: venundat hominem ſub peccatum: quæ omnia ſi non ſunt peccata, quid tandem erit peccatum? Certè Paulus vno capite ſeptimo ad Romanos hanc concupiſcentiam quaterdecies vocat peccatum: ídque in ſe inhabitans omne malum perpetrare grauiſſima oratione conqueritur. Per totum autem caput ſextum, ne id peccatum in nobis regnet, ne nobis dominetur, ne ſerui eius fiamus, ſignificantiſſimis verbis & prægnantibus rationibus cohortatur. Quid multa? Auguſtinus ipſe ſuæ ſententiæ optimus eſt interpres, in eo ipſo teſtimonio, quod Torrenſis in prima acie collocatum cæteris omnibus præmiſit: Tu autem qui putas (inquit ad Iulianum) quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: Omni REATV omniũ malorum caret, nõ omnibus malis. Hactenus verba Auguſtini, quibus manifeſtè declarat, ſe non intelligere nomine peccati vitium pugnans cum Lege Dei, & reſiſtẽs Spiritui ſancto (hoc enim vitium manifeſtè aſſeuerat poſt Baptiſmum in renatis remanere) ſed intelligere Reatum: Omni, inquiens, peccato caret, hoc eſt, vt mox addit, omni REATV. Quod ergò Auguſtinus tolerabiliter dicit, & non impiè intelligit, id Ieſuitam impiè & damnabiliter interpretari profectò indigniſſimũ

Rom. 8. Gal. 3.

Rom. 7.

Tomo. 7. contra Iulianum Pelag. lib. 6. cap. 5.

eſt. Sed hîc habes ſpecimen candoris & integritatis Ieſuiticę in allegandis ac interpretandis Auguſtini teſtimonijs, vnde cætera, ceu ex vngue leonem æſtimare poſſis.

IESVITA.

Lib 2. ca. 2. Parag 3. *Primos concupiſcentiæ motus, quibus nō præbetur aſſenſus, peccatum non eſſe.*

CHRISTIANVS.

NOn ſatis erat Torrenſi, ipſam concupiſcentiam peccatum eſſe negare: niſi primos etiam motus concupiſcentiæ à peccato eximeret: quod argumento eſt, illum hominem Phariſaica iuſtitia tumidum, parum abeſſe ab
1. Ioan 1. eo vt dicat: Peccatum non habemus: vt ſic ſeipſos fallant Ieſuitę, & veritas in ipſis non ſit. Nam heus tu prædure ſtipes, & tua ipſius conſcientia aduſte
Matth. 5. Torris, cur Chriſtus pronunciat, obnoxium eſſe iudicio, quicunque temerè iraſcatur fratri ſuo, ſi primus ille motus & inconſultus feruor iræ, qui nemini quàm ipſi iraſcenti magis dolet, peccatum non eſt? Non ſolùm Racha concilio facit obnoxium: non tantùm fatui conuitium Gehennæ incendio adiudicat: ſed iram quoque & hanc ſubitam, temerè & quaſi ſoruitò exardeſcentem, iudicio ſubiicit. Nunquam ne legiſti apud Ioannem definitionem peccati, vt breuiſſimam, ſic diſertiſ-
1. Ioan. 3. ſimam ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία? Quòd ſi deuiare à Lege, à norma Legis deflectere, pugnare cum Lege vel cum diuina voluntate, eſt propria, & ſecundum Dialecticos conſtitutiua differentia peccati: Lex autem expreſſè prohibet motus concupiſcé-
Exod. 20. tię, ſiue primos, ſiue ſecūdos, cùm ait, Non concupiſces

piſces: neceſſariò conſequitur, hos motus verè eſſe & propriè dici peccata: licet renatos, ſi aſſenſum eis non præbeāt, reatu non obſtringant. Nulla enim nunc eſt cōdemnatio his qui in Chriſto Ieſu ſunt, qui non iuxta carnem verſantur, ſed iuxta Spiritum. Rom. 8.

IESVITA.

Peccato primi hominis liberum arbitriū non fuiſſe ſublatum, ſed infirmatum, attenuatum & deprauatum. Lib. 2. ca 3. Parag. 6

CHRISTIANVS.

IN rebus ſpiritualibus, quæ ad veram pœnitentiam, fidem, iuſtitiam & ſalutem æternam pertinent, ſi ſublatum negat Torrenſis liberum hominis arbitrium, negat vera eſſe, quæ Paulus multis in locis conſtanter aſſeuerat: Epheſ. 2. Cùm eſſetis (inquit) MORTVI delictis ac peccatis. Et mox: Cùm eſſemus MORTVI per delicta, conuiuificauit nos Deus vnà cum Chriſto. Et alibi: Velut ex MORTVIS viuentes. Rom. 6. Vbi autem vita ſpiritualis ablata eſt, nonne liberum etiam arbitrium ſublatum eſt? Cur ſe idem Apoſtolus fatetur eſſe vēditum ſub peccato? Rom. 7. cur impios, niſi Deus illis det pœnitentiam ad agnoſcēdum veritatem, 2. Tim. 2. negat poſſe reſipiſcere è Diaboli laqueo, CAPTOS ab eo ad ipſius voluntatem? Cur Dauid orat? Cor Mundum crea, CREA, in me Deus? Pſal. 51. Cur filius Dei Ioan. 8. tum demum nos verè liberos fore pronunciat, ſi nos ipſe filius liberauerit? Quia nimirum ſciunt hominem naturâ eſſe ſeruum, non Dominum peccati, captiuum, non liberum mancipium Satanæ, non filium Dei: denique ſpiritualiter mortuū, non

viuũ aut ſemiuiuũ: qui nõ tantùm adhortatione & quaſi exhortatiõe è ſomno, ſed noua creatione, viuificatiõe & regeneratiõe opus habeat, niſi in ęternũ perire velit. Cætera ex Lutheri diuino libro de Seruo arbitrio petat Torrenſis, quæ ſi verè cõfutauerit, ipſum nõ modò Eraſmi ὑπερασπιστὴν ſed etiã ὑπερνικήτην appellabimus, & liberatorẽ captiuorũ, redemptorem venditorum, reſuſcitatorem mortuorum, hoc eſt, Ter maximum Seruatorem venerabimur. Ah ſuperbiſſimam miſeriam & miſerrimam ſuperbiam Ieſuitarum: qui perpetuam ſeruitutem ſeruire malunt, quàm ab eo liberari, de quo in Veſperis ſuis canunt: Cuius benigna gratia crucis per alma vulnera virtute ſoluit ardua primi parentis vincula. Ligatus es, vt ſolueres Mundi ruentis complices, per probra tergens crimina, quæ mundus auxit plurima.

IESVITA.

Lib. 2. cap. 3. Parag 11

Non omnes infidelium actiones & Philoſophorum virtutes eſſe peccata.

CHRISTIANVS.

QVanquam multa præclarè geſta ab Ethnicis & virtutes Philoſophorum ſuam habent laudem, ac ſuam quoque mercedem in mundo: tamen ſi abſque fide impoſſibile eſt placere Deo, ac proinde, quicquid nõ ex fide eſt, peccatum eſt: falſa eſt hæc Ieſuitarum poſitio, & ad Stoicorum κατορθώματα pertinens Cur enim ad Cain & munera illius non reſpexit Deus, niſi quia perſona per fidem non placente, opera nequaquã Deo

Hebr. 11. Rom. 14. Geneſ. 4.

Deo placent? Nam ad opus verè non tantùm coram Mundo, ſed coram Deo bonum, requiritur, non tantùm vt à Deo bono mandatum ſit: verùm etiam vt ex bono & puro corde, per fidem purificato, proficiſcatur, atque hunc finem propoſitum habeat, vt ſeruiatur Deo. Cùm ergo infidelium opera ab ipſa cordis impuritate, velut à ſua ſcaturigine, corrupta ſint: & ſcopum, quem Dei ſapientia præſcribit, non reſpiciant: tametſi officio bonum videatur, quod agunt, tamen & origine praua & fine peruerſo peccatum eſt. Præterea ſi (quod Ioannes ait) extra filium Dei vita non eſt, certè qui partem in Chriſto non habent, quales quales ſint, quicquid agant vel moliantur, ira Dei manet ſuper illos: ac toto ſuo curſu in exitium pergunt. Poſtremò, ſi mala arbor bonos fructus proferre non poteſt, ſi palmes à vite reſectus forâs eiicitur, exareſcit, & in ignem coniectus ardet: nemo pius Fabricii iuſtitiam & Scipionis continentiam, caſtitati Ioſephi, & integritati Samuelis æquabit. Nam ſi iuſtus etiam in omni bono opere peccat: quia quantum perfectionis deeſt, tãtum peccati adeſt: quomodo Ethnicorum virtutes à peccato excuſari poſſunt, qui cùm iuſti non ſint, iuſtitiam facere nequeunt? Neque de ſpinis vuæ, neque de tribulis ficus colliguntur: inquit agricolæ filius, vitis vera is, ſine quo nihil poſſumus facere.

1. Ioan. 4. Matth. 7. 1. Ioan. 5. Matth. 7. Ioan. 15.

IESVITA.

Hominem ſuo libero arbitrio ad propriam iuſtificationem coram Deo cooperari. Lib. 2. ca. 4. Par. 14.

CHRISTIANVS.

SCilicet quantum mortuus ad reſuſcitationem ſuam cooperari valet, tantum homo ſuis naturalibus viribus ad iuſtificationem ſui, hoc eſt, remiſſionem peccatorum & adoptionem in gratiam cooperatur. Nam vt egregiam noſtram facultatem cooperandi ad iuſtificationem noſtram intelligas, non pigebit me adſcribere locum prolixum quidem, ſed & autoritatis pondere & vtilitatis vbertate præſtantiſſimum. Sic ergò ad

Epheſ. 2. Epheſios ſcribit Paulus: Et vos cùm eſſetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquando ambulaſtis iuxta ſeculum Mundi huius, iuxta Principem, cui poteſtas eſt aëris, & Spiritus nunc agentis in filiis cōtumacibus, inter quos & nos omnes conuerſabamur aliquando, in concupiſcentiis carnis noſtræ, facientes quæ carni ac menti libebant: & eramus naturá filii iræ, quemadmodum & cæteri. Sed Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos, etiam cùm eſſemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vnâ cum Chriſto: per gratiam eſtis ſeruati, ſimúlque cum eo reſuſcitauit, & ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes, in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus eminentem opulentiam gratiæ ſuæ, benignitate erga nos per Chriſtum Ieſum. Gratia enim eſtis ſeruati per fidem, idque non ex vobis: Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Nec multò aliter Ioannis Baptiſtæ Pater Zacharias canit, de ſalute populi Dei, quæ eſt in remiſſione peccatorum eius:

Luc. 1. per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitauit nos oriens ex alto: vt illuceſceret his qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant, ad dirigendos

1. Pet. 2. pedes noſtros in viam pacis. Similiter & Petrus: Vos

Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus qui in lucrum acceſſit, vt virtutes prædicetis illius, qui, è tenebris vos vocauit in admirabilem ſuam lucem: qui quondam eratis non populus Dei: qui quondam non conſecuti miſericordiam, nunc eſtis miſericordiam conſecuti. Audis hîc reſuſcitari mortuos, in gratiam recipi filios iræ, ſeruari perditos, viſitari deſertos, illuminari cæcos, dirigi errantes, in lucem reuocari obtenebratos, adſciſci in peculium alienos, miſericorditer reſpici & recipi miſericordia indignos, ſed tamen indigos. Vbi ergo nunc eſt gloriatio cooperationis noſtræ ad iuſtificationem? Excluſa eſt. Per quam doctrinam? Liberi arbitrii? Non: Sed per doctrinam gratię. Nam ſi per gratiam, non iam ex libero arbitrio: quandoquidem gratia iam non eſt gratia.

Hoſ. 2.

IESVITA.

Sola fide neminem iuſtificari.

Lib. 2. ca. 4. Par. 9.

CHRISTIANVS.

HAnc poſitionem tum credemus eſſe veram, cùm totum Chriſtianiſmum abiurauerimus: ſiquidem de vera in Chriſtum fide ſeu fiducia ſaluifica intelligitur. (Nã ſi Torrẽſis talem fidem intelligit, qualem infrà alicubi fingit, quæ ſine pœnitẽtia etiam in ſceleratis ſit, quæque etiam in Dæmonibus eſt, non habebit contradicentem.) Nos, cùm SOLA fide hominem iuſtificari dicimus, ex ipſiſſima Pauli ſententia loquimur. Nũ enim caput ad Romanos 3. & 4. ad Galatas ſecundum, ad Epheſios ſecundum, ad Titum tertium, è tuo Teſtamento execuiſti Torrenſis, vt non

cerneres id, quod de Æquipollentibus Propoſitionibus vel ipſe Ariſtoteles te docere poterat?
Rom.3. Quid enim aliud eſt: Arbitramur fide iuſtificari
Rom.4. hominem abſque operibus legis. Et denuò: Ei qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua ad iuſtitiam. Et alibi:
Gal.2. Scimus non iuſtificari hominem ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Et rurſus: Gratia eſtis ſeruati per fidem, ídque non ex vobis, Dei do-
Eph.2. num eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Et i-
Tit.3. terum: Non ex operibus, quæ ſunt in iuſtitia, quæ faciebamus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Et mox: Vt iuſtificati illius gratia hæredes efficeremur iuxta ſpem, vitæ æternæ. Quid, inquam, hęc aliud ſibi volunt, quàm SOLA fide hominem iuſtificari? Imò ſi quis rem exactius conſideret, videbit quòd Paulinæ locutiones opera noſtra fortius negent & excludant ex iuſtificatione, quàm noſtra particula SOLA. Hæc enim implicitè (vt in Scholis loquuntur) negat, nos operibus noſtris iuſtificari. Paulus autem explicitè negat, bona noſtra opera quicquam ad iuſtificationem conferre: atque ita negat, vt à gratia excidiſſe affirmet, quicunque per legem iuſtificari velint: & iiſdem Chriſtum ocioſum eſſe factum pronunciet. Quòd ſi, vt paulò antè dicebas, Chriſtiani populi eſt, ſanctorum Patrum autoritatem ſequi, cur obſecro hanc ſententiam damnas, quam veteres plærique omnes ſcriptores amplexi ſunt? Nam ante annos decem, Hermanus Hamelmannus, Marpurgi ædidit librum, in quo ex Patribus quadraginta collegit erudita teſtimonia, quæ oſtendunt præcipuos Eccleſiæ doctores de SOLA fide iuſtificante prorſus idem ſenſiſſe ac docuiſſe, quod nos amplectimur & ſonamus: atque illos propè omnes, particula excluſiua, quæ vobis tam

ægrè

ægrè facit, SOLA, nominatim & expreſſè in hoc negocio Iuſtificationis fidei vſos eſſe. Nō poſſum teneri, quin adſcribam ex Luthero locum quendam plenum fide & Spiritu ſancto, in quo ſingulari cum maieſtate ſuam & totius ſanctæ Eccleſiæ fidem his verbis profitetur. Hæc ſunt igitur eius verba, ex Germanico idiomate conuerſa.

Hunc articulum, Sola fides abſque omnibus operibus iuſtificat coram Deo, inconcuſſum relinquent, nobíſque in æternum non eripient, Imperator Rom. Turcicus, Tartaricus, Perſicus, Papa, Cardinales, Epiſcopi, Sacrificuli, Monachi & Moniales, Principes, Domini, totus denique mundus cum omnibus Diabolis: nec aliam ſibi pro ea re gratiam habeant, quàm gehennæ ignem perpetuum. Hæc mea, Martini Lutheri, eſto ſententia: hoc meum ex Spiritu S. inſpiratum oraculum, hoc verum & ſanctum eſto Euangelion. Stat enim Articulus Symboli, quem pueri etiam recitare ſolent: Credo in Ieſum Chriſtum, crucifixum, mortuum, &c. Heus tu, nemo pro peccatis noſtris mortuus eſt, niſi ſolus Ieſus Chriſtus Dei filius, ſolus inquam Ieſus Dei filius. Iterum repeto: Solus Ieſus Dei filius nos à peccatis redemit. Hoc certiſſimè verum eſt, hoc tota ſacra Scriptura clamat: & licet rumpantur omnes diaboli, ac fractus illabatur orbis, tamen hoc verum manet, æternúmque manebit. Quòd ſi ſolus Ieſus eſt, qui peccata Mundi tollit, nos certè ij non ſumus, qui noſtris operib. ea tollamus. Iā & hoc fieri non poteſt, vt hūc ſolum atque vnicū redēptorem & expiatorē peccatorum, Ieſum Chriſtū, alia quadā ratione, quàm fide, apprehendamus & accipiamus. Operibus enim apprehēdi nequaquā poteſt. Cùm autē fides, priuſquā vlla ſequantur opera, hūc redēptorem apprehēdat, neceſſariò verū eſt, quòd

Ex Tomo 5. Germanico Ihē. fol. 298.

„ ſola fides ante opera & ſine operibus hãc redem-
„ ptionem accipiat : quod nihil aliud eſt , quàm iu-
„ ſtificari. Nam à peccatis redimi & liberari, ſeu ha-
„ bere remiſſionem peccatorũ, nihil aliud eſt, quàm
„ iuſtũ eſſe, ſeu iuſtificari. Porrò poſt hanc fidem &
„ acceptã redem tionem, ſeu remiſſionem peccato-
„ rum, ſeu iuſtitiam, ſequuntur deinceps bona ope-
„ ra, tanquam fructus huius iuſtificantis fidei. Hæc
„ noſtra eſt doctrina. Et ſic docet Spiritus ſanctus,
„ ſic vniuerſa ſancta Eccleſia Catholica. Hanc do-
„ ctrinam vſque ad extremum ſpiritũ retinebimus,
„ in nomine Domini: Amé. Hactenus verba Lutheri.
Quid autem de iuſtificatione fidei ſimplicius, planius, breuius & rotundius dici poteſt, pro ijs qui diſcere cupiunt? Quid verò contra obſtinatos cõtemptores & perſecutores iuſtitię fidei grauius & horribilius pronunciari poteſt? Torrenſem ſi non mouent, inter ἀπηλγηκότας & αὐτοκατακρίτους referatur.

IESVITA.

Lib. 2. ca. 4. Par. 13. *Hominem iuſtitia inhærente, non imputatiua, neque ſola remiſſione peccatorum iuſtificari.*

CHRISTIANVS.

Rom. 4. Gen. 15. QVid autem Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam. Ei verò qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Porrò ei qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua ad iuſtitiam. Audis Moſen apertè dicentem, Abrahamo non inhæſiſſe ſed imputatam eſſe iuſtitiam.

Audis

Audis Paulum generaliter inde concludentem, fidem credenti imputari ad iuſtitiam. Non ſcriptum eſt enim propter illum tantùm, imputatum fuiſſe illi, ſed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri. Sed & Dauid ita explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. En tibi hîc remiſsionem, non inhæſionem: imputationem, non infuſionem. Mirum perfectò eſt, adeò alienum & abominabile Ieſuitis eſſe vocabulum imputatiuæ iuſtitiæ: cùm verbo imputãdi vndecies in hoc 4. cap. ad Rom. vtatur Paulus: ídque non ipſe cõfinxerit, ſed ex Moſe & Dauide hauſerit. Quid autẽ quæſo aliud eſt iuſtitia quæ imputatur, quàm iuſtitia imputata vel imputatiua? Itaque vel à coniugatis argumẽtari prohibebũt Ieſuitæ, vel iuſtitiã imputatiuam concedent. Vbi enim in Scripturis vocabulum inhærentis iuſtitiæ nobis oſtenſuri ſint, equidem ignoro. Itaque poſthac inter χαινοφωνίας, in quibus Torrenſis ſuper cap 6. prioris ad Timotheum, iuſtitiam inputatiuam recenſuit, ſuam inhærentem iuſtitiam numeret. Imputatiua enim ſuam antiquitatem à Paulo, Dauide & Moſe repetit, & per omnes vtriuſque teſtamenti fideles, iuſtos & beatos, continua ſerie deducit. Rom. 4.

IESVITA.

In iuſtificatione prorſus auferri peccata mortalia, nec ita manere, vt qui iuſtificatur, partim iuſtus ſit, partim iniuſtus. Lib. 2 ca. 4. Par. 14.

CHRISTIANVS.

DE non imputatione peccatorum,& imputatione iuſtitiæ hoc veriſſimum eſt. Perfectiſſima enim eſt iuſtitia Chriſti, quæ per fidem homini ita imputatur, vt coram Deo non pro ſemiiuſto, ſed pro perfectè iuſto habeatur, ac ſi omnia mandata Dei perfectè impleſſet, omnéſque numeros iuſtitiæ integerrimè abſoluiſſet. Itaque quaſi nebula deleri omnia noſtra pecca ta, & poſt tergum reiici, & in profundum maris demergi dicuntur: non quòd non ſint amplius, ſed quòd credenti non imputentur. De inhærente autem iuſtitia, de qua modò Torrenſis dixit, falſiſſimum & impiiſſimum eſt, quod in hac Poſitione

Rom. 7. ſtatuitur. Fatetur enim Paulus iam iuſtificatus de ſeipſo, quòd mente quidem ſeruiat Legi Dei, carne verò Legi peccati. Fatetur, perpetuam eſſe in

Gal. 5. iuſtificatis luctā carnis & Spiritus: Caro (inquit) concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem. Hæc autem inter ſe mu-

Apoc. 22. tuò aduerſantur, vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis. Et cur Ioannes iubet, eum qui iuſtus eſt iuſtificari adhuc, & ſanctum ſanctificari adhuc? ſi non, quantum ad inhærentem iuſtitiam operum attinet, partim iuſti, partim iniuſti ſumus. Et ſi in iuſtificatione prorſus auferuntur peccata mortalia (voco autem mortalia, quę ſua natura talia ſunt, non quæ per gratiam Chriſti venialia fiunt) vt ne inſint quidem amplius in homine: cur iuſtificati etiam neceſſe habent quotidie orare: Dimitte nobis debita noſtra? & quotidie profiteri in Symbolo: Credo remiſſionem peccatorum: niſi fortaſſis Ieſuitæ ſomnient tantùm venialium (quæ ſic vulgò vocant) non mortalium peccatorum remiſſionem & orari & credi debere. Quòd ſi ſic inſanierint, catalogum hæreticorum augebunt, & in-

ter Catharos ac Nouatianos medium ſortientur locum. Neſcio autem, quomodo Torrenſis hanc de iuſtificatione decimamquartam Poſitionem cum decimaſexta conciliare velit: qua clarè pronũciat, iuſtificatis plenam & abſolutam non dari iuſtitiã, ſed vetuſtatem Adæ relinqui ad exercitiũ & profectum iuſtitiæ ſuæ: niſi è ſuis caſtris ad Lutheranos profugiens, illam de imputatiua, hanc verò ſextamdecimam de reali ſeu inhærente iuſtitia intelligat.

IESVITA.

Iuſtificationis gratiam non æqualem omnibus, ſed aliis maiorem, aliis minorem dari, iuxta diuerſam horum diſpoſitionem. Lib.2.cap. 4.Par. 15.

CHRISTIANVS.

CVm Chriſtus factus ſit nobis à Deo ſapientia, iuſtitiáque, & ſanctificatio, & redemptio: íſque Chriſtus heri & hodie & in ſecula idem ſit perpetuò: & non alius Petro quàm Paulo, nõ alius Centurioni, alius Regulo, vtriq; in Capernaũ: nõ alius mulieri Cananeæ heroica fide præditæ: alius Patri Dæmoniaci illius apud Marcum pueri, paruulam admodum ſcintillam fidei habenti: conſequitur, eandem & æqualem iuſtificationem omnibus credentibus in Chriſtum contingere. Nam etſi alius alio in fide firmior ſit atque robuſtior: tamen quia Chriſtus fide, ſiue firma, ſiue infirma, modò fide apprehenſus, idem & æqualis eſt omnibus: ac ſi fide apprehenſus noſtra eſt iuſtitia: nemo maiorem & minorem iuſtitiam fidei

1.Cor.1. Hebr 13. Matth.8. Ioan.4. Matth.15. Marc 9.

facere poteſt,niſi Chriſtum maiorem & minorem
faciat:maiorem pro maiori fide, minorem pro minori fide hominis. Quomodo autem illud Pro-
Malac.3. pheticum ſtabit?Ego Deus,& non mutor.Et illud
Pſal.103. Ipſi peribunt,tu autem permanes. Tu idem ipſe
es,& anni tui non deficient? Et quomodo ſempi-
Dan.9. terna erit iuſtitia,ſicut Daniel appellat, ſi pro diuerſa hominum ratione & diſpoſitione(vt Torréſi
loqui placuit)toties mutatur,vt aliis maior, aliis
minor exiſtat? Vnum corpus(inquit Apoſtolus)&
vnus Spiritus,quemadmodum & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtrę.Vnus Dominus,vna fides,
vnum Baptiſma,vnus Deus & Pater omnium, qui
eſt ſuper om̄nia,& per omnia, & in omnibus vobis.Ergo vna etiam iuſtificatio,hoc eſt,vna peccatorum remiſſio,vna à peccatis abſolutio,vna vnius
Chriſti iuſtitiæ imputatio.Et hoc ſibi vult id quod
2.Pet.1. de ἰσοτιμίᾳ fidei Petrus ſcribit: Simon Petrus,ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti: iis qui ἰσότιμον, æquè precioſam nobiſcum ſortiti ſunt fidem per iuſtitiam Dei noſtri & Seruatoris Ieſu Chriſti.Putas
ne aduenas ſparſim incolentes Pontum, Gallatiã,
Cappadociam,Aſiam & Bythiniam,æqualem,hoc
eſt, magnitudine & firmitate parem, vel inter
ſeipſos,vel cum Petro habuiſſe fidem? Nequaquã.
1. Cor.12. Fuerunt enim,ſunt,& erunt ſemper diuiſiones donorum,hoc eſt, non ſolùm variæ formæ & ſpecies
variorum donorum Spiritus ſancti, ſed vnius etiã
ac eiuſdem doni varię proportiones,inęquales inquam,non multitudine tantùm,ſed & magnitudine,quemadmodum & ſtella à ſtella differt in glo-
1 Cor.15. 2. Pet.1. ria ſeu claritate. Cur ergò Petrus illorum omniũ
ac ſuam & cunctorum Chriſtianorum fidem vocat
ἰσότιμον? quia ſcilicet,vt ibidem ait, vna eſt iuſtitia Dei noſtri & Seruatoris Ieſu Chriſti. Et vt
prius

priur dixerat,vna eſt electio & præfinitio Dei Patris,vna ſanctificatio Spiritus,vna obediẽtia fidei, vna aſperſio ſanguinis Ieſu Chriſti,vna regeneratio iuxta copioſam miſericordiam Dei,vna ſpes viua,vna hæreditas immortalis, & incontaminabilis, & immarceſſibilis, conſeruata in cœlis erga eos,qui virtute Dei cuſtodiuntur per fidem ad ſalutem. Valeat ergò Torrenſis, qui ex ἰσοτιμίᾳ credentium & iuſtificatorum nobis talem ἀνισοτιμίαν fabricatur,quæ Chriſtum ipſum inæqualem facit; eiúſque iuſtitiam vnam & ſimpliciſſimam in maiorem & minorem ſecat. Quod num ſit ὀρθοτομεῖν, etiam lippus coquus videat. Sed video rimam,per quam elabi Torrenſis conabitur. Dicet enim,ſe nõ de ipſa iuſtificatione, ſed de iuſtificationis gratia locutum eſſe: hoc eſt, (vt ego ipſe aduerſarij verba obſcuriora clarius explicem) de donis per gratiam: diſtinguit enim Paulus inter gratiam & donum per gratiam. Gratiam ergo ipſam forſitan dicet eſſe æqualem: ſed dona Spiritus ſancti inæqualia. Linguam igitur corrigat, ſententiã teneat. Sed huic correctioni obſtabit Poſitio,quæ iam ſtatim ſequitur, in qua iuſtificationis gratiam apertè pro remiſſione peccatorum accipit, & illam per hanc quaſi per epexegeſin interpretatur. Sic enim ait. 1.Pet.1.

IESVITA.

Iuſtificationis gratiam occultam eſſe, nec quenquam certò ſcire ac ſtatuere debere, remiſſa ſibi eſſe peccata, niſi Deo id reuelante. Lib.2.ca.4.Para.18.

CHRISTIANVS.

AGnoſcis Lector obedientem filium Romanæ Eccleſiæ, & diligentem obſeruatorem Canonum Concilii Tridentini. Hæc enim Propoſitio ex ipſis medullis duodecimi, & decimi tertii Canonis, Seſſionis ſextæ, expreſſa & diſtillata eſt. Quorum verba hæc ſunt: Si quis dixerit, fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua iuſtificamur, Anathema ſit. Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, vt credat certò & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, Anathema ſit. Nonne vt Hannæ & Caiaphæ Concilium perſonam Chriſti, ſic Tridentinum fidem Chriſti, ac proinde totã Chriſtianam Eccleſiam damnauit? Nam ideo in Symbolo Apoſtolico remiſſionem peccatorum credere nos profitemur, ne hæſitemus: ideo in oratione Dominica precamur remitti nobis debita noſtra, ne hæſitemus: ideo per Sacramenta Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ confirmatur & obſignatur fides noſtra, ne hæſitemus: ideo Euangelium prædicari audimus: ideo publicam & priuatam Abſolutionem accipimus, ne hæſitemus: ideo exemplum Abrahæ nequaquam hæſitãtis ad promiſſioné DEI, ſed robuſti facti fide, tribuentis gloriam DEO, & certam perſuaſionem cùm de miſericordia tũ de potentia DEI concipientis, tantoporè commendatur, nobíſque toties inculcatur, ne hæſitemus. Ergo Tridentino iſto anathemate, tota fides Chriſtiana, Oratio Chriſtiana, Sacramenta Chriſtiana, prædicatio Chriſtiana, Abſolutio Chriſtiana, omnia exempla Chriſtiana ſemel & ſimul anathema-

themate feriuntur:& cõtrà in Chriſtianarum virtutum choro ponũtur illa Ethnica, & quæ à Chriſtianis alieniſſima eſſe debẽt,vitia,quę in DEVM ipſum & omnes eius promiſſiones ac ordinationes cõtumelioſa ſunt:Dubitatio ſeu hæſitatio,diffidentia,murmur,fremitus,incredulitas, deſperatio:denique damnato Chriſtianiſmo,ſaluatur Ethnicismus,Thalmudiſmus & Mahumetiſmus. Hæc κειμήλια dũ Torrenſis repetit & exornat,nõne perturbatas ſenſu peccatorum conſcientias & terret & torret? Veruntamen modeſtior videtur Torrẽſis,dum correctionẽ adiicit: Niſi Deo id reuelãte. Vbi ſi peculiares cœleſtes reuelationes,extra Verbum Dei in Scripturis reuelatũ,neſcio vnde prolatas , intelligit , ad Enthuſiaſtas Monetarienſes & Monaſterienſes reijciatur : niſi inter fanaticos Schuuenckfeldianos hærere malit. Sin per reuelationẽ Dei,ſacrã Scripturã intelligit,per quã tãquã per Epiſtolam ad genus humanum miſſam,ſuã nobis abundè voluntatem patefecit Deus : rectè id quidem,& cum noſtra doctrina conſentaneè.Sed cur non diſertius loquitur?Nã & nos abſque Scripturarum patefactione fatemur neminem de ſuorum peccatorũ remiſſione certum eſſe poſſe.Quis .n.mẽtem Domini cognoſceret, niſi eam ipſe nobis in Scripturis aperiret?Quis hanc eſſe voluntatem Dei ſciret,vt omnis qui credit in filiũ,habeat vitam æternam , niſi ipſe filius , qui eſt in ſinu Patris,nobis enarraſſet?Itaque omnes de Deo cogitationes,ſpeculationes,imaginationes,abſque verbo ſuſceptas , tam abeſt vt foueamus & hominibus commendemus,vt eas partim tanquam vanos & fruſtraneos διαλογισμὺς(vt Roman.1.cap.vocantur)partim tanquam Satanæ phantaſmata & ludibria deteſtemur,omnẽſque contra illos Enthuſiaſmos & præſtigias diligẽter præmoneamus. Fidu-

Ioan.6.
Ioan.1.

ciā igitur miſericordiæ Dei,peccata propter Chriſtum remittentis,nō ex ſpeciali quadā & extraordinaria reuelatione Dei,ſed ex illa generali reuelatione Scripturarum, ſeu doctrina Euangelii obſignata Sacramentis,concipiendam eſſe docemus: & pro ſe ſingulos credere ac certò ſtatuere iubemus,abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi propter Chriſtum condonari, ſéque in gratiam Dei & ius adoptionis ac cœleſtis hæreditatis recipi. Hāc enim fiduciam Chriſtus ipſe nos docet:Confide, inquiens,
Matt 9. fili,remittuntur tibi peccata tua. Hanc Paulus in
Rom.4. Abrahamo commendat. Hanc ſcientiam non occultam ſed manifeſtam eſſe vult Corinthiis: Hæc
1.Cor.6. (inquit)eratis quidem,ſcilicet,flagitioſi & ſcelerati pecatores:ſed abluti eſtis,ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, per nomen Domini Ieſu, & ſpiritum Dei noſtri. Hac ipſemet πληρoφoρη-
Gal 2. θεὶς gloriatur: Vitam quam nunc viuo in carne, per fidem viuo filii Dei, qui dilexit me, &
Rom.8. tradidit ſemetipſum pro me. Et alibi non impia ſecuritate,ſed piiſſima fiducia, omnibus hoſtibus medium digitum oſtendens: Quis intentabit(inquit)crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat:Quis ille qui condemnet? Et cætera quæ ſequuntur.Eandem fiduciam Epiſtola ad Hebræos toties à nobis exigit: Accedamus cum fiducia ad
Heb.4. thronum gratiæ:Et iterum:Accedamus cum vero
Heb.10. corde in certitudine fidei. Eandem Iacobus præcipit:Poſtulet cum fiducia,nihil hæſitans.Eandem
Iac 1. Petrus imperat: Perfectè ſperate in eam quæ ad
1.Pet.1. vos defertur gratiam. Damnare igitur hanc fiduciam certiſſimæ remiſſionis pecatorum propter Chriſtum nemo poteſt,quin ſimul totum Apoſtolorum chorum condemnet.

I E-

IESVITA.

Neminem de ſua perſeuerantia, ſine reuelatione diuina, certi aliquid ſibi polliceri debere. Lib.8.cap. 4. Para.19.

CHRISTIANVS.

VT in præcedenti poſitione Torrenſis damnauit articulum fidei: Credo remiſſionem peccatorum: ſic nunc alterum articulum damnat: Credo vitam æternam. Nam ſi is tantùm, qui vſque ad finẽ perſeuerauerit, ſaluus erit: certè nemo ſalutem ęternam credere poteſt, niſi finalem etiam perſeuerantiam credat: ac contrà, nemo fidem de perſeuerantia damnare poteſt, niſi etiam fidem de vita æterna damnet. Bis iam ergo factus eſt ἄθεος Torrenſis & ἄπιστος. Sed quid faciat miſer? quid credat? cum Synodus Tridentina hoc tantùm iubeat eum credere, nihil eſſe credendum. Et certè ſi patuiſſent corda omnium Patrum Tridentinorum, quantum fidei putas in plæriſque inuentum fuiſſet de reſurrectione mortuorũ & vita æterna? in Italis præſertim Epiſcopis, quibus Epicuræiſmus meliorem vultum facit, quàm Chriſtianiſmus. Sextæ Seſſionis duo Canones, decimus quintus & decimus ſextus, idem ſtatuunt, quod hæc torrida & horrida Torrenſis poſitio. Sic enim ſonant: Si quis dixerit, hominem renatum & juſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe ex numero prædeſtinatorum, Anathema ſit. Si quis magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali reuelatione didicerit, Anathema ſit. Sed quid ad hæc Pſaltes? Bonitas (inquit) & miſericordia tua ſubſequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & Pſalm.22.

Matth.10. & 24.

inhabitabo in domo Domini perpetuò. Quid Paulus? Perſuaſum mihi habeo, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque vlla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Et alibi. Noui ſecundum expectationem & ſpem meam, quòd nulla in re pudefiam. Itaque tam certos vult eſſe Chriſtianos de ſalute ſua, vt non ſaluos fututos, ſed ſaluos factos eſſe dicere audeat. Spe inquit, ſaluati ſumus. Et hanc ſpem aſſeuerat non pudefacere. Et ex Eſaia non vno loco repetitur: Credentem in Chriſto nō pudefieri. Ergò & fides & ſpes de perſeuerantia in gratia Dei vel de perpetuitate dilectionis Dei erga nos in Chriſto, neminem pudefacient. Atque hanc ipſam propoſitionem Paulus in ſecunda parte Epiſtolæ ad Rom. à cap. 5. vſque ad cap. 12. multis firmiſsimis rationibus probat. 1. quia Deus nos propter Chriſtum dilexerit, quum adhuc impii & inimici eſſemus: quātò magis iam conuerſos ad Chriſtum & amicos factos diliget & ſeruabit? 2. quia gratia Dei per Chriſtum parta maior ſit, quàm peccatū Adæ. 3. quia non amplius ſimus ſub Lege, ſed ſub gratia. 4. quia nulla ſit condemnatio his qui inſiti ſunt Chriſto. 5. quia accepimus Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater, tanquam filij & hæredes Dei. 6. quia Deus vnà cū filio pro nobis tradito & donato, omnia nobis donauerit. 7. quia in Chriſto ſimus electi, priuſquā iacerentur fundamēta Mundi. Quas omnes rationes ita firmat ac munit, vt credentibus in Chriſtum nihil ſit certius ſperata propter Chriſtum ſalute: quia hîc nihil nobis tribuitur, ſed Deo omnia: nihil humanis viribus, operibus, meritis, voluntati, curſui, conſiliis, ſed omnia diuinæ miſericordiæ, veritati, conſtantiæ, ſapiētiæ, potentiæ. Quemadmodum Paulus illum totum locum

Rom. 8.
Philip. 1.
Eſai. 28.
Rom. 9.
1. Pet. 2.

cum

cum piiſſima ratione concludit: Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia. Ipſi gloria in ſecucula, Amen. Rom. 11.

IESVITA.

Non ſolam infidelitatem eſſe peccatum damnabile. Lib. 2. ca. 5. Parag. 4.

CHRISTIANVS.

QVia per fidē omnia peccata propter Chriſtum remittuntur, non impiè vſurpata à quibuſdam Theologis eſt hæc ſententia, ſolam incredulitatem damnare. Nam hæc ſi abſit, adſit autem vera in Chriſtum fides, iuſtificatur etiam Latro in cruce: contrà ſi abſit fides, adſit autem incredulitas, tùm non tantùm omnia ſcelera, ſed etiam omnes humanæ iuſtitiæ damnantur. Itaque Chriſtus cùm Spiritum ſanctum affirmat arguiturum eſſe Mundum de peccato, hoc ſolùm adfert: Quia non credunt in me. Et alibi: Qui credit in eum, non condemnatur: qui autem non credit, iam condemnatus eſt: quia non credidit in nomen vnigeniti filii Dei. Et iterum: Qui credit filio, habet vitam æternam. Qui verò non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Et rurſus ſummam totius doctrinæ Apoſtolicæ complectens: Prædicate, inquit, Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Aut igitur Torrenſis officium Spiritus S. mundum arguentis arguat: & eius linguam, qui homini os & linguam dedit, corrigat: aut propter ſolam incredulitatem homines damnari conce- Ioan. 16. Ioan. 3. Marc. 16.

dat: quia repudiato per incredulitatem filio, ſimul etiam omnis iuſtitia, vita & ſalus reſpuitur: nec alia ad ſalutem via, niſi per ſolam in Chriſtum fidem, patet.

IESVITA.

Ibidem. *Fidē in hominibus ſceleratis manere poſſe.*

CHRISTIANVS.

SI de fide nudè hiſtorica loquitur Torrenſis, age credat cum ſceleratis, & contremiſcat cum Diabolis. Nobis enim cum dæmonũ fide & horrore nihil eſt negocii. Sin eam fidem intelligit, qua iuſtificati pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: nihil in fidem Chriſtianam dici poteſt contumelioſius. Cùm enim is qui peccatũ committit, ex Diabolo ſit: & omnis qui non facit iuſtitiam, non ſit ex Deo: quomodo ſemen Dei in illo manebit, qui ſe Diabolo proſtituit? quomodo in conſcelerata & & turpificata ſcelerum labe conſcientia, & perturbato exturbatóque Spiritu ſancto, & amiſſa Dei gratia, fides ſedem habebit, quam Diabolus occupauit? Itáne mirificus conciliator es Torrenſis, vt fidem cum impietate, hoc eſt, lucem cum tenebris, iuſtitiam cum iniuſtitia, fidelem cum infideli, Chriſtum cum Belial, templum Dei cum cloaca Diaboli, in communionem, conſortium & concordiam redigas? Paulus certè, ſi quis ſuis, & maximè domeſticis, non prouideat, eum fidem abnegaſſe, & eſſe infideli deteriorem, grauiter pronunciat. Et quoſdam, dum pecuniam auarè appetunt, aberraſſe à fide, & ſeipſos doloribus multis implicuiſſe conqueritur. At verò Torrenſis ita

Margin notes: Rom. 5. — 1. Ioan. 3. — 2 Cor. 6. — 1. Tim. 5. — 1. Tim. 6.

eſt

eſt cùm auaris,tùm ἀςόργοις ac ſceleratis omnibus propitius,vt eos non à fide aberrare , fidem abnegare,& infidelibus deteriores fieri,ſed fidem retinere,& bellè Chriſtianos eſſe dicat. Nam in quo fides Chriſtiana manet, hunc etiam Chriſtianum manere neceſſe eſt. Vſque adeò Ieſuitæ Chriſtianis infenſi ſunt, vt non modò nomen , ſed fidem quoque Chriſtianorum ſceleratiſſimis hominibus tribuant: nec ſibi ipſis conſcelerati ſatis eſſe videantur,niſi aliorum etiã ſceleratorũ patrocinium ſuſcipiant. Atque hîc iudicet pius lector:Vtri ſcelera foueant:Proteſtantes ne,qui per hæc fidem amitti & Spiritũ ſanctum excuti dicũt:an verò Põtificii,qui fidẽ cum ſceleratis ita copulãt, quaſi ab ijs nunquã poſſit recedere.Quoties ergò calũniam nobis ſtruent aduerſarii,quòd cũ ꝑ ſola fide iuſtificari homines docemus, feneſtram ad nequitiam aperiamus improbis,toties hæc contra ipſos teſtimonium dicet Poſitio,& audaciſſimæ ſcelerum licentiæ autores,doctores,patronos eſſe Põtificios, clamabit:qui fidem in ſceleratis permanẽtem,hoc eſt,ſceleratam fidem, per ſummam nequitiam & impietatem fabricantur. Quod certiſſimo argumento eſt,iſtos homines,quid ſit fides , nunquam cognouiſſe:qui tamen Doctores & defenſores fidei Catholicæ & haberi & dici cupiunt.

IESVITA.

Euangelium eſſe Legem nouam. Lib. 2 ca. 6. Par. 3.

Præcepta Decalogi & morum ad nouum quoque Teſtamentum pertinere. Parag. 4.

Chriſtum etiam legis latorem eſſe. Parag. 5.

CHRISTIANVS.

NIſi Legis vocabulo, Hebræorum more, pro doctrina vtatur Torrenſis: & Legislatoris, pro explicatore genuinæ ſententiæ Legis, quam interdum Chriſtus, quaſi alieno fungens officio, à corruptelis Phariſæorum aſſerit. Niſi ergò ſic diſtinguat Torrenſis, nondum Legis & Euangelii, Moſis & Chriſti, Literæ & Spiritus diſcri-
Ioan.1. men nouit. Diſcat igitur prius cum Catechumenis: Legem per Moſen datam eſſe, gratiam & veritatem per Chriſtum exortam eſſe: ac ſermonem
1. Tim.2. certum eſſe, dignúmque quem modis omnibus amplectamur, quòd Chriſtus Ieſus venit in mundum, non vt Leges ferret, ſed vt peccatores ſaluos
Ioan.8. faceret: Ego enim (inquit ipſe Chriſtus) non iudi-
Matth.11. co quenquam. Et alibi: Iugum meum ſuaue eſt, &
Eſai.61. onus meum leue. Et qui profitetur, ſe ad Euangelizandum pauperibus eſſe miſſum, idem Apoſto-
Eſai.40. los ſuos iubet facere: Conſolamini, ait, conſolamini populum meũ. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eã, quoniam completa eſt militia eius, (ſic enim legendum pro malitia) dimiſſa eſt iniquitas eius: Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Hoc enim eſt, quod
2. Cor.3. Paulus ait: Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non Literæ, ſed Spiritus. Litera enim oc-
2. Cor.5. cidit, Spiritus autem viuificat. Et iterum: Dedit nobis miniſterium reconciliationis: & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, tanquam Deo vos obſecrante per nos, rogamus pro Chriſto, reconciliemini Deo: eum enim qui non nouit peccapeccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei per illum.

IESVI-

IESVITA.

Fidem ſine bonis operibus homini ad ſalutem eſſe ſatis, Eunomianorum & Aëtianorum errorem fuiſſe damnatum. Lib. 2.ca. 7.Par.3.

CHRISTIANVS.

SI extra diſputationẽ, vbi accuratè limanda eſt veritas, hominibus ſecuris audacem & temerariam quandam confidentiam ſine omni pœnitentia ſibi pro fide confingentibus, iſta Propoſitio opponeretur, tolerari forſan poſſet à pio doctore, & feruido exhortatore, cuius alioquin ſpectata eſſet ſynceritas. Nunc cùm à Ieſuita contra Chriſtianos in negotio Iuſtificationis, ad obſcurandam Dei gratiam, ad extenuãdum Chriſti meritum, labefactandam fidem contritorum cordium, eſurientium & ſitientium iuſtitiam vſurpetur, tolerari nequaquam poteſt. Nec terrent nos per calumniam nobis imputatæ hęreſes neſcio quorum hominum. Nam ſi Eunomiani & Aëtiani ſunt, qui fide abſque bonis operibus hominem iuſtificari aſſerunt: certè Torrenſi etiam Eunomianus & Aetianus fuit Paulus, λογιζόμενος & firmiter concludens, hominem iuſtificari, atque etiam Rom.3. (ſicut paulò pòſt loquitur) beatificari fide, abſque Rom.4. operibus legis. Aut igitur opera legis negabit Torrenſis eſſe bona opera: aut concedet, fidem ſolam abſque bonis operibus ad iuſtificationem & beatificationem hominis ſufficere. Nam qui opera Legis à iuſtificatione excludit, omnia bona opera, quorum regula & norma eſt lex Dei, excludit. Non quòd fides vnquam ſola ſit ſine bonis operibus: ſed quòd ſola Chriſtum (qui factus eſt 1.Cor.1. nobis à Deo iuſtitia) apprehendat: atque ſic ſola

abſque vllo operum præcedentium, comitãtium, vllo ſubſequentium reſpectu iuſtificet ac ſaluet. Quemadmodum è Pontificiis quidam magni nominis Epiſcopus, commodius, quàm Ieſuitæ, dixit: Fidẽ fœtã bonis operibus iuſtificare ante partum.

Roffenſis contra Lutherũ.

IESVITA.

Lib. 2. cap. 7. Parag. 4.

Fide per charitatem operante, ſiue formata, vt vocant, nos filios eſſe Dei.

CHRISTIANVS.

QVid iuuat, quæſo, reuocare rancidam iſtam diſtinctiunculam formatæ & informis fidei, dudum exploſam, ad quam omnes ſani homines nauſeant? Scimus fidem per charitatẽ operari: ſed informari per eam is dicat, qui cauſam per effectum informari dicat. Non enim fidei forma charitas eſt, ſed cùm formoſus ille præ filiis hominum, Chriſtus, apprehenſus, eſt, ſatis formata & formoſa eſt fides propter Chriſtum: quæ fides poſtea etiam charitatem format, & omnia opera inde manantia ſatis formoſa ac Deo grata facit, vt pote iam non ſeruorũ ſed filiorum opera, qui propter Chriſtum facti ſunt filij DEI. Filii enim Dei ſumus, non operando per charitatem, ſed naſcendo per fidem: Qui non ex ſanguinibus, (inquit) neque ex voluntate carnis, neque ex volũtate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Non opera filios faciunt, ſed filii opera efficiũt: vt nec arborem fructus, ſed fructum arbor. Et Paulus ad Galatas fidẽ per charitatem operari, non charitatem per fidem operari dicit. Ac longè aliud eſt, fidem operari per charitatem, quàm fidem iuſtificare per charitatem: non enim operantes iuſtificãtur, ſed iuſtificati operantur.

Ioan. 1.

Gal. 5.

tur. Itaque tãquam à ſigno & effectu verã ac viuã fidem Paulus deſcribit: ac non quomodo iuſti fiamus, ſed quomodo iuſti facti agamus & operemur, eo in loco oſtendit: vt nos per fidem iam antè iuſtificatos eſſe, pòſt ex operibus tanquam ex fructibus eluceſcat. Fides enim non ficta, non imaginaria, non diabolica, ſed vera, viua & diuina, poſtquam homo per eam iuſtificatus eſt propter Chriſtum, iam non ſtertit ocioſa, ſed eſt per charitatem operoſa.

IESVITA.

Etſi nemo ſit in hac vita ſine peccato, non tamen idcirco iuſtos in omni opere peccare. Lib. 2 cap. 7. Parag. 5.

CHRISTIANVS.

SI omne imperfectum, eo ipſo quo imperfectum eſt, malum eſt, certè bona opera, quia nunquam perfectè bona ſunt, ſemper aliquid peccati admixtum habebũt: & hoc ipſo peccat iuſtus, quia non tantùm facit, quãtum debebat. Pronunciat ergo Eccleſiaſtes: Non eſt homo iuſtus Eccleſ. 7.
in terra, qui faciat bonum: & non peccet. Et Eſaias vniuerſas iuſtitias noſtras (iuſtitias, inquam, non Eſa. 64.
iniuſtitias) cum panno menſtruatæ comparat. Et Paulus: Reperio igitur per legem volenti mihi fa- Rom. 7.
facere BONVM, quòd mihi MALVM adiũctum ſit. Nam lex membrorum repugnans legi mentis, & rebellio carnis aduerſus ſpiritum, omnia bona opera coinquinant, vt etiam ſancti neceſſe habeant orare: Dimitte nobis debita noſtra. Et: Non intres in iudicium cum SERVO TVO, Pſal. 143.

quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

IESVITA.

Lib.3.ca. 1. Para.5. *Apud hæreticos vel ſchiſmaticos Sacramenta eſſe, non tamen ſanctificare.*

CHRISTIANVS.

Parag.2. HAnc Poſitioné aliæ Poſitiones ipſius Torrenſis ſubuertunt: dicit enim, Sacramenta nouæ legis habere vim ad gratiam con-
Parag.3. Parag.6. ferendam: & habere eam ex ſanguine Chriſti. Fatetur etiam, Sacramenta per malos miniſtros non inquinari. Cur ergo non ſanctificabunt Sacraméta ab hęreticis & ſchiſmaticis adminiſtrata? ſi modò quæ in illis ſubſtantialia ſunt, ritè iuxta inſtitutionem Chriſti ſeruentur, & ab accipiente legitimè ſumantur. Nunquid enim hæreſis vel ſchiſma
Rom.3. fidem Dei faciet irritam? quam ne ipſa quidem hominum incredulitas irritā poteſt facere? Quòd ſi hæreticorum Sacramenta non ſanctificarent, rectè ſenſiſſet Cyprianus cũ ſuis aſſeclis, qui ab hæreticis baptizatos rebaptizari volebant. Quis enim impediret eum, qui nondum eſſet ſanctificatus, adhuc ſanctificari? & lauari ſordidum, & mũdari immundum? Cum autem baptizati ab hæreticis in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti iu-
1.Cor.6. Epheſ.5. dicarentur à vera Eccleſia per illum Baptiſmum ſanctificati, abluti & mundati eſſe, damnatus fuit error Rebaptizantium. Vbi damnata ſimul eſt iſta Donatiſtica & Anabaptiſtica Torrenſis Poſitio.

IESVITA.

Sacramenta ſigno crucis perfici. Lib 3 ca. 1. Para.8.

Aquam Baptiſmi ſigno crucis conſecrari ſolitam. Lib 3 ca. 2 Para 12.

Baptizatos viſibili vnguento ſeu chriſmate inungi. Parag.14.

Exorciſmum & exufflationem baptizandis ex conſenſu Eccleſiæ & Apoſtolica traditione adhiberi. Parag. 13.

CHRISTIANVS.

VT pios noſtros maiores, qui citra ſuperſtitionem, alicuius pædagogiæ gratia, illas ceremonias in Baptiſato vſurparunt, nequaquam damnauerim: ſic qui opinionem neceſſitatis affingunt, quaſi ſine his Sacramenta eſſent imperfecta (vt Torrenſis facit, qui Sacramenta ſigno crucis perfici affirmat,) neutiquam in Eccleſia audiendi ſunt. Sic enim illis intonat Apoſtolus: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis Col.2. huius Mundi, quid adhuc tanquam viuẽtes Mundo his decretis tenemini? Et notiſſima eſt regula: Fruſtrà coli Deum doctrinis ac præceptis hominum. Et illud: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facias Domino, nec addas quicquam nec minuas. Matth.15. Deut. 12. Itaque quæ iam dudum apud nos cum honore ſepulta ſunt, ſepulta per nos maneant, neque exſopitis cineribus eruantur.

IESVITA.

Lib.3.ca. 2. Para 9. *Baptiſmum Ioannis à Baptiſmo Chriſti eſſe diuerſum.*

CHRISTIANVS.

Matth.3. Ioan.1. CVm Ioannes dicit, ſe quidem aqua baptizare: venturum autem Chriſtum, qui baptizaturus ſit Spiritu ſancto & igni, non Baptiſmum à Baptiſmo diſtinguit, ſed perſonam ſuam cum Chriſti perſona confert: ſe miniſtrum eſſe, illum Dominum & datorem Spiritus ſancti: & hanc virtutem viſibili miraculo declaraturum, quo die Spiritum S. Apoſtolis ſub linguis igneis miſſurus ſit. Sic & Apoſtoli & qui hodie baptizant, ſunt miniſtri: Chriſtus autor interioris gratiæ. Non autem diuerſum Baptiſmum Ioannis & Chriſti faciunt diuerſæ manus, quibus adminiſtratur: ſed eundem eſſe eadem doctrina oſtendit. In vnam enim doctrinam Ioannes & Apoſtoli conſenſerunt. Vtrique in pœnitentiam, vtrique in remiſſionem peccatorum, vtrique in nomen Chriſti, à quo pœnitentia & remiſſio peccatorum eſſet, baptizârunt. Ioannes dixit, Agnum eſſe Dei tollentem peccata Mundi. Quibus verbis eum hoſtiam fecit Patri acceptam, propitiatorem, Seruatorem. Quid ad hanc confeſſionem adiicere vlterius potuerunt Apoſtoli? Itaque Scripturis potius, quàm veterum quorundam argutiis credemus. Si quis autem omninò diuerſam rationem Ioânnici & Apoſtolici Baptiſmi è Dei Verbo quærat, non aliam differentiam inueniet, quàm quòd Ioannes baptizabat in eum, qui venturus erat: Apoſtoli in eum, qui iam ſe exhibuerat.

Luc.4. Act.2. Ioan.1.

IESVITA.

Confirmationem
Ordinem
Pœnitentiam
Matrimonium
Extremam vn-ctionem } *eſſe Sacramentum.*

Lib.3. cap. 3.Paragr.1. cap.7.Paragr.1. cap.8.Paragr.4. cap.9.Paragr.4. cap.10.Paragr.1.

CHRISTIANVS.

SI horum quinque pſeudoſacramentorum inſtitutionem ex Euangelio Chriſti, ſi mandatum ea vſurpandi, ſi promiſſionem remiſſionis peccatorum ipſis affixam, ſi elementum diuiuitus ad hæc deſtinatum, ſigillatim commemorabit Torrenſis: perſuadebit nobis id, quod multis nudis Poſitionibus nondum perſuaſit: vt ea credamus propriè dici & verè eſſe Sacramenta. De Baptiſmo & Cœna Dominica, quin propriè & verè Sacramenta ſint, nunquam eſt à nobis dubitatum: Quia à Chriſto ipſo inſtituta certum verbum mandati & promiſſionis, certa item elementa deſignata habent: vt fides de promiſſa remiſſione peccatorum & vita æterna in nobis excitetur, conſeruetur, confirmetur & augeatur. Cætera quinque falſò nominata Sacramenta ſuis authoribus, quos fortaſſe ne ipſi quidem Ieſuitæ nominare poterunt, relinquimus.

IESVITA.

Lib. 3 cap. 4. Para. 4. *In Euchariſtia ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem non remanere.*

CHRISTIANVS.

1. Cor. 11. CVr igitur Paulus etiam poſt ἐυλογίαν panē & poculum nominat? Quotieſcunque, inquit, comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis. Et mox: Quiſquis ederit panem hunc aut biberit de poculo Domini indignè. Et iterum: Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Præterea, qua
1. Cor 10. ratione Paulus colliget, nos omnes panem vnum ac corpus vnū eſſe, qui de pane vno ſimul participamus, ſi ſpectrū panis dūtaxat, ac non potius na-
Act. 2. turalis veritas manet? Et cur recitat Lucas cōmunicaſſe fideles in fractione panis, ſi qui frangi poſſet panis, nō adfuit? Deniq; quomodo Euchariſtia manebit Sacramentum, ſi terrenum elementum euanuit? cùm ad ſubſtantiam Sacramenti elementum neceſſariò requiratur.

IESVITA.

Lib. 3. cap. 4, Parag. 7. *Sumptam eſſe à quibuſdam Euchariſtiam ſub altera tātùm ſpecie, Auguſtini tempore, ex eius verbis poſſe colligi.*

CHRISTIANVS.

EGo verò ex tuis verbis certius colligere poſſum, Torrenſis, te non eſſe bonum virum, ſed impudentem calumniatorem, qui mille

mille apertiſſimis teſtimoniis Auguſtini,quibꝰ v-
triuſque ſpeciei vſus aſſeritur,duos tantùm , eóſ-
que obſcuros locos opponis : in quorum altero
Auguſtinus tantùm panis mentionem facit : vini
expreſſè non meminit:in altero corporis meminit
ſanguinis non item. Tu ne hinc alterius tantùm
ſpeciei vſum euinces calumniator? quaſi qui panẽ
& corpus nominat, ſtatim vinum & ſanguinem
excludat,ac non potius includat : cùm in talibus
locutionibus pueri etiam Synecdochen facilè a-
gnoſcant.Sed bene habet. Tua ipſius conſcientia
te redarguens, hanc tibi vocem expreſſit. Sed ſint "
hæc(inquis)tanquam probabilia. Nos verò Tor- "
renſis,non probabilia,ſed probata,certa , firma,&
omnibus demonſtrationibus ſolidiora volumus,
vbi de articulo religionis agitur. Addis poſteà:Dũ "
modò conſtet,ſumptionem ſub vtraque ſpecie nõ "
eſſe Chriſtianis omnibus Auguſtini ſententia prę- "
ceptam.Sed quid reſpondebis præſtigiator,ad hũc "
vnicum locum, qui eſt in ſermone ad Neophytos:
Hoc accipite in pane,quod pependit in cruce: &
hoc accipite in calice,quod effuſum eſt de Chriſti
latere?Certè ex Donati rudimentis diſcere potui-
ſti,hæc imperandi modo dicta, hoc eſt , præcepta
eſſe.Sed quia ſuprà præfatus ſum,me Auguſtinum
per Auguſtinum confutare nolle,ſed ſolis ſcriptu-
rarum autoritatibus cum Torrenſi pugnare vel-
le:en tibi præceptũ Chriſti:Bibite ex hoc omnes.
En tibi diſcipulorumobedientiam:Et biberunt ex Mar.14.
eo omnes.Quæ dum ſibi obſtare nõ vult perfidum
illud & ληστρικὸν Concilium, quò minus altera ſpe-
cie Laicos defraudet , rectius Obſtantienſe quàm
Conſtantienſe dicitur : quod & Torrenſe poſſes
dicere,quia Ioannem Huſſum & Hieronymũ Pra-
genſem torruit.His armis pugnârũt ποτηριοκλέπται,
quibus & tu,opinor,pugnare malles, quàm ſacra-

rum literarum teſtimoniis. Nam faces, ignes, flammæ, celeriter ora eorum obſtruunt, qui veſtra ſacrilegia, ex Dei verbo, vobis tam importunè inclamant.

IESVITA.

Lib.3.cap. 5.Par.1. *Errare negantes viſibile ſacrificium Deo offerendum eſſe.*

CHRISTIANVS.

POſteaquã vmbris Teſtamenti veteris corpus ipſum, quod Chriſti eſt, ſucceſſit, omniáque Leuitica ſacrificia vno Chriſti ſacrificio ſemel in cruce peracto conſummata abrogatáque ſunt: deinceps Chriſtiani ſpiritualia tantùm ſacrificia Deo offerre iubentur. Obſecro (inquit Paulus) vos fratres, per miſerationes Dei, vt præbeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, acceptam Deo, rationalem cultum veſtrum. Et autor Epiſtolæ ad Hebræos; Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Sed omnium clariſſimè Petrus: Ipſi quoque veluti viui lapides ædificemini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum ad offerendas SPIRITVALES hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Si ſpirituales, ergo non viſibiles. Nam quæ videntur, temporaria ſunt: at quæ non videntur, æterna.

Rom.12 · Heb.13. · 1.Pet.2. · 2.Cor.4.

IESVITA.

Lib.3.cap. 3.Parag.2. *Sanctam Euchariſtiam non ſolum confici & diſtribui, ſed etiam in veteri Eccleſia offerri ſolitam eſſe.*

Sanctam

Sanctam Euchariſtiam, Auguſtini ſenten-tia, oblationem, ſacrificium, victimam atque hoſtiam eſſe. Parag. 3.

CHRISTIANVS.

VEteres ſcriptores in negocio Euchariſtiæ verbum offerendi & ſacrificandi ſępè vſurpaſſe, & Euchariſtiam nominaſſe oblationem, ſacrificium, victimam atque hoſtiam, non negamus. Cauſæ autem huius appellationis longè aliæ ſunt, quàm Torrenſis ſomniat. Non enim hoc voluerunt: in Cœna DEO Patri offerri ſeu immolari corpus & ſanguinem Chriſti ad expianda peccata viuorum & mortuorum. Sed quia voce ex veteri Teſtamento petita omnes cultus Noui Teſtamenti vocantur ſacrificia, integram actionem & celebrationem Cœnæ Dominicæ, quæ inter illos cultus non poſtremum locum obtinet, hac appellatione (quam Malachias etiam prædicationi Euãgelij tribuit) inſignire voluerunt: vt præſtantiam huius cultus, noto apud Iudæos & Gentes vocabulo commendarent. Deinde ideo etiam appellârunt ſacrificium: quia Cœna Dominica eſt Sacramentum & commemoratio vnici ſacrificij Chriſti ſemel in cruce peracti: Solent autem Sacramenta (ipſo Auguſtino teſte) propter ſimilitudinem, quã cum rebus, quarum Sacramenta ſunt, habent, ipſarum rerum nomina accipere. Tertiò: quia cum celebratione Cœnæ Dominicæ piæ preces fidelium coniunguntur, quæ in ſacris literis nomine ſacrificij dignantur. Quartò: quia in Cœna gratiæ aguntur Deo, cùm pro omnibus beneficiis, tum pro illo maximè, quòd filium pro nobis in mortem tradidit. Vnde non incommodè Euchariſtia ſacrificiũ

August. ad Honoratum Epiſtola 120. Item ad Bonifacium. Epiſtola. 23.

dicitur, εὐχαριστικὸν videlicet, non ἱλαστικόν. Quintò: quia populus ad celebrationem Cœnæ afferebat primitias frugum, panem, vinum, muneráque alia, quæ ἀγάπας vocabant, pro conſeruatione miniſterii Eccleſiaſtici, & ſubleuatione pauperum. Talia munera, & collationes, ſeu collectæ, in ſacris literis vocantur ſacrificia Deo grata & accepta:
Phil. 4. quemadmodum Paulus Philippenſibus pro miſſo ſubſidio indigentiæ ſuæ gratias agens: Expletus ſum, inquit, poſteaquam accepi ab Epaphrodito, quæ à vobis miſſa fuerant, odorem bonæ fragrantiæ, hoſtiam acceptam gratámque Deo. Et Heb. 13. Beneficentiæ & communicationis nè obliuiſcamini: talibus enim victimis delectatur Deus. Poſtremò, quia ſpiritualia ſacrificia, fides, ſpes, charitas, patientia, ac vniuerſa Chriſtiani hominis pœnitentia, per vſum Cœnæ Dominicæ excitantur & exercentur. His de cauſis nec impiè nec importunè Sacramentum Euchariſtiæ ſacrificium dici poteſt, & à veteribus dictum eſt. Sin aliqui recentiores fuerunt, qui eo ſenſu, quo Torrenſis, vocabulo ſacrificii & oblationis vſi ſunt, ij quia neque ex Scripturis, neque cum Scripturis ita loquuntur, præſcribere veritati non poſſunt: præſertim cùm non res verbis, ſed verba rebus ſeruire debeant.

IESVITA.

Lib 3. cap. 4. Parag. 3. *Sacrificium Miſſæ à Melchiſedech ſignificatum, & à Malachia prædicatum eſſe.*

CHRISTIANVS.

NOn te pudet, Torrenſis, qui in tanta luce cognitionis linguarum, nondum videas,
Geneſ. 14. quid apud Hebræos הוציא Hozi, apud Græcos

cos ἐξενήνοχεν, apud Latinos protulit, ſignificet. Nihil Moſes dicit de ſacrificio, ſed de cõmeatu, quẽ Melchiſedech Abrahamo eiúſque exercitui è ſuo penu protulerit & appoſuerit. Cur autem Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, Epiſtola ad Hebræos cap. 7. copioſè exponit: Miſſatici autem ſacrificii ne vna quidem ſyllaba meminit. Porrò quid Malachias intellexerit per oblationem mundam, quæ inter Gentes in omni loco offerenda ſit nomini Domini, nemo nobis electo vaſe melius expoſuerit: Data eſt mihi, inquit, gratia à Deo, in hoc, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti inter Gentes, adminiſtrans Euangelion Dei, vt fiat oblatio gentium acceptabilis, ſanctificata per Spiritum ſanctum. Hìc Paulus ſe vocat λειτουργὸν & ἱερουργοῦντα. Liturgiam autem & Hierurgiam ſuam ipſe interpretatur non de ſacrificio Miſſæ Pontificiæ, ſed de miniſterio prædicationis Euangelii. Vſitatum autem eſt Prophetis, cùm de gentium vocatione verba faciunt, phraſibus & typis ætati ſuæ congruentibus, de ſpirituali cultu Dei per totum orbem propagãdo vaticinari. Nam pro conuerſione ad Dominum, aſcenſum in Ieruſalem: pro Dei adoratione, munerum oblationem: pro ampliori eius cognitione, ſomnia & viſiones ponunt. Sic & Malachias prædicationem Euangelii, & fructus inde manantes, per externum Legis ritum, incenſum ſcilicet & oblationem, deſignare voluit, quò familiaribus ſeculi ſui hominibus indicaret, Gentes in veram Religionis participationem eſſe vocandas. Quæ ſi Torrenſis non intelligit, neque Grammaticus eſt, neque Theologus. Sin quod intelligit, ſtudio deprauat, & in alienum ſenſum detorquet, iam non tantùm boni Theologi & boni Grammatici, ſed boni etiam viri nomine indignus eſt.

Pſal. 110.

Malac. 1

Rom. 15.

IESVITA.

Lib.3.cap. 5.Parag. 5. *Sacrificium Miſſæ à Chriſto inſtitutum eſſe.*

CHRISTIANVS.

VBi quæſo, mi Torrenſis? Num in Bucolicis Virgilii? Cùm faciam vitula, pro frugibus, ipſe venito. Sed mirum non eſt, vos ex Chriſto Miſſificem fingere, quem, ne per ſaltum (quod aiunt) promoueretur, etiam Oſtiarium, Lectorem, Exorciſtam, Acoluthum, Hypodiaconum & Diaconum feciſtis: ſcilicet, ne ſine ratione inſanire videremini. Atqui in verbis Cœnæ Dominicæ, HOC FACITE, ſolummodò de iis rebus dicitur, quæ præcedunt, ſcilicet de accipiendo, edendo, & bibendo: & de iis quæ ſequũtur, videlicet, de commemoratione Chriſti. Proinde de ſacrificio Miſſæ intelligi non poteſt.

IESVITA.

Lib.3.cap. 5, Parag. 6. & 9. *Sacrificium Miſſæ non ſolùm eſſe gratiarum actionis, ſed etiam pro peccatis propitiatorium.*

Pro morituris & pro mortuis Miſſæ ſacrificium rectè offerri.

CHRISTIANVS.

CVr penultimam Chriſti vocem in cruce emiſſam, qua conſummatum eſſe pronunciat, mendacii arguis? Nam ſi conſummatum eſt eius ſacrificium, cur non offerre deſinitis? Ioan.19.

Sancti-

Sanctificati ſumus (ait Scriptura) per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel peractam. Et omnis quidem Sacerdos aſſiſtit quotidie ſacra peragens, & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic verò vna pro peccatis oblata victima, perpetuò ſedet ad dextram Dei. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificãtur. Porrò vbi peccatorum eſt remiſſio, non eſt amplius oblatio pro peccato. Nam id fecit ſemel, cùm ſemetipſum obtulit. Quid multis? Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: Ipſe Chriſtus, non Miſſa. Et: Sanguis Ieſu Chriſti filii Dei mundat nos ab omni peccato. Sanguis, inquam, non exangue & incruentum ſacrificiũ Miſſæ. Nam abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Ridiculum autem eſt, pro morruis etiam ſacrificium Miſſæ offerri, qui nec audiunt, nec vident, nec olfaciunt, nec guſtant, nec tangunt, nec vllo modo ſentiunt, intelligunt vel credunt hoc ſacrificium: quíque eo vel nõ egent, quia beati: vel iuuari nequeũt, quia dãnati ſunt. Itaque rectè Eccleſiaſtes: Quodcunque facere poteſt, inquit, manus tua, inſtãter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.

Hebr. 10. Hebr. 7. 1. Ioan. 2. 1. Ioan 1. Hebr. 9. Eccleſ. 9.

IESVITA.

Hoc ſacrificio Dæmones fugari, quod priuatim etiam celebrabatur.

Lib. 3. cap. 5. Para. 10.

CHRISTIANVS.

SAtanas Satanam non eiicit. Nam ſi aduerſus ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnũ eius? Cùm autẽ Miſſa priuata & angu- Luc. 11.

laris Satanæ inuentum ſit, quomodo dæmones fugabit? niſi fortè, vt ad Iuliani Apoſtatæ manu formatum crucis ſignum, ſic ad priuatam Miſſam aliquando Dæmon fugam ſimulauit, vt ſuperſtitionem & impietatem hominum augeret. Alioquin, ſi verè fugit huius ſacrificii virtutem & efficaciam, mirum eſt, cur ſub regno Papiſtico ſpectra, lemures, vmbræ, & neſcio quæ Satanæ phantaſmata, omnes ferè omnium locorum angulos infeſtârint: quæ iam, vbi Miſſę ſacrificium abrogatum eſt, vel euanuerunt, vel rariſſimè obuerſantur. Fugandi enim dæmonis vera ratio noſtris hominibus ex
1. Pet. 5. Euangelio monſtratur: Reſiſtite ei (inquit Petrus)
Iac. 4. ſolidi fide. Et Iacobus. Subditi eſtote Deo, reſiſtite
Epheſ. 6. autem diabolo, & fugiet à vobis. Et Paulus: Induite totam armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus aſſultus diaboli. Vbi totam Chriſtianorum panopliam ſigillatim per omnia membra explicat: ſed de Miſſa ne gry quidem.

IESVITA.

Lib. 3. ca. 6. Par. 2. *In calice, vino miſcendam eſſe aquam.*

CHRISTIANVS.

HOc facite, dicit Chriſtus Apoſtolis: id nimirum, quod me vidiſtis facere, & quod ego vos facere iubeo. Accipite, gratias agite, frangite, edite, bibite, mortem meam annunciate. Cùm autem Apoſtoli non viderint Chriſtum vino miſcere aquam, neque vt miſcerent à Chriſto iuſſi fuerint: quis hoc præceptum obtrudere audebit Eccleſiæ, in calice aquam vino miſcendam eſſe? Quòd ſi neceſſarium præceptum eſt,
1. Cor. 11. cur Paulus, quando apertè profitetur, ſe id de Cœna tra-

na tradere, quod à Domino acceperit, tantum myſterium ſubticuit? neque enim eius cognitionem Eccleſiæ inuidiſſet, qui alibi dicit, ſe omne conſilium Dei annunciaſſe, ac nihil ſuffugiſſe eorum, quæ in rem Eccleſiæ eſſent, quin annunciaret, omniáque clarè oſtenderet, & quaſi oculis ſubiecta demonſtraret. Miror autem, cur Torrenſis tantoperè hanc mixturam aquæ & vini probet, cùm alioquin apud Prophetam malè audiat: Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua. Et Paulus non vult nos καπηλεύειν Verbum Dei. A quo crimine Pontificios non immunes eſſe, hac commixtione aquæ cum vino, tanquam malo omine & infauſto ſigno, portenditur.

Actor. 20. Eſai. 1. 2. Cor. 2.

IESVITA.

Ordines ſeptem eſſe.

Lib. 3. cap. 7. Parag. 3.

CHRISTIANVS.

PAulus ad Epheſios cap. 4. functiones Eccleſiaſticas, partim extraordinarias & temporarias, vt Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, partim ordinarias & perpetuas, vt Paſtores & Doctores, commemorat: Ex Papiſticis verò Ordinibus ne vnum quidem ponit. Alibi quidem mentionem facit Diaconorum & Presbyterorum. Sed horum nemo ſacrificabat pro viuis & mortuis: illorum longè alia tum erat functio, quàm nunc eſt: vt in priori ſcripto ad cap. 3. prioris ad Timotheum oſtendimus. Adde quòd Epiſcopos à Presbyteris Paulus non diſtinguit, ipſius etiam Hieronymi teſtimonio: ac vult eos eſſe didacticos, tenaces eius, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelis ſermonis, & potentes exhortari per doctrinam ſa-

Tit. 1.

nam, aç contradicentes conuincere. Qnæ officia cùm in Papiſticis Ordinibus non inueniãtur, quis non in hoc ipſo ordine Ordinem deſideret? & in Diaconis Diaconatum, in Presbyteris, τὸ πρεσβεῖον in Epiſcopis Epiſcopatum accenſa in meridie lucerna ſcrutetur?

IESVITA.

Lib. 3. cap. 7. Parag. 5. *In nouo Teſtamento ſacerdotes eſſe, qui nõ Baptiſmo, aut ſanctitate, ſed electione & ordinatione fiant.*

CHRISTIANVS.

EPiſtola quidem ad Hebræos multam facit mẽtionem Sacerdotum, ſed Leuiticorum, quos confert cum ſacerdotio Chriſti. Nam in Nouo Teſtamento nuſquam tribuitur miniſtris Eccleſiæ nomen ſacerdotum, niſi vbi omnes pios in Chriſto renatos vocat Sacerdotes. Petrus de omnibus Chriſtianis ſanctificatis per ſpiritum in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti
1. Pet. 2. ſic loquitur: Domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Et paulò poſt: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus qui in lucrum acceſſit. Et in Apo-
Apoc. 1. calypſi: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo. Sed age, vocentur ſanè miniſtri Eccleſiæ etiam ſacerdotes (ne videamur λογομαχεῖν) modò non eam ob cauſam, quòd ſacrificium Miſſę offerant: ſed quod ſacrum Euangelion doceant, & Sacramenta diſpenſent Eccleſiæ, ſicut

Paulus

Paulus vocat ſe ἱερουργοῦντα, hoc eſt, ſacrificantem Euangelion Dei. Quo ſenſu etiam Malachias prædixit: In omni loco ſacrificatũ iri nomini Domini. Rom. 15. Mal. 1.

IESVITA.

Peccata cum circumſtantiis neceſſariis confitenda eſſe ſacerdoti. Lib. 3. cap. 8. Parag. 8.

CHRISTIANVS.

VVlgò aiunt: Ad impoſſibile nemo obligatur. Conſtat autem, enumerationem ſingulorum delictorum, qualis in auriculari & ſuſurratoria Confeſſione requiritur, eſſe impoſſibilem, & tale iugum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus. Cùm enim nemo hominum omnia delicta ſua intelligat, nunquam certò nouit is, qui ſacerdoti confitetur, an omnia peccata ſua ſufficienter explorauerit, & coram Sacerdote plenè ac citra defectum enumerauerit. Apertè enim Paulus fatetur, ſe in Phariſaiſmo peccatũ non cognouiſſe. Rom. 7. Et Dauid: Delicta quis intelligit? Psalm. 19. Ab occultis meis munda me. Quibus verbis vterque teſtatur, occulta peccata, hoc eſt, ea quæ à nobis non reputantur peccata, eſſe omnium maxima. Cùm ergo confitentes nunquam de exploratione atque enumeratione peccatorum certi eſſe queãt, quomodo auricularis Confeſſio fiet ex fide? Porrò quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt. Rom. 14. Qualis autem ratio ſit Confitendi & Abſoluendi, in noſtris Eccleſijs, alibi dicitur, & ex publicis ordinationibus cuiuis innoteſcit.

IESVITA.

Ad veram pœnitentiam ſpectare non ſo-
Lib.3.cap. 8.Para.10. *lùm nouam vitam, ſed & pro peccatis præteritis ſatisfactionem.*

CHRISTIANVS.

Satisfactionem pro peccatis nullam aliam
Eſai.53. ex verbo Dei nouimus, quàm ſolius Domini noſtri Ieſu Chriſti, de qua Eſaias ait: Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eũ, & liuore eius ſanati ſumus. Et Ioãnes: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non
1.Ioan.2. pro noſtris autem tantùm, ſed & pro totius Mundi. Atque hæc ſatisfactio Chriſti nullis noſtris prę cedentibus vel ſequentibus operibus, ſed ſola fide
Actor.10. à nobis accipitur. Huic enim omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accipiat per nomen eius, quiſquis crediderit in eum.

IESVITA.

Lib.3.cap. 8. Para.12. *Satisfactionem à ſacerdote præſcribi.*

CHRISTIANVS.

Non ſic Chriſtus & Apoſtoli, qui ab ijs, quorum remiſſa ſunt peccata, hoc modò exigunt, ne in poſterũ denuò peccent: ſatisfactioné auté pro præteritis peccatis nõ imponunt. Adulteræ mulierculæ dicit Chriſtus: Nec ego
Ioan.8. condemno, Vade, & poſthâc ne peccaueris. Viro poſt continuum triginta octo annorum languo-
Ioan.5. rem ſanato, dicit: Ecce ſanus factus es: iam noli peccare,

peccare,ne deterius aliquid tibi contingat. In die Pentecoſtes Iudæis compunctis corde, & quærentibus Quid faciemus viri fratres? reſpondet Petrus: Delictorum pœnitentiam agite,& baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Christi,in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vbi hîc Ieſuitica ſatisfactio præſcribitur? Cuſtos carceris Philippenſis Paulo & Silæ dicit: Domini, quid me oportet facere, vt ſaluus fiām? En hominem ad ſatisfactionem, quæ præſcribatur,paratum, Quam igitur ſatisfactionem ei præſcribunt?Sequitur.At illi dixerunt:Crede in Dominum Ieſum, & ſaluus eris tu & domus tua. Apage ſis igitur, Torrenſis, cum tua ſacerdotali ſatisfactione: qua num tibi ipſe ſatisfacias, neſcio:Deo quidem ſatisfacies nunquam.

Actor.2.

Actor. 16.

IESVITA.

Pœnam non ſemper cum culpa remitti, ſed remiſſo etiam peccato exigi.

Lib.3. cap. 8. Para.13.

CHRISTIANVS.

QVòd Adam, Dauid,aliíque ſancti Dei homines etiam poſt remiſſionem peccatorū ſuam crucem & afflictiones ſuſtinent, id non fit pœnæ, vltionis aut ſatisfactionis nomine pro peccatis præteritis:ſed in caſtigationem & diſciplinam ipſorum,quam νουθεσίαν vel νουθέτησιν Græci vocant: & in exemplum aliorum: vt maiori cura vitent peccata, quæ tantoperè Deo diſplicere intelligunt. Etenim ſicut afflictiones præſentis temporis non ſunt pares ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos: ita etiam non ſunt pares

Rom.8.

ad ſatisfaciendum pro minimo peccato, nedum ad commutandam æternam pœnam in temporariam. Omnes enim pœnæ peccatorum Chriſto incubuerunt, vt nos pacem haberemus. At cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum Mundo cōdemnemur: hoc eſt, dum nos filij Dei manu cœleſtis Patris affligimur, non hæc pœna eſt, qua confundamur: ſed caſtigatio duntaxat, qua erudiamur: ne per mundanam & carnalem ſecuritatem pereamus. Itaque rectè à veteribus dictum eſt: quæ ſint ante remiſſionem ſupplicia peccatorum, ea poſt remiſſionem eſſe certamina exercitationéſque iuſtorum.

Eſa. 53.
1. Cor. 11.

IESVITA.

Lib. 3. cap. 9. Parag. 4.

Matrimonium ſola morte diſſolui.

Paragr. 6.

Si ſeparentur coniuges propter fornicationem, neutri licere, quamdiu alter ſit ſuperſtes, alteri matrimonio iungi.

CHRISTIANVS.

CHriſtus autem & Apoſtoli matrimonium etiam fornicatione & iniuſta deſertione diſſolui teſtātur, atque ita diſſolui, vt perſonæ innocenti alterum coniugium inire liceat. Verba Chriſti ſunt bis apud Matthæum repetita: Quicunque repudiauerit vxorem ſuam, NISI OB STVPRVM, & aliam duxerit, adulterium committit. Ergò qui ob ſtuprum repudiata vxore aliam ducit, adulteriū non cōmittit. Verba Apoſtoli ſunt: Quòd ſi incredulus diſcedit, diſcedat: non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi. Expreſſè pronunciat Paulus, perſonam iniuſtè

Matth 5. & 19.
1. Cor. 7.

deſer-

deſertam liberam eſſe,nec cogendam eſſe, vt vagabundum deſertorem ſequatur. Si igitur accedat legitima cognitio Iudicũ libertate iterum nubendi iuſtè vti poteſt perſona iniuſtè deſerta.Et qui ſana mente præditus eſt,ac iudicio non prorſus ſtupido facilè colligit : quòd ſicut homo non debet ſeparare,quod Deus coniungit, ita homo non debeat coniungere,quod Deus ſeparat. Deus autem ſeparat & liberat coniugem ab adultera & deſertrice coniuge,ſiue mare,ſiue muliere,expreſſo ſuo verbo.Quæ igitur duricies & tyrannis eſt, hominem à Deo liberatum,ab hominibus ita conſtringi & prohiberi,ne ſua libertate diuinitus conceſſa vti poſſit?

IESVITA.

Animarum poſt mortem varia eſſe loca. Lib.4. ca. 1. Para.1.

Purgatorium ignem vel temporarias pœnas multis poſt mortem ſupereſſe. Parag.4.

Igne Purgario venialia tantùm peccata & reliquias lethalium purgari. Parag.8.

In generali iudicio præter eos, qui damnandi ſunt ad gehennam,& eos qui omninò purgati fuerint,futuros alios,qui per ignem Purgatorium ſalui futuri ſint. Parag.15.

CHRISTIANVS.

IGnis Purgatorius à Monachis & Sacrificulis in vſum culinæ ſuæ olim accenſus & fotus iamdudum viuis aquis ſa-

crarum ſcripturarum ita extinctus eſt, vt vel pueri eum rideant, qui in Catechiſmo ſuo diſcunt: Credentem ſaluum fieri, non credentem con-
Marc.16. demnari: intermedium ſtatum poſt mortem nuſquam eſſe, niſi in Virgilij campo Elyſio. Certè in glaciem neceſſe eſt iſtum ignem concreſcere, ad hanc filij Dei vocem: Qui credit in filium, non
Ioan.3. iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt. Et iterum: Amen amen dico vobis, qui verbum
Ioan.5. meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam: & in iudicium non venit: ſed tranſiuit à morte in vitam. Iam Paulus in tertium cœlum raptus, & inenarrabilium myſteriorum conſcius,
1.Theſſ.4. cùm ad Theſſalonicenſes ex profeſſo ait de ſtatu defunctorum, etſi præfatur, ſe nolle nos ignorare: tamen de Purgatorio prorſus tacet, ea autem loquitur, quæ malè purgatam de Purgatorio opinionem confutant. Nam exitum credentium vocat ſomnum, quo vix aliquid eſt ſuauius: non pœnam, non cruciatum, nō ſupplicium. Adhæc dicit, Deum eos, qui obdormierunt per Ieſum, adducturum CVM ILLO, vt videlicet iuxta promiſſionem Chriſti, vbi ipſe eſt, ibi ſint & illi, quos
Ioan.14. Pater ei miniſtros dedit. Præterea, quo medio aut qua via credentes illuc perueniant, docet: videlicet, non per cruciatus & tormenta ignis Purgatorij, ſed ſi credant, quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit. Denique in Epilogo hortatur Paulus Theſſalonicenſes, vt ſeſe mutuò his ſermonibus conſolentur. Quæ autem eſſet iſta conſolatio, ſi anima hominis piè defuncti, qui pro peccatis ſuis in hac vita non ſatisfeciſſet, illic demùm in Purgatorio pro peccatis ſuis ſatiſpati cogeretur? Lubens prætereo alia teſtimonia. Nam & multa ſunt, & Papiſtis toties obiecta, vt niſi erubeſcere neſcirent, buccas ad ſufflandum iſtum ignem
altè

altè inflatas & latè diductas iamdudum comprimere atque contrahere debuerint.

IESVITA.

Sacrificium altaris, preces, eleemoſynas, & oblationes viuorum, defunctis (quanuis non omnibus) prodeſſe. Lib. 4. ca. 1. Par. 10.

Defunctos meritis & interceſſione Sanctorum iuuari, præſertim in quorum baſilicis ſepulti ſunt. Paragr. 12.

CHRISTIANVS.

SErò venere bubulci. Et nihil valet apud Torrenſem Apoſtolica obſecratio: qua & 2. Cor. 6. adiuuantes diligenter obſecrant & exhortantur, ne in vacuum gratiam Dei receperimus. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te: & Eſai. 49. in die ſalutis ſuccurri tibi. Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies ſalutis. Nam quicquid ſeminauerit homo, hoc & metet. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum. Omnes e- Gal. 6. nim nos manifeſtari oportet coram tribunali 2. Cor. 5. Chriſti, vt reportet vnuſquiſque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum, ſiue malum. Et quamuis fatuæ virgines, non in tempore de parando oleo ſolicitæ, prudentibus dicant: Date nobis de oleo veſtro: tamen repulſam fe- Matth. 25. runt, & mox clauſa ianua audiunt à Domino: Non noui vos.

IESVITA.

Preces noſtras à Sanctis intelligi. Lib. 4. ca. 2. Parag. 1.

CHRISTIANVS.

CVm preces non verbis ſemper, ſed ſæpè mente duntaxat concipiantur, quomodo Sancti eas intelligẽt, niſi ſint καρδιογνῶσαι? Hoc autẽ Scriptura ſoli Deo tribuit: Tu noſti (inquit) ſolus cor omnium filiorum hominum. Et ille qui ſcrutatur corda, nouit, quis ſit ſenſus ſpiritus. Quapropter cum Eſaia nõ veremur dicere: Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. Quòd ſi Abraham, Iſaac & Iacob ignorãt nos, qui ſanctiſſimi Patriarchę clariſſimis teſtimonijs in Scriptura ornãtur, quòd apud Deum viuant: quid de nobis ſcient fictitii ſancti, Georgius, Chriſtophorus, Catharina, & complures alii, de quibus partim incerti ſumus, an vnquam in terris vixerint: partim dubitamus, vtrum in cœlis beati ſint, an verò apud inferos torqueantur? Neque enim eſt articulus fidei, vt credamus, eos omnes eſſe beatos, quos Papa Canonizatos in numerum Diuorum retulit, & rubrica in Calendarium inſcribi voluit.

3. Reg. 8. Rom. 8. Eſa. 63.

IESVITA.

Lib. 4. cap 2. Parag. 3.

Preces & patrocinia Sanctorum nobis ad ſalutem commodare.

CHRISTIANVS.

PEr Sanctos hîc vbique Torrenſis intelligit Sãctos hac terrena vita defunctos, & exutos corpore: quos nos ſanctos Mortuos vocamus. Etſi enim Deo viuunt, nobis tamen, nobis inquam, quibus eos patronos deſtinat Torrenſis, mortui ſunt. Itaque patrociniis eorum fidere non poſſu-

poſſumus. Ioannes vnum nobis monſtrat aduoca- 1.Ioan.2.
tum ſeu patronum: Si quis peccauerit inquit, ad-
uocatum (non, aduocatos) habemus apud Patrem,
Ieſum Chriſtum iuſtum. Et Paulus: Vnus Deus, 1.Tim.2.
vnus etiam mediator Dei & hominũ, homo Chri-
ſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum precium redem-
ptionis pro omnibus. Et Chriſtus vbique in nomi-
ne SVO (non ſanctorũ) petere iubet: nec niſi per
ſe ad Patrem veniri poſſe aſſeuerat.

IESVITA.

Merita Sanctorum prodeſſe fidelibus. Lib.4.cap 2.Para.4.

CHRISTIANVS.

MEriti nomẽ, vt nimis ambitioſum, in Scri-
pturis Canonicis non inuenitur. Quomo-
do igitur, quod in Sanctis non eſt, prodeſ-
ſe nobis poteſt? Iuſtus ex fide ſua viuit, non ex Sã- Abac.2.
ctorum meritis, qui quantũcunque boni fecerunt,
ſeruos inutiles ſe eſſe confeſſi ſunt: qui quod de- Luc.17.
buerint fecerint. Etſi enim neceſſariò ſunt facien-
da bona opera, quæ Deus præcepit: tamen nullus
vnquã ſanctus tantam bonorũ operum perfectio-
nem aſſecutus eſt, vt coram iudicio DEI operi-
b⁹ ſuis inniti potuerit: ſed omnes ex gratia per me
ritum Chriſti ſaluati ſunt, omneſque cum Dauide
orãrũt: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia Pſal.143.
nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuẽs. Et
quotidiana precatione indiguerũt: Dimitte nobis
debita noſtra. Quare cùm ſanctiſſimi quiquẽ præ-
ceptis diuinis propter infirmitatẽ carnis ſuæ non
ſatisfecerint, ſed adhuc plurimũ debeãt: quomodo
in iudicio Dei de ſuis meritis gloriabũtur? & cùm Matth.25.
vix ſatis olei in lãpadib. ſuis habeãt, quomodo aliis

etiam de oleo ſuo dabunt? hoc eſt, cùm ipſi ſuis meritis non ſaluentur, quomodo alii meritis illorum iuuabuntur? Ideóque Spiritus ſanctus, oſtenſurus, omnem ſalutem ſanctorum non in meritis eorum, ſed in mera gratia Dei ſitam eſſe, quoties in Scripturis de mercede loquitur, qua Deus bona opera ſanctorum compenſare ſoleat, vtitur vocabulis dandi, rependendi, iudicandi &c. nunquàm verò merendi aut meritorum vllam mentionem facit. Merces enim non ſemper venit ex merito, ſed interdum ex gratuita bonitate & clementia: interdum ex pacto ſeu promiſſo datur. Omne enim promiſſum cadit in debitum.

IESVITA.

Lib. 4 ca. 2. Parag. 5. *Sanctos honorandos & ſuo modo adorandos eſſe.*

Parag. 6. *Sanctos ſuo etiam modo inuocari poſſe.*

Parag. 14. *Sanctos opem ferre ſuum patrocinium implorantibus, quamuis modus incertus nobis ſit.*

CHRISTIANVS.

DOnec igitur Ieſuitæ iſtũ SVVM MODVM adorationis & inuocationis Sanctorum, quem tacent, explicent: & iſtum INCERTVM modum opitulationis certum faciant: nos Sanctos quidem honorandos, ſed nullo modo pro patronis & opitulatoribus vel adorandos vel inuocandos eſſe dicemus, his teſtimoniis freti: (Deut. 6, Matth. 4.) Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. (Pſal. 29.) Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domi-

Domino gloriã nomini eius , adorate Dominum in atrio ſanđto eius. Inuoca ME in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Venite ad ME omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Ac ſi his contenti eſſe noluerint Ieſuitę, audiant Samuelem, non tam Iſraelitis, quàm Ieſuitis dicentem : Vos hodie proieciſtis Deum veſtrum, qui SOLVS ſaluauit vos de vniuerſis malis & tribulationibus veſtris. Audiant & Sapientem, de Idololatris, quales Ieſuitæ ſunt, pronunciantem: Infelices ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt. Pro vita rogant mortuum. Si excipiant, de Ethnicis iſta dici, oſtendánt, qua in re, præterquam in nudis nominibus, Pontificia Idolomania ab Ethnica differat. Nam in Iunonis Lucinæ locum, quam parturientes inuocare ſolebant, ſucceſſit Margaretha: in Mineruæ Catharina: in Mercurii, Eraſmus: in Apollinis & Æſculapii, Sebaſtianus & Rochus: in Iouis ſoſpitatoris, Georgius. Mirum ſi non & ſuos Vagitanos, & Statilinos, & Sterculios & ſuas Cuninas, & Edulias, & Poticas, & Cubas, & Floras, & neſcio quæ alia Idola habeant Pontificii. Nam tantoperè ipſis Ethniciſmus placuit, vt bonam partem ſuorum cultuum inde petierint: ac etiamnum hodie, quæ ex Scripturis defendere non poſſunt, ex Ethnicorum ritibus tueri ſatagunt.

Pſal. 50. Matth. 11. 1. Sam. 10. Sap. 13.

IESVITA.

Ieiunantē de ſe pœnas ſumere & Deum placare. Lib. 4. ca. 3. Par. 5.

CHRISTIANVS.

NOn ſufficiebat Torrenſi, honorem ſoli Chriſto debitum in ſanctos transferre, niſi ex ieiunio quoque Chriſtũ faceret. Nam Deum placare, ſolius Chriſti opus eſt: de quo Paulus ita loquitur: Si cùm inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii eius, multò magis reconciliati ſeruabimur per vitam ipſius. Et Ioannes: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Vſque adeò hypocritæ non vident, quid ſit peccatum, quanta ira Dei aduerſus peccatum, quæ peccati expiatio, quæ placatio iræ Dei: & quod mireris, etiam dum ieiunant, ebrii ſunt: ſpiritualiter videlicet inebriati perſuaſione propriæ iuſtitiæ, qua ſe Deum placare poſſe confidenter & impiè præſumunt.

Rom.5.

1.Ioan.2.

IESVITA.

Lib.4.ca. 4.Par.1. *Quadrageſimam à Chriſto conſecratam & præceptam eſſe.*

Parag.5. *Per obſeruationem Quadrageſimalis ieiunii bonos à malis diſcerni.*

CHRISTIANVS.

VErum quidem eſt, Chriſtum quadraginta dies & noctes ieiunaſſe: verum eſt etiam, ſua fame omnium in ſe credentiũ famem & paupertatem vniuerſam conſecraſſe. Sed quòd hoc ſuo exemplo præceperit Eccleſiæ quadrageſimale ieiunium, ac tertium tẽpus anni ad hoc ieiunium conſecrauerit, commentum humanũ eſt. Nuſquam enim docet, ieiunium ſuum eſſe imitandum: imò verò contrà: Omne quod apponitur vobis,

Luc.10.

bis comedite, inquit. Et: Regnum Dei non venit cum obſeruatione. Et: Regnum Dei non eſt cibus ac potus, ſed iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. Ieiunia quidem commendat Chriſtus: non autem ea, quæ conſtant certis diebus, certo dierum numero, certo genere ciborum, ídque ad placandum Deum, & expianda peccata, & promerendam vitam æternam: Sobrii, inquit, eſtote. Vigilate, Orate, Cauete ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate. Quibus verbis & ſimilibus, non quadrageſimale ieiunium indicit, ſed perpetuam totius vitæ temperantiam & ſobrietatem exigit. Quid autem de Phariſæorum ieiuniis ſenſerit, non ex Euangelica tantùm hiſtoria, ſed ex Eſaiæ etiam cap. 58. notum eſt. Quem locũ ſi Torrenſis inſpicere dignatus eſt, non amplius dicet, per obſeruationem quadrageſimalis ieiunii bonos à malis diſcerni: cùm illìc etiam impiiſſimi hypocritæ & iniuſtiſſimi vſurarii, per diem afflixiſſe animam ſuam, contorſiſſe quaſi circulum vel iuncum, caput ſuum, & ſaccum cinerémque inſtrauiſſe legantur.

Luc. 17. Rom. 14. 1. Pet. 5. Luc. 21. Matth. 6. Eſa. 58.

IESVITA.

Etſi omnis creatura bona ſit, tamen propter obedientiam, vel aliorum infirmitatem, ciborum delectum, & à carnibus abſtinentiam rectè obſeruari.

Lib. 4. ca. 5 Para. 4.

CHRISTIANVS.

NIſi per obediẽtiam Traditiones Prælatorum & obſeruantiam regularum Monaſticarum intelligeret, totã hanc Poſitionẽ

vide Origen. Tract. 29. in cap. 23 Math tomo 2. fol. 117

acceptaremus. Nunquam enim nobis illud Pauli-
1.Cor.8. num diſplicuit: Si eſca offendit fratrem meum, haudquaquam veſcar carnibus in æternum, ne
Rom.14. fratri meo ſim offendiculo. Et illud: Omnia quidem pura, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum veſcitur. Bonum eſt non edere carnes, aut bibere vinum, neque quicquam, per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur. Sed quòd Torrẽſis adhuc vult δογματίζειν, & nos neſcio quibus Traditiunculis humanis, ſub pœna obedientiæ (vt vulgò loquuntur) ad delectum ciborum obſtringere, id approbare nequaquam poſ-
Col.2. ſumus. Improbat enim Paulus, & exprobrat Coloſſenſibus: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elemẽtis mundi, quid quaſi viuentes in Mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne guſtâris, neque contrectâris: quæ omnia ipſo pereunt abuſu, iuxta præcepta & doctrinas hominũ: quæ verbo tenus quidẽ habent ſpeciem ſapientiæ per ſuperſtitionẽ ac humilitatem animi, & læſionem corporis, nõ per honorem aliquem, ad expletionem carnis.

IESVITA.

Lib.4.cap. 6.Parag. 1. *Bonam eſſe caſtitatem coniugum, meliorem viduarum, optimam verò virginum.*

CHRISTIANVS.

Bella ſanè Gradatio. Sed quo fundamento
Matth.13. Scripturæ nititur? Num parabola de ſemine afferente fructum, alio quidem centuplum, alio verò ſexagecuplum, alio verò trigecuplum? Sed quàm inſulſè huc detorqueatur, du-
1.Cor.7. dum à multis oſtenſum eſt. Nos verò ſentimus, vt cir-

vt circumciſio nihil eſt, præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei: ſic virginitatem, viduitatem, coniugium nihil eſſe, ſed in his ſtatibus obſeruationem mandatorum Dei aliquid eſſe, & in Ieſu Chriſto nihil valere, niſi nouam creaturam. Non enim eſt perſonarum reſpectus apud Deũ: ſed in quauis gente (ergò etiam inter coniuges non minus quàm virgines & viduas) qui timet ipſum, & operatur iuſtitiam, is acceptus eſt illi. De Noha ſcribit Moſes: Noha vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, & cum Deo ambulauit, & genuit tres filios. Audis, coniugium & generationem filiorum non obſtitiſſe Nohæ, quò minus Deo placeret. Num tu igitur virginitatem Ioannis Baptiſtæ, & viduitatem Annæ filiæ Phanuelis, coniugio Nohæ, vel Abrahæ, vel ſimilium, præferes? atque id dices, quod in proxima Poſitione ſtatim ſubſequitur? videlicet:

Actor. 10.

Geneſ. 6.

IESVITA.

Virginitati Deo ſacratæ æquare nuptias, hereſin fuiſſe Iouiniani.

Lib. 4. ca 6. Para. 2.

CHRISTIANVS.

HOc pronunciatum ipſe Torrenſis clarius explicat fol. 287. Virginitas (inquit) PER SE præfertur coniugio. Et rurſus: Nuptias & virginitatem paris eſſe meriti, hæreſis eſt. Si autem hæc hæreſis eſt, bis hæreticus fuit Paulus qui interdum pro ratione circumſtantiarum non modò æquat, ſed etiam præfert coniugium cœlibatui. Nam ſi hæc genera vitæ per ſe conſideres, & à meritis ſuis (ſi ſic nobis cum Torrenſi loqui

licet) coram Deo, æſtimes, indifferentia ſunt, & coram Deo aliud alio non eſt ſanctius. Si autem conſideres ea ſecundum conditionem perſonarum, & circumſtantias temporũ ac aliarum rerum, præfertur interdum cœlibatus coniugio, aliquoties coniugium cœlibatui. Nam cùm ea eſt perſonæ conditio, vt habeat donum continentiæ, & ea ſunt tempora, vt vel nubendum ſit Ethnico, vel ſingulis horis expectanda ſit perſecutio: ibi tum Paulus conſilio ſuo, non præcepto Domini (vt clarè præfatur) rectè præfert cœlibatum coniugio: Arbitror, in-
1. Cor. 7. quit, hoc bonum eſſe, ſcilicet, vt virgo non nubat. Sed addit: Propter præſentem neceſſitatem. Non inquit: quia per ſe bonum eſt: vel, propter maius & excellentius meritum: ſed: propter PRÆSENTEM neceſſitatem, ſcilicet, perſecutiones Chriſtianorum. Ac mox: Qui non elocat virginem ſuã, melius facit. Et iterum: Beatior eſt, ſi ſic maneat, iuxta meam ſententiam. Sed ſtatim rurſus ſeſe ipſe interpretatur, cùm dicit: Si nupſerit virgo, nõ pèccauit: attamen afflictionem in carne habituri ſunt eiuſmodi. Melius ergo hîc dicitur, quod commodius eſt, & minoribus difficultatibus obnoxium: & virgo beatior coniuge, quia minus habet afflictionis, minus periculi in perſecutione: non quia coram iudicio Dei ſanctior, aut, ſicut Torrẽſis loquitur, maioris eſt meriti. Sed cùm ſunt aliæ vel perſonarum vel temporum circumſtantiæ, tunc Paulus
1. Cor. 7. ipſe præfert coniugiũ cœlibatui. Dicit enim: Propter ſtupra vitanda ſuam quiſque vxorem habeat, & ſuum quæque virum. Et iterum: Si ſe non continent, nubant: melius enim eſt nubere quàm vri. Denique tã abeſt, vt coniugij ſanctitatem Paulus extenuet, vt alibi coniugibus ſummas & Chriſtianiſſimas virtutes tribuat, fidem, dilectionem,

ſanctificatio-

ſanctificationem, caſtitatem, atque adeò ipſam æternam ſalutem. Mulier, inquit, ſalua fiet per generationem liberorum, ſi māſerit in fide ac dilectione & ſanctificatione cum caſtitate. Quapropter, ſi non alia deterior fuit hæreſis Iouiniani, quàm quòd coniugium virginitati æquauit: certè in extremo die cum piis coniugibus præcedet cœlibes & impuros Monachos & Moniales, in Regnum Dei. 1.Tim.2.

IESVITA.

Continentiam donum eſſe Dei: quod tamen cuique volenti & petenti detur. Lib.4. ca. 6. Parag.3.

CHRISTIANVS.

Contradictoriam apertè ponit Chriſtus: Nō omnes capiunt verbum hoc, ſed ij quibus datum eſt. Qui poteſt capere, capiat. Et Paulus: Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius autem ſic. Cùm ergò donum perpetuæ continentiæ non omnibus detur, fiduciam ſpecialis & extraordinarij doni capere, noſtrum non eſt, ac proinde illud ex fide petere non poſſumus. Matth.19. 1.Cor.6.

IESVITA.

Continentiam rectè promitti ac voueri Deo, illúdque votum fideliter ſeruandum eſſe. Lib.4.ca. 6.Para. 4.

Caſtitatem Deo vouere, conſilij at- Parag.5.

que ſupererogationis opus eſſe.

Paragr. 6. *Caſtitatis Deo per votum conſecratæ ſingularem eſſe prærogatiuam.*

CHRISTIANVS.

CVm nihil ritè voueatur Deo, niſi quod ei⁹ mādato præſcriptū & quaſi dictatū eſt: & facultatē virium noſtrarum non excedit: & cum vocatione noſtra non pugnat: Votum cœlibatus (hunc enim Torrenſis per continentiam & caſtitatem, quæ alioquin omnibus præcepta ſunt, intelligit) temerè nuncupatur ab iis, quos Deus ad coniugium aptos condidit. Nam & mandato Dei præcepta, & benedictione eius promiſſa eſt generis humani per coniugium propagatio. Maſculum, inquit Moſes, & fœminam

Geneſ. 1. creauit eos: benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Et rurſus:

Geneſ. 2. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei

Eccleſ. 4. adiutorium ſimile ſibi. Et Salomon: Melius eſt, duos eſſe ſimul quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Quid multis eſt opus? Apoſtolica, hoc eſt, diuina voce citantur ad con-

1. Corin. 7. iugium, quibus continendi facultas non eſt data. Si non continent, inquit, nubant. Continentiam autem dicit, non qua corpus ſolum à ſcortatione purum ſeruatur, ſed qua mens etiam impollutam caſtitatem ſeruat, ne illicitis flammis ardeat. Neque enim externam tantum laſciuiam, ſed animi quoque vſtionem caueri iubet. Quid tu igitur conſilij & ſupererogationis opera crepas, vbi DEVS ipſe aliter conſulit, imò aliter præcipit? Et quid

quid tu Domino ſupererogabis de eo, quod tibi ipſe non erogauit? aut ſi tibi dedit, reddere certè plus non potes, quàm accepiſti? Et quæ erit prærogatiua operis à Deo non mandati, cùm Deus fruſtrà colatur humanis placitis: cumque quod ex fide non eſt, peccatum ſit? Quid erit meritum operis temerè ſupra vires ſuſcepti, & abſtrahentis à vocatione Dei, qua ad coniugium à Deo vocantur omnes, qui non ſpecialiter & præter vſitatum naturæ curſum à communi conditione creationis eximuntur, cum ſui ſimile procreare, non minus naturale ſit, quàm edere, bibere, vigilare, dormire, & huius generis reliqua? 1. Cor. 4. Eſai. 29. Matth. 15. Rom. 14.

IESVITA.

Voto caſtitatis obſtrictos, ſi nubant, damnationem mereri, etiam Apoſtoli ſententia. Lib. 4. ca. 9. Parag. 9

CHRISTIANVS.

Locus Pauli 1. Timoth. 5. iampridem à nobis aduerſus Pſeudotimotheanas Aſſertiones Ieſuitarum ita explicatus eſt: vt clarè oſtenderimus, per primam fidem non intelligi votum perpetuæ continentiæ, ſed pactum in Baptiſmo cum Deo initum, & fidem datam de ducenda pia ac honeſta vita, quæ nomine & vocatione Chriſtianorum digna ſit: quam fidem Paulus dicit frangi ſeu irritam fieri, & fidefragas damnationem habere, non quando γαμεῖν 1. Tim. 5.
θέλουσι, ſed quando καταστρηνιῶσι τοῦ χριστοῦ hoc eſt,

cùm excuſſis habenis (στρηνιᾷν enim quaſi στερεῖν ἡνίαν dicitur) & amiſſo pudore, omnem honeſtatis curam abijciunt, ad omnem laſciuiam & petulantiam ſe proſtituunt, & licentioſa diſſolutáque vita nihil minus, quàm Chriſtianas mulieres præ ſe ferunt. Quemadmodum eo ipſo capite Paulus ait: Si qua ſuis, & maximè familiaribus, nō prouideat, fidem abnegaſſe, & eſſe infideli deteriorē. (1.Tim.5.) Alioquin ſi ea eſſet ſententia Pauli, quam Torrenſis ei affingit, ſecum ipſe pugnaret: quod de tanto Apoſtolo cogitare nefas eſt. Nam mox ſubiungit: Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare. (1.Cor.7.) Et aliâs: Si non continēt, nubant: melius enim eſt nubere, quàm vri. Et iterum: Non vt laqueum vobis inijciam. Qui certè inijcitur, vbi voto caſtitatis obſtringuntur conſcientiæ, & vbi ſemel obſtrictæ ſunt, nullum eis effugium, nulla relaxatio, nullum incontinentię remedium conceditur. Quanquam ſi maximè perpetuum cœlibatum vouiſſent viduæ illæ Diaconiſſę, de quibus Paulus loquitur: tamen quid cum hodiernis votis Monaſticis haberēt ſimile? Illic enim ad vouendam continentiam non admittebantur niſi ſexagenariæ: & quidem viduæ: & tales viduæ, quæ vnico matrimonio contentæ, ſpecimen continentiæ iam antè præbuerant, & iam periculum amittendæ pudicitiæ communiter euaſerant: & in hunc finem vltrò ſe offerebant, vt ſeruirent Eccleſiæ, conſolandis & fouendis ęgrotis pauperibus. Nunc autem intra Monalium ſepta concluduntur miſeræ virgines, vix pueritiam egreſſæ, certè vix ingreſſæ adoleſcentiam: virum non expertæ: quæ per ætatem ſe noſſe, vel vllum ſui experimentum capere nondum potuerunt: & his

hîs maledictis laqueis induuntur, vel fraude pellectæ, vel vi ac minis compulſæ: ac in hunc impiiſſimum finem, non vt Eccleſiæ ſeruiant, ſed vt iſto ſuo cœlibatu, & cantionibus preculiſque ſine intellectu demurmuratis, peccata ſua & aliorum expient, ac æternam ſalutem mereantur. Quę omnia non minus impiè nec minus immaniter fiunt, quàm cùm Moabitæ & Pſeudoiſraelitæ Chamo & Molocho liberos ſuos per ignem immolarent, quem cultum non vero Deo, ſed dæmonijs præſtitum fuiſſe Scriptura conqueritur. Pſal.106,

IESVITA.

Monachatum exemplo & traditione Apoſtolorum confirmari. Lib. 4. ca. 8. Parag. 2.

Apoſtolos paupertatem ex voto ſeruaſſe. Paragr. 3.

CHRISTIANVS.

Mirabile eſt auditu, Apoſtolos fuiſſe Monachos, cùm in totum orbem exire, ac Euangeliō vniuerſæ creaturæ prædicare, muneris ipſorum fuerit proprium: niſi fortaſſis fuerint Franciſcani, qui erinaceorum inſtar totam terram perambulare dicuntur. Quòd ſi ideo Monachi fuerint, quia centum & viginti habitârunt in vnum, & ſimul fuerunt in vno loco poſt reſurrectionem & aſcenſionem Domini, donec eis ſuperuenit Spiritus S. tum poſt Pentecoſten Monachi eſſe deſierunt: poſtquam in diſperſione per totum orbem à ſe inuicem fuerunt ſeparati. Ne- Matth.28. Marc.16. Actor.1. Actor.1.

que aliæ rationes ſatis militant pro Monachiſmo. Nam quòd deſeruerunt omnia, & pauperes fuerunt, non Monachiſmum ſectati ſunt, ſed cœleſti vocationi obedierunt. Quòd autem in primitiua Eccleſia credentes vendiderunt ſuas facultates, & habuerunt omnia communia, exemplum eſt perſonale, inſtituti per ſe indifferentis & temporarij, quod tantùm abeſt, vt approbet votum paupertatis Monachorum, vt potius cum eo ex diametro pugnet. Hi enim vouent paupertatem perpetuam: illi autem nec vouerunt paupertatem, nec inſtitutum eorum fuit perpetuum. Horum multi facultates ſuas ita deſerunt, vt mendicitate quærant victum, vnde Mendicantes appellantur: illi autem ſuas facultates ita contulerunt, vt nullus eſſet inter illos egens aut mendicus. Denique hi vouent ſuam paupertatem, vt ſatisfaciant pro peccatis hominum, & mereantur vitam æternam: illi autem antè habuerunt remiſſionem peccatorum, & meritum æternæ vitæ in Chriſto filio Dei per fidem, priuſquam ſua in commune contulerunt.

IESVITA.

Lib. 4. ca. 8. Par. 6. *Auguſtinum fuiſſe Monachum, & Monachorum inſtitutorem.*

CHRISTIANVS.

DE

DE hac poſitione verbum non faciam: cùm ex ſolis Scripturis confutandos errores Torrenſis ſuſceperim. Et quia Eraſmi cenſuram floccipendis, remitto te ad libellum Iacobi VVimphelingi, ante ſexaginta annos æditum: in quo non contemnendis argumentis probat, Auguſtinum neque Fratrem (vtor enim ipſius verbis) neque Monachum cuculla indutum vnquam fuiſſe, & eneruat iacula blaterantium, Monachũ fuiſſe Auguſtinum: & oſtendit, falſum eſſe hoc prouerbium: Scientia latet in cucullis, excludendo ſeculares: & demonſtrat, maximos ac profundiſſimos Theologos fuiſſe ſeculares, nulla vnquam cuculla indutos.

IESVITA.

Facultates ſuas relinquere propter Chriſtum, conſilij eſſe Euangelici, & meriti ſingularis. Lib. 4. cap 8. Parag. 8.

CHRISTIANVS.

NOn facultates tantùm, ſed vitam etiam amittere potius, quàm contra vocationem Dei pecces, præceptum eſt, non conſilium. Abiicere autem facultates ſeu vitam, abſque certa Dei vocatione, nec præceptum nec conſultum eſt. Nam quòd Chriſtus ad diuitẽ, iactãtem, ſe omnia præcepta Dei à iuuentute obſeruaſſe, dicit: Si vis

eſſe perfectus, vade, vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus: non dat ei arbitrarium conſilium, ſed ſerium præceptum: cui cùm non obſequitur, pronunciatur regno cœlorum indignus: nec imponit ei aliquod maius & præſtantius opus vera & perfecta dilectione Dei & proximi faciendum (nam pars huius dilectionis eſt, omnia commoda gloriæ Dei & ſaluti proximi poſtponere) ſed proponit ei notam, qua manifeſtè probet, ſe, quod iactabat, Deum ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſum diligere. Nō igitur eſt pręceptum generale: ſed tātùm perſonale, accommodatum homini turgido & inflato perſuaſione propriæ iuſtitiæ, & ſingularis cuiuſdā perfectionis, à qua eum longè abeſſe mox apparebat, cùm triſtis abiret, nudata quę antea latebat, inſigni hypocriſi. Quæ in noſtris etiam Monachis haud obſcurè deprehenditur. Nam facultates ſuas ita deſerunt, vt collatis ijs, quæ plærumque exiguæ ſunt, in commune & opulentum quoddam Monaſterium, non paupertatem ſectentur, ſed de certiore & copioſiore victu ſibi proſpiciant. Qui qualis ſit coram Deo cultus, ipſi fœneratores & vſurarij vident, ſi non prorſus nihil vident.

IESVITA.

Lib. 8. cap. 8. Parag. 10

Monachos Apoſtatas eſſe damnandos.

CHRISTIANVS.

SI Apoſtatas, vt ſoles, nominas, qui votum Deo nuncupatum in Baptiſmate, malunt, quàm id quod homini incōſultè & impiè præſti-

præſtiterunt, cum offenſione Dei & læſione conſcientiæ, & iactura æternæ ſalutis, ſeruare: Apoſtatæ quidem nominari poſſunt, ab ijs qui Paulum ipſum Apoſtatam & hæreticum vocare non erubeſcunt: damnari autem ſano iudicio veræ Eccleſiæ non poſſunt. Ac tantò beatiores ſunt, quantò pluribus probris onerantur propter Chriſtum à mentientibus. Sin Apoſtatæ ſunt ij, qui à fide Deo data deficiunt, qui vota ſua Baptiſmati æquant: qui Ordinarijs ſuis, iuxta Chalcedonenſis Oecumenici Concilij Canones, non ſubſunt: qui non ſolitudines, ſed populoſiſſimas quaſque vrbes habitant: qui non in ſuis tuguriolis latent, ſed ſuperbiſſima palatia incolunt: qui non manuum labore victitant, ſed omnes labores adeò fugitant, vt etiam in ocio ſalutem collocent: qui non parcè ac frugaliter viuunt, ſed gulæ & vino ita dediti ſunt, vt amphoras potius quàm homines referant: quorum κοινόβια non virtutum & eruditionis ἀσκητήρια, ſed ſuperſtitionis, ignorantiæ, inuidiæ, ebrietatis, & fœdiſſimarum libidinum officinæ & ganeonũ luſtra ſunt: deniq; qui quaſi alteri quidã Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, hoc Mileſium pro Lege habent: Nemo noſtrûm frugi eſto. Si vnquam hi Apoſtatæ ſunt, vt verè ſunt, ſua ſibi conuitia reſeruet Torrenſis, nec Apoſtatas nominet eos, quos, niſi ab iſtis fraterculis deficerent, à Deo deficere oporteret. Nec damnet eos, qui, niſi ab iſtis diſcederent, ſaluari non poſſent. Nota enim ſunt ſeueriſſima mandata: Fugite idola, Fugite è Babylone. Exite de illa populus meus, ne participes ſitis delictorum eius & de plagis eius ne accipiatis. Nam vt locum de Monachis, hoc eſt, de grege bipedum porcorum, tandẽ cõcludamus, ſeueriſſima comminatio extat apud Sophoniã cõtra

1. Ioann. 5. Ierem. 51 Apoca. 18

Sopho. 1.

Sophon.1. Monachos: Diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina Camarim (id eſt, Monachorum) cũ Sacerdotibus. Et apud Matthæum: Omnis plantatio, (Matth.15.) quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur: Qui ergò nolunt cum Monachis & Sacrificulis diſperdi & eradicari, remis velíſque ab aris & haris eorum fugiant, ſéque ad Eccleſiam filii Dei aggregẽt, ne cũ Monachis aliquãdo μόνον ἄχος fletum & ſtridorem dentium experiantur: ſed cum Chriſto ſponſo verę Eccleſiæ ad æterna gaudia intromittantur.

Lib.4.cap. 9.10.11. & 12. QVæ in Poſitionibus Torrenſis ſequuntur de variis ceremoniis Eccleſiaſticis & conſuetudinibus, locorum, perſonarum, temporum: ea partim in controuerſiam à nobis non vocãtur: partim ſunt chaos quoddam vel anilium delyriorum, vel puerilium geſticulationum, vel Monaſticarum ſuperſtitionum: in quibus diu commorari non libet, ne pupparũ luſu delectari videamur. Qualia ſunt, de ſigno crucis pingendo in frontibus, de benedicendis & inungẽdis altaribus, de peregrinationibus ad loca ſancta, de Diaconorum Dalmatica & Alba, de Sanctimonialium & Viduarum conſecratione ſeu profeſſione, de Monachorum & Monialium veſtibus, de coma Clericorum & Monachorum, de diebus lugubribus & lætis in Eccleſia, de cantu & ſilentio Alleluia, & ſimilibus ocioſis ac ludicris ceremoniis ſcenæ Pontificiæ inſeruiẽtibus. Nam quid de his diu multúmque diſſerere opus eſt, quæ Paulus omnia refert inter egena elementa mundi, inter hypocritarum δογματισμῆς & ἐθελοθρησκείας, inter præcepta & doctrinas (Coloſſ.2.) hominum, qui nobis palmam interuertere cupiãt, data opera, per humilitatem & ſuperſtitionẽ Angelorum

gelorum,in iis quæ non viderunt, faſtuoſè incedentes,fruſtrà inflati à mente carnis ſuæ, nec obtinentes caput,ex quo totum corpus per commiſſuras & compagines ſubminiſtratum & compactum augeſcit augmento Dei? Quibus verbis Ieſuitas ita depinxit, vt nullo penicillo melius potuerit. Admonet autem nos ibidem per Chriſtum acquiſitæ libertatis, ne quis nos iudicet in cibo aut potu,aut in parte diei feſti, aut nouilunii, aut Sabbathorum,quæ ſunt vmbra rerũ futurarũ,corpus autẽ Chriſti:neque patiamur nos, poſteaquã mortui ſumus cum Chriſto ab elementis mundi, adhuc quaſi viuẽtes in mũdo decretis iſtis teneri. In libertate igitur,qua Chriſtus nos liberauit,ſtemus,& ne rurſus iugo ſeruitutis implicemur. Doctrinis variis ac peregrinis ne circũferamur: ſed gratia Dei,ac verbo gratię & veritatis ita ſtabiliamus cor,vt non modò verſipelliũ Ieſuitarum Sophiſmatibus ſed ipſis etiam Angelis, aliud Euangelion præter id quod prædicatum nobis eſt,prędicantibus,non credat vel cedat: ſed aduerſus omnes aſſultus diaboli,& aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus ita conſiſtat, vt fortiter vincamus & triumphemus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Gal.5. Heb.13. Gal.1. Epheſ.6.

Epilogus ad lectorem.

HAbes, Chriſtiane lector, examen Chriſtianum & Catholicum, impiarum & hæreticarum Propoſitionum,quas Torrenſis Ieſuita affinxit & appinxit ad Confeſſionem, nomine Auguſtinianam,re Ieſuiticam. Quæ quanquam τηλαυγεῖ προσώπῳ Auguſtanæ quaſi ex aduerſo opponitur: tamen cùm non ex Deo, vt Auguſtana, ſed

ex hominibus ſit, facilè diſſoluetur: præſertim cùm mendacium, quod ſeipſum deſtruere ſolet magnam eius partem occupet. Nam & Auguſtinus plæraque opuſcula, quæ hîc ſub eius nomine ex Poſſidonii indiculo & æditione Pariſienſi allegantur, nunquam vidit, nedum ſcripſerit: & quæ ſcripſit, animo ſcripſit Chriſtiano, non Ieſuitico, eàque ita vt ſcripta ſunt, intelligi voluit & orauit: neque ſibi pronunciata Torrenſica, tanquam anteceptas & conceſſas hypotheſes, ſeu Mathematicorum αἰτήματα, præſcribi vnquam voluit: ſed ſolis Scripturis Canonicis eum honorem detulit, vt earum autoritati cederet: abſque his ne Stridonienſem quidem, nedum Torrenſem, Hieronymum audire ſuſtinuit. Sed nec ſcoriis, ſcholiis inquam Ieſuiticis: argentum fidei & Confeſſionis ſuæ obduci æquo animo tuliſſet, ſi quis ſe viuo id tentaſſet, quod in cineres ſibi licenter ſumunt Ieſuitæ. Iuriſconſultorum celebris regula eſt: Non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem: Id qua fide, qua perfidia commiſerit Torrenſis, iudicet lector, non obcæcatus ſtudio partium. Fatebitur certè, ſi è mortuis ad nos rediret Auguſtinus, iſtam Ieſuiticam & Torrenſicam Confuſionem nequaquã agnoſceret pro ſua Confeſſione: ſed Torrenſem clamaret eſſe calumniatorem, Sycophãtam, & collectorem Rhapſodum, iudicii corrupti, fidei nequaquam integræ. Quòd ſi Torrenſis & ego de diſceptatore & iudice controuerſiarum noſtrarum quæreremus, reſponſurus eſſet nobis: Quis neſciat ſanctam Scripturam Canonicam tàm veteris quàm noui Teſtamenti certis ſuis terminis contineri, eámque omniũ poſteriorum libris Epiſcoporum ita præponi, vt de illa omninò diſceptari & dubitari non poſſit, vtrum verum

Auguſt. Tom. 7. contra Donatiſtas. De Bapt.

verum vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Ac nihil ferè de obſcuritatibus Scripturæ eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. In libris his (Scripturæ) timentes Deum & pietate manſueti, quærunt voluntatem Dei. Non igitur afferatis (diceret idem) stateras doloſas, vbi appendatis, quod vultis, & quomodo vultis pro arbitrio veſtro, dicentes, hoc graue, hoc leue eſt: ſed afferatis diuinā ſtaterā de Scripturis ſanctis, tanquā de theſauris dominicis, & in illa quid ſit grauius appendatis: imò non appēdatis, ſed à Domino appenſa recognoſcatis. Sic Auguſtinus moneret & iuberet, niſi à ſe ipſe diſſentire vellet. Illam ergo ſtateram ego in hoc libello meo protuli in medium, hîc à Domino appenſa recognoui: hic Torrenſem cum ſuis Poſitionibus appendi: & inuentus eſt minus habens. Ponderatus eſt in trutina Verbi Dei, & repertus eſt leuior. Quòd ſi congredi poſthâc mecum voluerit, ad hanc ſtateram, ad has lances, ad hæc pondo, ad hoc momentum & æquilibrium diligenter reſpiciat: & ſi veritatem Euangelicam mendacio Papiſtico pręponderare videbit, hanc ſaltem Ethnicæ ingenuitatis micam habeat, vt dicat, vel animo ſaltem ſuo concipiat: Forte eſt mendacium, ſed fortior veritas. Ac niſi apertiſſimas meas Scripturas per Scripturas confutauerit (quod tùm faciet, cùm Diabolus eſſe probus inceperit) per ſuum putidum os & impias fauces reſorbeat ſuum illud quod euomuit Satanicum mendacium: Nulla eſſe apud nos principia: regulam cerni nullam, præter plumbeam illam & Lesbiam, quæ ad omnem figuram ſoleat inflecti. Heus tu Torrenſis, ſi bonus vir es, ſi pius Theologus es, ſi de tua fide certus es, in aperto campo Scripturarum mecum congreditor: ac ſi ex Scripturis in-

lib. 2. ca. 3. De doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 6. Eodem cap. 9. De Baptiſ. contra Donat. lib. 2. ca. 6

corruptis omnia tua Cacolyca Pronunciata probaueris, vera eſto vniuerſa Ieſuitarum religio: ſancta eſto tota eorum vita: certa eſto eorum ſalus atque beatitudo. Sin id non potueris: Ordo veſter impius, ſceleratus, maledictus & damnatus in omnem æternitatem habetor.

BREVE COLLOQVIVM IESVITICUM,

cum, toti orbi Chriſtiano, ad rectè cognoſcendã, hactenus non ſatis perſpectam Ieſuitarum religionem, vtiliſſimum: habitum à ſacræ Theologiæ Doctore & profeſſore, Paulo Florenio, cum Chriſtiano Francken Philoſophiæ Profeſſore in Cæſareo Ieſuitarum Gymnaſio Viennæ, Anno 1578. *xx. Ianuarij.*

CVM ſingularis viri, & propè diuini, Pauli Florenii tempus adeſſet, quo ex peruerſa Ieſuitarum ſodalitate, ad communem hominum ſocietatẽ remigraret: nóſque illo ipſo tempore ſoli eſſemus, tum ille: Videtur mihi, inquit, Chriſtiane, rem omnem ſincerius & ſubtilius contemplanti, noſtra hæc, in qua verſamur, religio Ieſuitica, tota ex ſuperſtitione, hypocriſi, & ficta quadã, pictáque ſanctitate conflata, vltimáque hac mundi ſenectute à diabolo excitata: quæ omnes errores, nugas & ſuperſtitiones: quæ, vno vt verbo dicam, minus honeſto quidem, & quo ſanè inuitus vtor, ſed huic rei aptiſſimo, planéque neceſſario, quæ inquam omnia turpiſsima Papæ ſtercora, tum grauiter per ſe olentia, tum verò hoc tempore, quo à curioſis pleriſque & eruditis viris crebrò cõmouentur, multò magis fœtentia, ſanctitatis iam quadam ſimulatione condita, temperatáve, mæandríſque, neſcio quibus, inuoluta, orbi Chriſtiano iterum vẽderet pro aromatis, atque adeò per vim fermè quandam obtruderet: vt nihil tam turpe,

fœdum & falſum in Romana Eccleſia cernatur, quod hæc nouo non artificio, vel mentis aciem præſtringendo, vel omnem turpitudinem & falſitatem callidè tegendo, pulchrum apparere faceret, atque verum. Quare conſiderandum nobis etiam atque etiam, cenſeo: in quánam religione verſemur, ne hanc eſſe falſam ignorantes, & ipſi à Deo ignoremur: Deinde verò, quod præclarus ille

Ierem. 51. vates Ieremias iubet, faciendum: Fugite, inquit, de medio Babylonis, vt ſaluet vnuſquiſque animã ſuam. Itáne verò, inquam, Paule, omnium tu ſanctiſsimam & doctiſsimam religionem fictam eſſe putas, & falſam? Atqui ego vel hanc eſſe verã exiſtimo, proindéque in eadem nobis, tanquam legi-

1. Cor. 7. tima in vocatione noſtra, iuxta Apoſtoli doctrinã, permanendum, nec latum ab ea vnguem diſcedẽdum; vel omnes, quæ vbique ſunt, falſas eſſe religiones: quapropter velis, vt aiunt, remiſque fugiendas.

Tum Paulus, Idem mihi, inquit, Chriſtiane, necdum hanc religionem ingreſſo videbatur: eadémque de cauſa, è blandientis mundi huius, ex amplexúque me ſuo dimittere nolentis, erupi tandem brachiis: quaſíque currens, ad Societatem IESV, tanquam ad omnium ſanctiſsimam, Deo gratiſsimam, animæ meæ vtiliſsimam religionem, veni: ſed veram nunc in ea, & ſinceram ſanctitatẽ quærens, non niſi (heu mihi) fucatam, & ſimulatam inuenio.

Hoc autem non odio me, vel maleuolentia, inductum confingere, ſed ab ipſa conuictum veritate, & coactum eſſe dicere videbis, euidentiſsiméque palpabis, ſi ad ipſa ſtatim mecum Societatis fundamenta penetrans, relictáque omni voluntaria, vel, vt noſtri vocant, ſancta ſimplicitate, animíve cæcitate, purum rationis lumen tecum afferas:

ſtas: ſique claro & ſincero, non autem præſtigiis Ieſuiticis cæcato animo ea intuens, omnem fucum & fallaciam cernere queas.

Quod ſi, vt ſpero, facis: non dubito, quin iã nunc ex iis, quæ in quauis noſtra probationis domo, ad erudiendos, & iuxta normam Societatis inſtituẽdos nouitios iaciuntur, ſpiritualibus fundamentis intelligas: neminem prorſus huic eſſe religioni aptum, niſi qui vel naturalem quandam, vel ſeruili educatione acquiſitam, vel ſtupore quodam animi arreptam propenſionem habeat, ad hypocriſim & ſuperſtitionem: nempe qui manifeſta quadam oris pietate, vultúſque totius benignitate deuotionem, quam vocant, ſciat ſuam prodere in propatulo, quam tamen Chriſtus abſcondere iuſsit in cubiculo: quíve publicè orans, non aliter ac Phariſæus ieiunans, faciem nouerit ſuam exterminare: quæ cùm veriſsima ſit hypocriſis, à noſtris tamen ædificatio appellatur, & deuotio. Equidem hoc eſſe Societatis noſtræ fundamentum, indies magis magíſque perſpicio, atque valde etiam deploro: neque prius animus conquieſcet meus, quã ex his ſordibus emerſero. Tu verò ſi diuturna conſuetudine quaſi altera natura impeditus, illud fortaſsis necdum vides, efficiam profectò, vt vel ſolo id tactu, ſenſuum omnium ſtupidiſsimo illo quidem, ſed ſinceriſsimo, & qui minimè deprauari poſsit, cognoſcas. Matt. 6

Fateor ſanè, inquam, Paule me iſta nondum videre: quare ſi tenebris me Ieſuïticis circumfuſum arbitraris, fac, ſi potes, tactu ſaltem cuiuſmodi ea ſint, vt cognoſcã. Atque ille accede igitur, inquit, iam propius, memoriáque quaſi manu tãge omnẽ, quam partim in teipſo, partim in aliis Ieſuitis es hactenus expertus ſanctitatem: eámque diligenter cum ſingulorum ſimul naturis, Italicis, Hiſpanicis,

Gallicis,Germanicis:ingenioſis, vel ſtolidis:ingenuis,vel ſeruilibus diligenter ponderans explorato,ſic tandē,ſcio,ſtatues:in Hiſpanis & Italis multò te ſemper plura & maiora Ieſuiticæ ſanctitatis inſignia notaſſe,atque obſeruaſſe,quàm in Germanis,Gallis,& aliis nationibus:in ſtolidis autem & ſeruilibus hominibus multò adhuc plura & maiora,quàm in ingenuis & ingenioſis.

Cauſam autem huius rei, in Hiſpanis quidem, nullam aliam reperies, niſi ſeruilem in Chriſtiana religione educationem. Tanta enim in Hiſpania, vt ſcis, de fide Romana in ſingulos fit inquiſitio: támque arcta,ne inde auolet, ſepta tenetur cuſtodia,vt niſi ipſi filij ad parentes ſuos αἱρέτικως damnatos exurendos, allato propria ex domo lignorum faſciculo,carnificem adiuuent, ipſique propemodum parentum carnifices exiſtant,hæretici ferè ab omnibus iudicentur, eodémque digni ſupplicio cenſeantur. Ex quo certè cognoſcis, neceſſe eſſe Hiſpanos ſuperſtitioſos euadere, actus religionis externos multiplicare, & vel mortuos fidem Romanam ſpirare:ne ſi minus multa religionis ſuę ſigna dederint,ſuſpecti de fide reddantur, & in tertiam vſque & quartam generationem crudeliſſimè puniantur. In hac igitur infinita animi ſeruitute nata,educata,inſtituta natio Hiſpanica,per ſe feruens, & cholerica, qui poteſt non fieri ſua in religione feruentiſſima, vel,ſi mauis, ſanctiſſima? imò qui non ipſe diabolus ſi Hiſpanicę inquiſitio-
2. Cor.11. nis eſſet capax, ſemper ſe in angelum lucis transfigurare,aliquémque acquirere Romanæ ſanctitatis habitum cogeretur? Hoc ex fonte profluxit Ignatius de Loyola, qui miles Gallorum virtute in arce Pompeiopolitana victus: ipſe verò ſuperſtitione omnes vincens,factus eſt pater Ieſuitarum,quibus viciſſim Gallos, nec non totum orbem expugnaret

gnaret terrarum. In Italis verò frequentes illos religionis externos actus oriri deprehendes, ex naturali quadam ad hypocriſim & ſuperſtitionem inclinatione: quippe qui, vt ex omnibus ferè ſuis ipſorum monimentis conſtat, ſemper fuerint, ſintque ad Deorum multitudinem colendam, & ad omnem Idololatriam propenſiſſimi: facilè vt appareat, ex hoc eos fornicationis poculo permulta in religionem Chriſtianam transfudiſſe: eámque fermè totam veneno mortifero infeciſſe. Quo veneno adhuc maxima pars orbis Chriſtiani, ſuauitate, dulcedine, antiquitate & pulchritudine ipſius illecta deceptáque inebriatur, dum quotidie de ſua ſolicita ſalute ad multitudinem Romanorum confugit Deorum, nimirum & ad innumeros ſanctos à Pontificibus Romanis Deorum loco ethnicorum inductos, ad inuocandúmque propoſitos, atque hos etiam eoſdem, ſi non reipſa, at nominibus multiplicatos: & ad plurimas Deas, ſeu ſanctas, in quibus proculdubio loco Cereris, quam Romanæ mulieres facibus accenſis religioſiſſimè colebant, Virgo Maria tum eſt conſtituta, cùm feſtum luminarium ſeu Purificationis eſt inſtitutum: cúmque ad augendam idololatriam, hæc ipſa ſolenitas in menſem potiſſimum Februarium eſt cóiecta: quo tempore priſci Romani Februa celebrabant ſua, totámque vrbem februare, id eſt, luſtrare, ſeu purgare ſolebant. Siquidem omnis tunc populus, vt Romani ſcriptores teſtantur, pro impetranda defunctorum animabus quiete, piaculis, ſacrificiiſque circa ſepulchra, facibus accenſis, cæreiſque intentus erat. Ad hãc idololatriam ſacram deinde ſcripturam per ſe venire nolentem quaſi per crines attraxerunt: & fortaſſis aliquem etiam eiuſmodi librum inuentum, ex quo hæc quoquo modo deduci, probaríque poſſit, canonicum fecé-

Apoc. 17.

Varro lib. 1. de vita pop. Romani. Macrobius libr. 1. Saturnaliorum cap. 13. Ouid. 2. & 4. Faſt.

runt,vt ex ea omnino articulus fieret fidei: in quo defendendo,vt in multis aliis,omnes Romanæ Eccleſię Doctores,vel ſomniatores potius mirandum in modum,ſed fruſtrà deſudant:tandémque excogitandis, inquirendíſque quotidie nouis rationibus,cùm nihil ſe proficere videāt, ad traditionem Eccleſiaſticam,tanquam extremam ad anchoram, vnicúmque portum ſalutis confugiunt. Cum tamen illa ipſa traditio maxima ex parte, præcipuo Idolo Romano,magnitudine ſua ad cœlum vſque pertingente, imò ad venerandam & tremendam Trinitatem,triplici,quam geſtat,corona, triplicíque,quam omnes ad ipſum accedentes faciunt,genuflexione, ſeſe erigente,fulciatur. Nec verò vlla ego alia de cauſa Germanos & Bohemos ſuapte natura ad omnem pietatem propendentes,tam facilè à Romana deſciuiſſe arbitror Eccleſia, quàm quod ipſi ob inſitam ſibi grauitatem, morúmque honeſtatem, ab omni idolorum & ceremoniarum multitudine, ab omníque geſticulationum & ſuperſtitionum leuitate, Italorum propria, ſemper abhorruerint, adhúcque abhorreant. quanquam hac tamen Idololatria,& leuitate non per paucos annos ſeſe contaminarunt, inducti idoli Romani authoritate,nunquámque fallente, quam ſemper ſe poſſidere prædicaret,veritate. Quòd ſi nonnulli ſpecioſo Hieronymi,Ambroſij,Auguſtini, Bernardi,Thomæ Aquinatis,& aliorum nomine ſanctorum per noſtros Ieſuitas commoti ad priſtinam abominationem reuertantur:hi certè vel indocti, & inexperti ſunt iuuenes,vel minus prudentes & intelligentes viri:qui confuſo quodam ſanctitatis, & doctrinæ rumore ipſi quoque confuſi, cernere non valent:quòd,quoniam iſti, quos dixi Patres, Romanum Pontificem Deum terrenum fecerunt, ſummam inter omnes homines poteſtatē, & perpetuam

petuam doctrinæ veritatem illi alligando, viciſſim eis Romanus hic Deus ſanctitatis quoddam donatum, & alligatum voluerit nomen : vt tanta illa, támque ſuæ dignitati, ne dicã vanitati, ſeruiẽs doctrina, nõ humana, ſed diuina voce fuſa videretur, eáq; ipſe ſemper fretus quoſuis nobis fidei poſſet articulos condere. Seruiles denique & ſtolidos homines, (hi enim in noſtra illa diuiſione nobis reſtant) quis non videt eam ipſam ob cauſam, & facilimè arripere, & pertinaciſſimè retinere ſtolidã hanc, & ſeruilem, ſibíque naturaliter conuenientẽ religionem? Sed hoc tu optimè intelligis, qui non ita multis, ſi meminiſti, abhinc diebus, dolorem mihi tuum, ex ruſticis collegij huius & ſtolidis moribus acceptum, communicaſti, cùm non ſine tui aliqua commiſeratione ex te audirem : te poſtea quàm ex Italia in Germaniam eſſes reuerſus, acerbiſſimis exagitatum animi doloribus, citiſſimam tibi ſæpe mortem exoptaſſe, ne quid contra tuam facere vocationem cogerêre, quam vehemẽter infringeret & labefactaret ea cogitatio, & experientia: quòd in iſtis partibus Societatem Iesv non ingrederetur, vel certè non remaneret, niſi fæx hominum, quæ vix rationis ſit capax, nedum veræ pietatis & religionis: cui tamen, quòd multitudine vincat, te in omnibus conformare debeas, ſi externa velis pace, ſimúlque interna tranquillitate animi frui. Bene igitur habet, cognita ſũt noſtræ religionis fundamenta: ad ipſum nunc corpus Societatis pergamus, quod cuiuſmodi ſit, non eſt iam difficile ex ſuis quaſi principiis, cauſiſque cognoſcere. Nam cùm Societas noſtra, quę Iesv cognomentum impudentiſſimè ſibi arrogat, ex eiuſmodi hypocritarum, & ſuperſtitioſorum hominũ colluuie conſtet, phariſaica erit potius dicenda

religio, quæ tamen IESV, vt dixi, pulcherrimo veſtita ſit nomine, vt miſeri mortales iam non ſolùm
Matth. 7. ſub veſtimentis ouium, ſed etiam ſub diuinitatis ornamento ſalutis ſuæ latitantes inſidiatores ha-
Matt. 24. berent: vt etiam, ſi fieri poſſit, electi, nihil in tanto veritatis nomine ſubeſſe ſuſpicantes falſi, in errorem inducerentur.

Totum autem corpus Societatis præter Generalē, qui ordinis huius eſt caput, & Coryphęus, ſex omnino hominum genera complectitur: quorum primi ſunt quatuor votorum profeſſi: alteri, trium votorum profeſſi: tertij, Coadiutores ſpirituales: quarti, Coadiutores temporales: quinti, Scholaſtici: ſexti, nouitij. Quatuor votorum Profeſſi ita appellantur, quòd præter tria communia Paupertatis, caſtitatis & obedientiæ vota, peculiariter vouent: & Pontifici Romano obedientiam, in diſſeminandis nimirum & propagandis totum per orbem terrarum, cùm ipſe iuſſerit, Romanæ Eccleſiæ erroribus & ſuperſtitionibus, non petito viatico: & Patri Generali abnegationem honorum, ne ſcilicet fieri extra Societatem Cardinales velint, & tamen hoc ipſo nomine fiunt Cardinales in Societate: ex quibus Generalis, ipſorum Papa, eligatur: quibus tanquam cardinibus tota Societas vertatur: qui habeant exiſtimationem doctrinæ, & ſanctitatis: ſicque vana & ſtulta Societas, dum ambitionem ſe fugere putat, vel diſſimulat, in ipſam ambitionem incurrit. Non ſecus ac vani illi, de quibus Cicero meminit, Philoſophi, qui iis ipſis libris, quos de contemnenda gloria ſcribebant, in illis nomina inſcribentes ſua, inanem gloriam aucupabantur.

In primo Tuſculanarum quæſtionum libro.

Trium verò votorum Profeſſi ſunt in ſocietate Epiſcopi. nam hic gradus cùm in aliis religionibus

bus à ſimplici ſacerdotio nõ ſeparetur, ſed iidem, qui ſacerdotes, fiant quoque Profeſſi: in noſtra tamen religione ab eo ſeiungitur quò nimirum altior, maiórque appareret, ſi multis annis primum poſt Sacerdotium, ad Profeſſionem, tanquam ad Epiſcopatum concederetur aſcenſus. Quibus ſanè gradibus ſatis ſupérque nobis demonſtrant, ſe turpem ambitionis ſpeciem in pulcherrimum, ſpecioſiſſimúmue inanis gloriæ ſimulachrum cõmutaſſe: quod pulchritudine ſua omnes mortales cõmoueret, plurimos etiam alliceret, & retineret apud ſeſe.

Cùm ſi acri mentis acie, externam hanc formã, figurámque penetrantes, interiora eius viderent, proculdubiò beſtiam ibi illam ſecundam, quæ adorari faciat primam, latitantem inuenirent. Apoc. 13.

Per primam beſtiam Pontificem Romanum intelligo, qui ob ſecularem, quam ſibi vſurpat, poteſtatem, veriſſimus eſt Antichriſtus: quémque Societas noſtra per vniuerſum iam ferè mundum adorari facit, ſempérque vt faciat, ſe quarto illo ſuo, & peculiari voto obſtrinxit. Illud autem quod Matt. 24. Seruator noſter, & dilectus ipſius diſcipulus Io- Apoc. 13. hannes, & Propheta Daniel de breui dicunt Anti- Daniel. 9. chriſti tempore, de vltima eſt perſecutione intelligendum: quæ tunc erit, cùm bellua illa Germaniam, Bohemiam, atque alia imperia ſibi nuper erepta, per ſecundam hanc beſtiam, Societatem noſtram, aliqua ex parte recuperauerit: multáque alia regna per eandem ſibi adiecta viderit. Tunc Daniel. 8. enim diuitiis aucta magnificabit cor ſuum, & contra Principem Principum conſurget, & ſine manu conteretur.

Coadiutores ſpirituales (quo nomine omnes Sacerdotes, Theologiæ ac Philoſophiæ Profeſſores,

& artium inferiorum Præceptores non profeſſi comprehenduntur) nuncupatis prius paupertatis, caſtitatis & obedientiæ votis, beſtiam hanc adiuuant in peruertendis & traducendis ad primam belluam animabus: qua in re quò quiſque aptior & diligentior extiterit, eò citius ad profeſſionem admiſſus membrum huius monſtri efficitur.

Coadiutores verò temporales corpus huius beſtiæ curant, victum atque amictum ei præparantes, omniáque negocia domeſtica tractantes.

Scholaſtici denique & nouitij in eum finem domi aluntur, ne monſtrum hoc tandem deficiat aliquando: ſed vt putreſcentibus veteribus membris in recentiorbus ſemper & nouis conſeruetur.

Porrò autem ad perpetuò occultandam, conſeruandam & augendam ſuperſtitionem & idololatriam beſtia hæc catulis ſuis intellectum (ſi quẽ habent) ipſúmque ſenſum ligat: dum monet & mandat ſeriò, vt ea quæ ſuperior iubet, cæca obedientia perficiant: quæque ipſe facit, cæco iudicio pertranſeant, non conſiderantes an bonum vel vtile ſit nécne quod præcipitur: quãdoquidem omnis eiuſmodi cogitatio meritum tollit, & valorẽ obedientiæ. Qua quidem in re Societas Canoniſtas imitatur, pernicioſiſſimos Summorum Pontificum adulatores, & mundi totius ſeductores. Hi enim orbi Chriſtiano quondam perſuaſerũt, Romanum Pontificem tantæ eſſe dignitatis & authoritatis, vt, etiamſi totum ille mundum deſtrueret, nemo tamen ex ipſo diabolici huius facti vel poſſet, vel quærere deberet rationem. Sic prorſus, imò multo peius ſuos Societas alumnos inſtituit, cùm docet: quæque Superior iubet, quæque ipſe facit, non ſolùm iudicanda non eſſe (multò verò minus reprehendenda) ſed etiam tanquam bona & ſan-

[Margin: In epiſt. pat. Ignatij de Loyola quæ ſingulis menſib. legitur ad menſam.]

[Margin: Diſtinct. 40. cap. Si Pap.]

cta

ℓta (vt Patris noſtri Ignatij verbis vtar) præſuppo-nenda. Quò nimirum omnis tandem ſtultitia, idololatria, & ſuperſtitio Sanctitatis nomen obtineant, locóque reliquiarum Societatis colantur. Ac mihi quidem videor ſatis te ad cognoſcendam & palpandam religionem noſtram circumduxiſſe: neque dubito, quin iam tandem intelligas, quàm grauiter in hoc vitæ genere deligēdo decepti ſimus: quámque facilè nobis, ſi ab eodem receſſerimus, ſit ignoſcendum. In eadem epiſtola.

Horrenda ſunt, inquam, iſta Paule, & quidē ipſe ſæpe iſtiuſmodi viſus ſum in Italia monſtra videre: ſed intellectum, vt conſtitutiones noſtræ iubēt, excæcans meum, illa à diabolo conficta imaginabar, qui circuiret quærens, quemadmodum mea me vocatione priuaret, pérque huius amiſſionem in miſeriam protruderet ſempiternam. Itaque abominandis tu portentis potius, quàm fortiſſimis fretus argumentis, & primam vocationem noſtram, & Eccleſiam Romanam conuellere conaris: quod tibi vni ſi concedam, non video, cur idem ſingulis ſectis omnium aliorum religionem contemnentibus non concedendum foret: cùm nihil non ex ſacra ſcriptura à quouis vt ſibi placet intellecta probari poſſe videatur. Sed tamen quia valde probabilia, quæ de iſtis monſtris commemoraſti, ſunt omnia: reliqua verò euidentiſſima etiam, ipſúmque ſenſum conuincentia, in hiſce tibi, homini omnium, meo iudicio, Ieſuitarum doctiſſimo & ingenioſiſſimo, non repugnabo: quin etiam excitare & excutere conabor, quam præſtigiis tu Ieſuiticis obſcuratam dicebas, & deprauatam intelligentiam meam, complicatámque animi mei de Societate IESV notionem euoluere, vt latius deinde explices, quænam ſit

ſpecies,forma atque notio veri Ieſuitæ, quem orbis Chriſtianus tantopere admiratur ac ſuſpicit. Vt autem tuo more ad ipſa me ſtatim Societatis fundamenta conuertam,quàm varia mihi hæc variis temporibus viſa ſint,accipe. Diuina prorſus, mihi crede,primis diebus eſſe iudicabam Societatis primordia:mihíque non amplius in terris, ſed verſari videbar in cœlis:quòd idem omnibus noſtris nouitiis, vel certè plurimis vſu venire puto. Nam tanta quotidianarum de rebus diuinis noſtrarum vis eſt meditationum,vt homo veluti denuò natus, non quidem vt antè à naturalibus parentibus,ſed à ſocietate IESV velut Inieſuanatus, non aliter ac Chriſtus à Spiritu ſancto incarnatus, videatur. Teſtatur hoc tota fermè hominis quaſi deificata natura:quippe quæ ab eo tempore, quo huiuſmodi ſeſe dedit meditationibus, à corporis obſequio, indulgentiáque quàm longiſſimè recedit:carnis ſocietatem flagris, aliiſque voluntariis corporis ſuppliciis eiicit:voluptatem ſicut labem aliquam dedecoris opprimit: imaginem Domini DEI noſtri(vt decimaoctaua noſtra iubet regula) in quouis ſuo ſpirituali fratre agnoſcit: nec non deſpicit,contemnit, próque nihilo putat diuitias, honores,atque omnia,quæ vulgò ducũtur ampliſſima.Et hęc primo anno mea fuit de Societate IESV,firma ſanè,& conſtans perſuaſio.

In commentario de reb. Indicis & Iaponicis anno 1574. Coloniæ edito. fol.241. & 424.

Altero verò anno cum caſu in literas noſtras Iaponicas incidiſſem, ibique inter cætera non ſine admiratione legiſſem:quòd apud Iaponios etiam, antipodas noſtros,religioſi quidam(quos Iamambuxas, hoc eſt, milites conuallium vocant) reperiantur, qui ad famam ſanctimoniæ colligendam grauiter ſeſe puniant,permultum vigilent, diutiſſimè ieiunent,ac meditationibus quibuſdam arbi-

tratu

tratu ſuo compoſitis vacent: quódque his rebus adeò proficiant, vt non rarò tanquam ſpiritu afflati diuino fundere oracula credantur, perfectíque & ſancti viri ab omnibus habeantur, tum præſertim, cùm propter idolum ſuum mortem ſibi vltrò conſciſcere non dubitant. Hæc inquam, & multa huiuſmodi alia cum ex literis illis, à noſtri ordinis hominibus, & ſcriptis, & nunc etiam in lucem editis cognouiſſem, obſtupui ſcilicet, támque cohorrui, quàm ſi ex aſtris in terram relapſus fuiſſem. Occurrebat enim menti meæ ſubitò, nihil noſtræ inueniri poſſe religioni ſimilius: quare vehementer timendum eſſe, ne omnis hæc noſtra ſpiritualis viuendi ratio non diuina ſit, ſed humana tantùm, & philoſophica: quòd eam vel Idololatræ, & ethnici homines, Euangelij luce carentes aſſequantur: & quidem tales Ethnici, qui natura, moribus, ingenio, noſtris Europæis ingenioſiori- fol. 445. bus (Italis puta & Hiſpanis) perſimiles dicuntur, quiuis iam vt intelligat, à ſimilibus naturis, & ingeniis ſimilimas inuentas & conſtitutas eſſe religiones: Quid, quod apud eoſdem Iaponios non noſtra tantùm religio, ſed tota fermè Eccleſia Romana ethnico ſpiritu fundata, conſtitutáque cernatur? Nam in iiſdem literis commemoratur, Prin folio 291. cipem omnium in Iaponiorum imperio locum tenere ſupremum religionis antiſtitē: qui penè pro folio 422. numine colitur, & vulgò ſacroſanctus putatur ſic, vt prohibeatur humi veſtigia ponere, latiſſiméque imperat, & cum profanis Regibus ſæpe certat. Tundos etiam (qui ſunt velut Epiſcopi) tametſi eorum nominatio, quæ dicitur, quibuſdam in locis penes Regulos ſit, confirmat tamen, & creat ipſe: qui deinde magno apud ſummos, infimóſque in honore ſunt, ſacerdotia conferunt, ieiunia indi-

cunt,carnis guſtatus,cum religioſis diebus ad ido lorum delubra vulgò peregrinantur, concedunt. Naſcentes præterea Bontiorum (qui Iaponij ſunt monachi) ſectæ, nullam auctoritatem, vel exiſtimationem obtinent, niſi eas idem ſuo diplomate
fol.421. & teſtimonio comprobauerit. Hi porrò Bontij ampliſſima incolere dicuntur noſtrorum ritu monachorum cœnobia, cœlibem vitam ducere, in phano medio aram excitare,in qua Amidę ſignum ligneum, in roſa item lignea conſidet, præclara ad aſpectum:ingentes habere bibliothecas,cœnationes ad cibum vnà ſumẽdum, ærumenta ſeu tintinnabula, quibus ad precationes horarias excitantur: veſperè Præfectum certum vnicuique argumentum ad meditandum proponere: à media nocte ante aram templi alternantibus choris quaſi matutinas recitare preces,è Xacæ libro nouiſſimo: prima luce vnam horã ſingulos meditando conſumere:permagna conſtruere peryſtilia,& in iis Fotoquiorum (quo nomine Iaponij quidam ſancti appellantur) ſacella:mento, capitéque eſſe raſo:
Ibidem. dies per annum feſtos celebrare multos. Nihilominus tamen eoſdem Bontios vita, moribúſque eſſe turpiſſimos, & omnium mortalium auariſſimos, omnéſque noſſe conficiendæ pecuniæ vias: vendere populo multa chirographa,quorum præſidio ſe tutos fore à dæmonibus vulgus exiſtimat: mutuari etiam nummos, quos in altera vita duplicato reddant fœnore: daréque cautionis cauſa creditori ſyngraphas,quas ſecum è vita diſcedens deferat ad inferos:claro denique eos vt plurimum eſſe genere, eò quòd Iaponii proceres multiplici prole onerati, quibus filiis ſatis amplum patrimonium relinquere ſe poſſe diffidunt, hos ferè ad Bõtiorum numerum aggregent. Chriſtianos hoſce dice-

diceres monachos, vel, ſi mores ſpectes, Canonicos, & Romanæ Eccleſiæ prælatos, ſi lux Euangelii vel tenuiter eis ante noſtrorum hominum ad ipſos aduentũ affulſiſſet: vel vllus omnino ad illos Chriſtianus, ex quo hæc audita imitarentur, penetraſſet. Sed neque animarũ cultus Iaponiis deeſt, in quo tamen paulò magis, quàm nos, ſunt ſuperſtitioſi. Nam Auguſto menſe integrum ipſi biduum fol. 306. tribuere dicuntur colendis manibus mortuorum. Sub imminentem noctem in ædium foribus lampadas multas accendere, vario genere picturæ & ornatu: Inde vrbem nocte tota partim religionis, partim ſpectandi cauſa perambulare: magnam etiam populi vim cùm adueſperaſcit, ex vrbe, aduentantibus ſuorum (vt ipſi videlicet opinantur) manibus obuiam prodire: Vbi quendam ad locum peruentum eſt, quo loco eos ſibi occurrere arbitrantur, humanis primùm verbis excipere: Felix dicentes, fauſtúſque ſit veſter aduentus, iamdiu aſpectus veſtri fructu caruimus: conſidete parumper, cibóque vos ex itineris defatigatione reficite. Tum oryzam, arborum fructus, aliáque cibaria apponere: ibíque per horam moratos quaſi finem epularum expectent, eos precibus in domos ſuas inuitare, diceréque, ſe iam præcedere vt domum inſtruant, paréntque conuiuium. Vt biduum illud effluxit funalibus accenſis plebem oppido egredi, lumina diſcedentibus præferétem (ne ſcilicet in tenebris offendant, aut quopiam incurrant) Inde in vrbem reuerſos ædium tecta lapidationibus diligenter excutere, ne qui fortè ex manibus (à quibus nimirum aliquod ſibi incommodum metuunt) occultè remanſerint. Interrogatos à noſtris Iaponios, cur illis epulum præbeant, reſpondiſſe, eos ad paradiſum tendentes ſuum, qui

abeſt leucarum decies millies millena millia, quod iter non minus, quàm triennio conficitur, recolligendarum virium cauſa huc diuertere.

Ibidem. In his autem omnibus regnare Bontios, Iaponiorum ſacrificulos, neminémque eſſe re familiari, quamuis exigua, quin ad expiandos ritè ſuorum
fol. 429. manes, Bontiis munus aliquod afferat. Mitto iam breuitatis gratia aquam luſtralem: vaſcula vapora-
fol. 444. ria ſuffimenti cauſa prunis impoſita: multas & magnas indulgentias, quas Bontii populo in con-
fol. 432. cionibus perſeueranti, & cœnobia ipſorum ditanti proponunt: globulos precatorios, quos permulti Iaponii non ſolùm priuatos inter parietes, ſed in publico, totáque vrbe ferè ſemper manu percurrunt, ab Amida, Xacáque diuitias, honores, proſperam valetudinem, ſempiterna gaudia ſuppliciter poſtulantes. Quæ quidem vſque adeò vera ſunt, vt & à noſtri ordinis hominibus viſa, perſcriptáque ſint: & penè ipſa etiam noſtri Patris Petri Maffei, qui literas illas ex Italico idiomate in Latinum conuertit, verba vſurparim. Atque hæc altera mea fuit de Societate IESV, totáque Romana Eccleſia opinio, vel potius, vt Confeſſarius dicebat meus, tentatio: quam vix multis diebus ex animo tandem meo excluſi, omnem eiuſmodi vim rationum dies, noctéſque in mentem meam irrumpentium, precibus iaculatoriis, vt vocant: ieiuniis & aliis corporis afflictionibus conſtanter repellendo. Hac autem vixdum deuicta tentatione, ecce tibi repentè alia, quæ vitam mihi vix reliquam faceret. Nam paulò pòſt accidit, vt in prandio nobis pro ſpirituali cibo prælegeretur 18. caput tertij libri Regum: vbi de Sacerdotibus Baal narratur, quòd ad ſuum ipſi placandum Deum cultris ſe, & lanceolis incidentes ſanguinem emiſerint. Quo audito

audito (nondum videlicet Theologus eram, neque tota adhuc ſacra biblia perlegeram) equidem toto corpore exhorrui, omnémque comedendi ſenſum & appetitum amiſi: noſtrorum nimirum recordans flagellorum, quibus tanquam cultris & lanceolis in noſtra ipſi terga ſæuientes, non parum aliquando ſanguinis elicimus: atque haud ſcio, an vt Iaponij illi Ieſuitæ (quos Iamambuxas vocari dixi) mortem tandem vltrò nobis inferimus, ſanitatem quidem certè eripimus. Verùm iſti & iſtiuſmodi ſexcenti alij ſpiritales ſcrupuli à me in Societate excepti, vereor ne leuiores ſint, quàm vt tibi, homini grauiſſimo enumerentur, & ad cognoſcendum proponantur. Quocirca reliquis omnibus omiſſis, duo tantùm ſancta & catholica, id eſt, Italica monſtra, & idola, quorum patrocinium Societas noſtra peculiariter ſuſcepit, & de quibus per decem iam annos laboro, ea vt mihi catholica effecta, ſancta quoque facerem poſſim, deſcribere conabor: ex quo tuam, de Societate IESV, & Romana Eccleſia ſententiam in omnem æternitatem confirmari & corroborari ſenties.

Alterum igitur horum idolorum vidi Romæ in phano D. Petri, quod idolum vulgò appellant Micatium Chriſti: ego verò illud vel ipſum Chriſtum, vel quid maius etiam Chriſto propterea exiſtimabam, quòd omnis populus, qui religionis cauſa eò confluxerat, ſimul ac illud in ſublimi ſolio poſitum manibus rubrorum hominum, Seraphinorum inſtar angelorum, ne fortè ad lapidem pedem ſuum offenderet, afferri vidit, ſtatim in genua procumberet, pectus ſuum tunderet, multáque id genus alia, quæ ſoli Deo conueniunt, faceret. Pſal. 90.

Proh Chriſte ſancte, animus tunc exclamabat

meus,quouſque,quæſo, tibi ferendum videbitur, vt quantùm ipſe te verus Deus humiliaueris in terris,tantùm Vicarius tuus,homo duntaxat,ſuper omnes ſeſe efferat,& extollat cœlos? Vt cùm nul-
Ioan.18. lum tu hîc regnum habueris, imò Regnum tuum nō eſſe de hoc mundo dixeris,nulláque regia vſus maieſtate fueris:Vicarius tamen tuus omnium iura poſſideat regnorum, omnéſque Reges, téque etiam Regem Regum humana, diuináque vincat pompa & maieſtate? Vt cùm diſcipulus tuus Pe-
Actor.10. trus, qui primus Papa fuiſſe dicitur, Cornelium Centurionem ſibi ad pedes ne iacere quidem, nedum eos oſculari ſit paſſus,ſed ſtatim illum erexerit:Surge,inquiens, & ego ipſe homo ſum: Succeſſor tamen eius ſe hominem oblitus, ſicut Deus iſtic aliquis ſedeat, cuius ipſi homines deoſculentur pedes?Sed tamen reuocaui me ſtatim, & reduxi ad nonnullam animi æquitatem hoc quaſi mecum habito colloquio:Eſt certè,inquam, omnino Pontifici Romano eiuſmodi pompa & maieſtas neceſſaria ad alliciendos, in officióque retinendos ſuperbos Imperatores, Reges & Principes huius mundi:ad perſtringēdos oculos vulgi,vt quod humilitas efficere apud huiuſmodi homines non poſſit,id ſaltem præſtaret vanitas: vt cùm proprio ſanctitatis & virtutis ſplendore, ſicut Chriſtus, Apoſtoli,& alij ſancti viri, dignitatem tueri ſuam non poſſit,eam fulgore ſaltem alieno defendat:ne cùm priſci Romani toti quondam mundo dominarentur, ſi Pontificis Romani poteſtas non ad cœlos etiam & tartara, vel Purgatorium in hunc vſum confictum extenderetur, Papa minor illis, aut ſaltem æqualis videretur: vt quemadmodum ſummus Romanorū Deus,Iupiter Opt. Max.quoſdam fulmine fingitur ad inferos deturbaſſe: ſic

Romanus

Romanus Pontifex ſuum terrificum haberet excõmunicationis fulmen, quo omnes Chriſtianorum animas attonitas redderet, eáſque contra ipſius potentiam vel hiſcere audentes, vltra inferos etiam, ſi fieri poſſit, deiiceret: vt denique, ſicut iidem illi rerum domini ampliſſimum ſuum, purpuráque fulgentem magiſtratum habebant, ex quo alij Principes erant ciuitatis, alij inſtar Regum exteris imperabant nationibus: ſic Papa Romanus non ſolùm Epiſcopos tanquam Principes haberet, ſed Cardinales etiam, Purpureóſve Patres: qui ſummis Regibus æquarentur: ex quibus ſolis inſtinctu Spiritus ſancti Vicarius Chriſti eligeretur. Quaſi verò vt Cathedra Petri vrbi Romæ, ſic Spiritus ſanctus alligari non poſſit Cardinalibus, fœtidiſſimis certè ac turpiſſimis libidinum & ambitionũ cloacis. Ipſe enim ſua ſponte tantùm in quietis, ſeu modeſtis & humilitate præditis hominibus quieſcere ſe velle dixit: inuitus autem & alligatus, vbicunque Romana velit Eccleſia, permanere cogitur. quanquam hìc ſemper mens mea reclamabat, quòd non tam arctè Spiritum ſanctum ſibi & ſuæ alligarint Eccleſiæ, quin vigeſies & ſepties eius præſentia deſtituti, viginti ſeptem illa, quæ in tabulis Pontificum viſuntur, excitarint ſchiſmata: quæ certè perpetuum dicerent contra ſpiritum ſanctum teſtimonium, omnémque eius vim & poteſtatem redarguerent. Quid enim? erroris & diſſenſionis author numen poteſt eſſe diuinum? Hoc loco cùm vrgentur, non diſceſſiſſe tunc dicunt à Romana Eccleſia Spiritum ſanctum: ſed errore atque ambitione hominum monſtroſum Eccleſiæ caput, modò biceps, modò triceps extitiſſe: ex his autem omnibus ſemper vnum tantùm verum & legitimum fuiſſe. O mõſtroſum Spiritum veſtrum Iesaiæ 66.

ſanctum, monſtroſámque Eccleſiam, quæ errore, ac ambitione veſtra toties, tótque ſibi capita affi- cta ſuſtinere, per tot annos circumferre, tot mortalibus, ad errorem, abominationem & deſperationem obtrudere cogatur. næ ego iſtud monſtrũ, quod toties iam duo, aliquando etiam tria ſimul
Apoc. 13. capita habuit, facilè ſeptem ſimul monſtroſa veſtra libidine, ambitionéque capita acquirere poſſe video. Sed de primo iſto mõſtro ſeu idolo ſatis.

Alterum autem idolum vidi Laureti, quod Itali vocant, la Madonna di Loreto. Eſt autem imago picta, vt dicitur, à S. Luca Euangeliſta, atque eam ob cauſam mirabilium operum effectrix prædicatur. Non queo verbis aſſequi, quanta ſit idoli huius religio, quanta ipſius miraculorum per totam Italiam fama. Hoc vnum Italis eſt cunctis, ſiue repentino aliquo mortis periculo perculſis, ſiue ægritudine aliqua laborantibus, in ore. Huic omnes in tali ſtatu vota faciunt, munera promittunt, peregrinationémque ad ipſius templum pollicentur. Quòd ſi accidat imminenti aliquos periculo, morbóve liberari, illicò miraculum exclamant, promiſſa ſoluẽda ſtatuunt, Lauretanámque profectionem ſuſcipiunt. Itaque concurritur ex omnibus Italiæ partibus Lauretũ, quotidie dona innumera afferuntur, tabellæ pictæ totam miraculorum ſeriẽ exprimentes in templo ſuſpenduntur. Commouebat me ſanè primo aſpectu tabellarũ infinita multitudo, aliquídque ibi regnare diuini ſuſpicabar. Verùm vt propius accedens eos inſpexi, facilè cognoui, ſtupentis illa populi atque ſenſu (quem ferè ſolum habet) Deos ſibi ſenſibiles quærentis eſſe deliramenta. Nam hîc quempiam pictum cernebã pendentem in equuleo, votíſque Virgini Lauretanæ factis omnia illa tormenta ferẽtẽ fortiter: il-
lic

lic alium ex feroci corruentem equo, mortis tamē fatum euadere: hîc quoſdam ægrotantes eiuſdem inuocatione in priſtinam ſanitatem reſtitui: illic alios, eóſque nauigantes ſimili voto maritimā procellam, tempeſtatémque effugere, Quas tamen ineptias ipſe quondam Romanarum ſuperſtitionū diligens obſeruator Cicero exploſiſſe videtur, de natura tractans Deorum, déque Diagora Philoſopho, Romanorum Deos ridente ita ſcribens: Cùm Diagoras Samothraciam veniſſet, atque ei quidā amicus; Tu qui Deos putas humana negligere, nónne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portúmque ſalui peruenerint? Ita fit, inquit. Illi enim nuſquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt, in maríque perierunt. In 3. de nat. Deorum libro non longè à fine.

Acutum ſanè ac Philoſopho homine dignum reſponſum, quo ſatis apertè ſignificauit, tales non Iouis, non Iunonis, non Neptuni, non aliorum, quibus vota fecerant, Deorum ope ſeruatos fuiſſe: cùm plures alij, iíque multò fortaſſis his, qui mortem euaſerant, meliores, ſimilibus factis votis, fluctibus tamen hauſti periiſſent: ſed cùm omnes ferè in periculo conſtituti ad aliquem eiuſcemodi confugere ſolerent Deorum: acciderétque ſæpiſſimè, vt cauſæ naturales vehementius incitatæ, mortémque minitantes, in medio deinde curſu vel impeditæ, vel per ſeſe attenuatæ repentè ſalutis ſpem afferant, ſine vlla ratione effectum hunc fictis commentitiiſque Diis adſcribi. Hoc idem noſtris accidit Italis in colendo Idolo Lauretano, tabellíſque pictis ei offerendis: quia cùm tota fermè Italia huic vota faciat, & neceſſe ſit quodammodo in tanta hominum multitudine aliquos ſaltem, ſiue ſingulari ope diuina, ſiue viribus etiam natu-

ræ, voti ſui compotes fieri, & aliqua interdum naturæ miracula exiſtere, ſtolidè hęc & ſtultè Virgini Lauretanæ attribuuntur: niſi negare fortè velint, quod eodem modo, eadémque de cauſa olim apud Ennenſes etiam, in Sicilia (vt idem Tullius teſtatur) ſimulachrum Cereris multis ſæpe prodigiis (vt verbis eius vtar) vim ſuam, numénque declararit: & multis ſæpe in difficilimis rebus præſens eius auxilium tulerit. Sed hæc, vt dixi, ferè vulgus tantùm, vulgíque ſimiles ſectantur. nam docti eorum Philoſophi, Medici, necnon Theologi, dignitate aliqua Eccleſiaſtica non deliniti, non modò hæc Lauretana miracula, ſed ipſam etiam fidẽ Romanam (quod facilè cùm Neapoli eſſem, vbi nonnihil illis ab inquiſitione papali reſpirare licet, intellexerim) tanquam fictam, & falſam animo contemnunt: quin etiam apertè athei illi nomen Chriſtiani ridebãt meum, quod Italico idiomate per hominem Chriſtianum, ſtupidum & ſtolidum ſignificare ac intelligere ſoleant: ídque propterea credo, quòd nemo illis, niſi ſtupidus & ſtolidus ad Chimæras papales credendas aptus & idoneus videatur.

In 6 orat. in Verrẽ.

Hæc mihi ferè in mentem veniebant, quæ tuo excitatus, & neſcio quo modo illuminatus ſermone, dicenda putarem de Societate IESV, déque ſuis, quæ ipſa præcipuè colit & veneratur, idolis. Tum Paulus fortibus me oculis intuẽs: Non quæram, inquit, poſthac amplius tantæ cæcitatis Ieſuiticæ cauſas, excuſationes non recipiam: ſi in te tãtum potuit veritatis lumen inſtitutione Ieſuitica deprauari, ac propemodum, niſi ipſe, credo, huc diuinitùs veniſſem, extingui, quid ego in obſcuris & tenebricoſis aliorum animis non fieri

exiſti-

exiſtimem? Quæ cùm dixiſſet, finitæ ſignum noſtræ recreationis dabatur, & vterque noſtrûm compreſſo, vt fit, ſermone in ſuum ſe cubiculum recepit.

* *
*

FINIS.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

31.Y.34

Österreichische Nationalbibliothek

+Z169406102

Digitized by Google

Chrs quomodo ubiqz 616

Varia Cath. Rom. interpre-
tiones huius sacramenti 614

Opinio Cal. et sacram. cœna
620

offerre ad reconciliationem 628

Fr. Turrianus. 157.

Iesuitæ omnia dogmata papist.
mendaciis defendunt. 65

Gropperus 65

Digitized by Google

obscuritas scripturae gualis 783

Transubstantiatio 655 661. 744

de ~~[struck]~~ praesentia Christi in caena 661 671

Eucharistia sacrificium 747.

Augustinus non fuit Monachus 777

Libri Augustini suppositiij 782

Pro Ignatio Loyola de generatis milis 788

Literae Iaponicae 796

Isola ~~[struck]~~ dua 861

Spiritus sanctus 27 Ecclesiae de religione 803

Digitized by Google